
Assistentia Germaniæ



PHILIPPO IV.

REGVM

MAXIMO.

QVID dicam? laudabo? ſupra calamum meum virtus Tua eſt; vt ſupra ventos, & quidquid pluitur & ningitur, & nubes omnes, Atlantis vertices. tangam magnitudinem? ridebor; qui orientem & occidentem Solem breui chartâ ſperem concludere. commendabo in adoleſcentia animum pacatum, ſerium, maturum? nihil magnum, niſi quod placidum. & non altiſsima quæque flumina minimo ſono labuntur? modeſtiam, & morum ſuauitatem, & beneficam in omnes mentem & manum? quo rariora in purpura &

ſceptro, eo admirabiliora in Te ſunt Rex Magne. ad nocendum potentes ſumus omnes; ad benefaciendum pauci. ex his, Tu mihi primus, qui mundum vniuerſum auro densè perpluis & gemmis. nam quòd illis propè fatigetur orbis, ab Oriente & Occidente Tuo eſt. Supra fortunatas inſulas, quæ in perpetuo flore, vere, fructu ſunt, fœcundus. ac licèt alijs Regibus non niſi tãquam æſtatis vnius meſſis vna; autumni vnius vindemia vna; hiemis vnius oliuitas vna ſit; in Te perpetua hæc reperiuntur; vnóque verbo, fœcunditas æterna eſt, priórque viam ſemper ſequenti ſternit, fœnerariâ auri argentíque redhibitione. Arma taceo. vincor magnitudine: magis quòd pia ſint. Tuis enim armis Oriens & Occidens, Chriſtianus audit, Tuis Europæ pars magna. Germania, quòd ſub hæretico & Turcico non gemat ferro, Tibi propè debet.

Tibi

Tibi Telina vallis, quòd Caluini excusſerit iugum. Tibi Belgij pars nobiliſsima, quòd Chriſto ſuo viuat. O quot vndique cinctus hoſtibus ſtetiſti, viciſti! Nec Ottomannica Te terruit domus; non conſanguinei Reges. ignara ſanguinis ſceptra ſunt. non quidquid vbique efferatiſsimarum gentium eſt. Morâ & patientiâ vincis, quæ calore alius perdidiſſet. Sapientiæ hoc Tuæ eſt. & verum nimis illud eſſe, maiorum exempla ſecutus, docuiſti: omnia non properanti clara certáque demum eſſe, cùm ferè improuida & cæca feſtinatio ſit omnis. Exercitum vnum Alexander duxit, vix vnò tempore ſupra quatuor Romani. at ego ſub ſignis Tuis anno vno, exercitus quinque lego. Teſtis mihi Italia, Germania, Bohemia, Hungaria, Belgium. Et fidei hæc omnia. Pietatis hoc Tuæ eſt. Quid? quòd vno propè exercitu Orientē Occi-

 denti

denti nectas. Perge tantùm Rex Magne armis pietatē miſcere, & vinces. Imitare muſicos, qui ex acutis & grauibus vocibus concentũ componunt ſuauem. Tu pietatem miſce armis, ſuauia duris; & orbem referes præmium. Non quòd ames hæc præmia, Tuis contentus: ſed quòd pietatē ames orbe toto ſeminari, cui ſoli circumfers arma. Scio quidquid magnũ eſt, vinculis ferè teneri, opum, honorum, regnorum. at Tu mihi extra hunc carcerem es Rex Magne. Nec alium teſtem hîc volo, quàm Bohemiam, Hungariam, Germaniam. Scio etiam vitam omnem ſeruitutem quamdam eſſe, alterius, aut ſui. Te video ſoli pietati & religioni ſeruire, non Tibi, non alijs. Quamquam & hoc ſciam, non ſemper omnia piiſsimis licet viris, è voto ſuccedere. neque enim vlli fortuna vmquam ita fauit, vt vbique & ſemper reſponderit; neque vlli illa vmquam

quam ſimpliciter indulſit, non Dauidi, non Salomoni, non Moyſi. Sed neque quiſquam vllo retrò ſæculo tam prouidus, tam fuit pius, cuius non prouidentia aliquando ſibi ipſi exciderit: aut cuius pijs conatibus felices ſemper reſponderint euentus. Teſtis Galliæ ſuæ Ludouicus, Angliæ ſuæ Edmundus, verè magni & pij. Scio deinde non deeſſe qui cogitata damnent. ſemper magnis piiſque conatibus accubauit inuidia, æmula magnorum ſocia. ſed Tu ſcis non diu durare odia. ſanè non vltra vitam; virtute verò natum ſplendorem æternare. Scis etiam proprium magnitudinis veræ eſſe, non ſentire has linguas. Ita generoſiores feræ ad canum latratum lentè reſpiciunt, ac plurimùm nec aſpectu quidem dignantur. ſic etiam irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat, ſibi iniurius, dum integer inſurgit, fractus reſilit, iráſque ſui bibit

ipſe

ipſe furoris. Et cuius vmquam tanta fuit aut potentia, aut pietas, in quam non incurreret inuidentia & liuor? Non egrediamur magnum Deum, cui proximi Reges. quàm multa huius dicta factáque damnata! eadem exſpectent Reges. ſed & illius exemplo, ſolo ſe contemptu vindicent. Vltio, doloris confeſsio eſt. & certè puſilli animi eſt, vindictam in contumelia cogitare, aut incuruari ad illam. magnus animus infra magnitudinem ſuam contumeliam omnem eſſe putat. nec certius aliud magnitudinis ſignum. Gaude ergo hac libertate, Rex Magne, qui magnitudine Tuâ gaudes. & maiorum Tuorum more, etiam in prima, vt facis, iuuenta, magna meditare: memor Hiſpanici ſceptri eſſe, in prima adoleſcentia virum eſſe, nec alia ſcire quàm diademata, & orbes nouos; nec alijs nucibus primam ætatem fallere. Ferarum

&

& auium venationi incumbere, aliorum Regum eſt; nouos venari orbes Deo & gloriæ, Hiſpanum eſt: Sequere. Non quòd Te in prima hac iuuenta ſemper velim ſerium, & ſenem: non amo æternam grauitatem, vt nec iocos æternos; memor Catonem, Lælium, Scipionem ſerijs miſcuiſſe iocularia: campóſq; numquam otioſos ſterilitatem minari. Memorem Te tantùm opto Iberici numquam inglorij ſanguinis, memorémque Belgarum Tuorum; quibus ſi imperas (abi inuidia; magni veri hæc pagina eſt) orbi imperare potes. Non onerabo hanc chartam pluribus. perge tantùm quâ cœpiſti viâ. Religio Te tuebitur armis cincta. nec patiaris infringi in manu Tua palmam, quâ Maiores Tuos, Philippos, Carolos, Ferdinandos, Alfonſos æquare potes. memor Te ab ijs venire, qui in ſolo Occidente, ſupra ſeptuagin-

ta templorum millia diuitiſsimâ pietate erexerunt; & à Iaçobo I. Aragonico, qui ſolus bis mille templa, Dei Matri, felici, locuplete ac Regiâ manu ædificauit, dotauit. Quæ cauſſa, Rex Magne, vt, dum nouis voluminibus variorũ in omni genere ſuſtentare ieiunia hactenus conatus fuerim, hoc labentis iam ætatis meæ volumine, in Belgicarum Te Prouinciarum curam & amorem impellere ſtudeam. Non quòd putem non amare, qui vnus ferè Regum ab alijs diſiungeris, quòd & ames, & à tuis filiorum more ameris: cùm ſcias fruſtra terrore ſuccingi, qui ſuorum amore ſeptus non eſt, armíſque arma iritari, amore amorem. ſed vt, Numinis more, cùm eminus nos videris iactari, aduocatus adſis. O ſi tam oculis Belgarum Tuorum, quàm cordibus, inſcribereris! &, pro quibus orbis theſauros lætus effundis, amplecti filios poſſes,

posses, aut, si liceat, magnus sponsus nobilem sponsam! Sed hæc vota mea, & libri huius. In quo quidquid dictum, amori dabis, cuius etiam errata inter beneficia, numeranda; cùm ad excusationem & laudem satis sit, amasse. Et quis tam durus, qui non plurima ignoscat amori? facies idem pro consueta benignitate Tua, quæ imperare etiam sceptris solet. Non doceo. ne audiam Græculus apud Hannibalem Philosophus. narro tantùm, & vt imperitus Comœdus, ignorantiam meam in hac scena proludo. reduces Regiâ manu Tuâ cortinam, si peccasse videar. sin placitura dixi, tueberis potenti Tuâ dexterâ, & conatum laudabis, cùm rem non possis. Vtrumque si feceris, humanitatis erit Tuæ, non eruditionis meæ, quam numquam agnoui; illam semper fatebor. De posteritate sollicitus non sum, quæ cuique suum pen-

det decus. Tu mihi solus curarum caussa. Quòd si tamē hîc quidquam peccatum, Illustrissimo CARDINALI DE LA CVEVA, Legato tuo magno imputabis. qui vt nominis Tui amantissimus, ita litterarum & pietatis cùm sit, aliquid affectui in me suo largiri voluit: nec alium me patronum, quàm Te, Rex Magne, deligere passus est. Obsecutus sum ergo Legato maximo, doctissimo, & in quo solo, si periissent, reperiri litteræ & humanitas possent. Obsecutus etiam sum PETRO PECQVIO, nobilissimæ Brabantiæ Tuæ Cancellario verè magno (abi inuidia) togatorum primo, non Belgio tantùm; qui primis orbis Christiani legationibus, Gallicis, Germanicis, felicissimè ac prudentissimè obitis, posteris exemplum. De quo cùm nihil dico, omnia me dixisse arbitrare. nam vt Timantis penicillo in Iphigenia ad aram peritura, velati patris,

retecti

retecti patrui mœror maior est. ita calamo meo, eo PECQVIVM crede maiorem, quo minùs omnisciam illius eruditionē, eloquentiam, prudentiam tango. Qua in re si quid peccatum, illorum erit; si quid placuerit, illorum etiam erit, qui animos addiderunt, imperarunt. & quibus, imperare cùm possent, negare non potui, non debui. Eóque magis inscribere hoc opus meum nomini Magno Tuo volui, quòd videam ingenti Te, Rex Magne, affectu duci in viros doctos, quos primis regni tui munijs non moriturâ laude pręfecisti. Nam vt taceam CARDINALEM Legatum Tuum, omnis eruditionis mare magnum; testis mihi orbíque Christiano BALTAZAR DE SVNIGA, quo nihil grauius, sanctius, doctius. qui annis honoribúsque plenus, exemplar sui OLIVARVM COMITEM reliquit: quem in summa eruditione, benignitate, honori-

bus, nulla in hanc diem hamarunt munera, nulla viſcauit gratia. Vt neſcias, humanior, doctior, prudentior, integrior in illa fortuna ſit, orbis retroacti prodigium, præſentis miraculum, futuri exemplum: quod imitari omnes velim, aſſequi poſſe deſperem. Miſiſti deinde in Belgium OSSONÆ COMITEM, quem nullæ vmbraticæ, ſed veræ litteræ, cum ampla quadam & excelſa facundia admirandum dederunt. IOANNEM etiam DE VILLELA, quem mella loquentem & flores audiuimus. Conſuleres? bibliotheca erat. abdita depoſceres? theſaurus erat. exhaurire tentares? exhaurienda erant flumina. Taceo reliquos. Taceo etiam ſolo cælo minores cogitationes Tuas, ſupra Ægyptiacum Ptolemæum diuitiſsimas, eruditiſsimas. quibus in Ibericarum vrbium primã & maximam, emortuas Aſiâ, Africâ, adeóque

Euro-

Europæ parte maximâ, felici redauſpicatu litteras euocare conaris. Hoc eſt, æmulari Deum. poſt ſepulcrum, meliorem vitam redhibere: cùm quidquid vſquam eruditum eſt, auguſtâ præmiorum magnitudine, in nouam Hiſpaniæ vitam prouocas, nouúſque Demiurgus, de diuite theſaurorum Tuorum animas afflatu, fœcundo OLIVÆ, manibus Tuis conſitæ, impulſu. Inſiſte tantùm fortunatiſsimis cœptis Regum Maxime, omnium doctorum calamis, omnium ore, æternùm victure. Non ero prolixior. ſcio in paruo corpore, longa dedecere velamina; in ruſtica domo, auguſta frontiſpicia. premo proinde calamum multa conantem, & ſub orbis Principum Maxima ISABELLA fortunatos ciuilium bellorum exitus precabor. Non potes ſub tam Pia, infelicia; ſub tam Prudenti, temeraria; ſub tam Conſtanti, vana;

ſub

ſub tam Indefeſſa, languida; ſub tam Blanda, funeſta metuere. Cogita Iudith, Eſtherem, Debboram, Iahelem, & exitum exſpecta parem; cùm videris agmina Tua, inuictum in hanc diem exercitus Tui Ducem Barac SPINOLAM, in Siſaram ducentem. Fide tantùm, Rex Magne, Deo. vnâ pietate, & magnâ muliebri prece, & dexterâ, victor ſtabis. Imitabimur lubentes Regis pietatem ſubditi, parentis filij. Neque imperio hîc opus: maius imperio exemplum Tuum eſt. Et non dictum verè, Infidelis recti magiſter metus? Sed & ſequemur arma: & de noſtra vita ſinguli quidquid nobiliſsimum eſt, largiemur Tuæ. Hic animus Belgarum, qui in hoc calamo loquuntur omnes. Satis enim viximus, ſi pro incolumitate & gloria Tua vitam expleuerimus. Quod non viduo verbo, ſed iureiurando grauido, dum hæc ſcribo obſe-

obſequioſiùs prouinciæ Tuæ omnes, Clerus, Nobilitas, Populus teſtari voluere, firmaturi iuſiurãdum ſanguine læti & hilares, ſiqua occaſio, ſiqua neceſsitas, Tibi, nominíque Magno Tuo, fuerit. Et quid non putas aggreſſuros Belgas Tuos, ſi magnis conatibus magna præmia proponantur? nullum maius ſalute Tuâ, amplexu Tuo. An iuſta hæc vota mea ſint, neſcio: pia tamen ſunt, & filiorum in patrem. Cogita tantùm iuſtas ſupplices preces audiri à Deo & parentibus ſolere. Prodigum hunc Belgarum in Te animum teſtabitur INOJOSÆ Marchio MENDOÇA Legatus Tuus Anglicus, verè Magnus. Cuius fidei rerúmque experientiæ bello pacéque maximarum, fidere, vt facis, meritò potes, Rex Magne, etiam regni Tui prima: nec potuit alius à manu Tuâ magnâ mitti, quàm Magnus; cuius, in ampliſsimâ munificentiâ, quam vni-

*** uerſa

uerſa loquitur Angl a, tenaci memoriæ cuſtodiâ, benignitate, comitate, ingenij acumine, ſapientiam mecum mirati ſunt omnes; magis quia celerem, indeliberatam, & conſilia omnium diu cogitata prȩcurrentem. In inuicto verò animi robore, omnibus terroribus Regúmq; potentiâ ſuperiore, attonitam ſtetiſſe Angliam accepimus; cùm in alieno etiam regno minas impauidus repelleret, ac nec prece, nec præmio, neque adeò ferro, à debita Pontifici, Regíq; ſuo obſeruantia vel latum crinem deflecteret. Hoc eſt Catholici & Maximi Regis, Catholicum & Magnum Legatum eſſe: & legationem ſuam nobili conſtantiæ documento, in omnem poſteritatem, omnium ore calamíſque laudandam tranſmittere. Plures ſi tales educat Hiſpania Tua, nihil eſt quòd æmula vereare regna. quãquam hic vnus ſatis ſit ad Fortunati nomen regno dandum.

dum. Non ingredior altiùs mare hoc magnum. ergo finio, dum adhuc integra lintea. nec aliud voueo, quàm vt memor esse digneris, fortunatissimas Belgicas prouincias, ab Audacibus, Maximilianis, Carolis, Philippis Te accepisse. Illæ Te maris dominum statuent, orbis in mari. tantùm; vt facis, aude. cætera notissima Iberica virtus & fælicitas Belgico adnata sanguini dabit. Cùm enim meditari facienda; reliquorum ferè Regum sit; exequi, Hispanum est. velle, irritóque plurimùm conatu aggredi, illorum; semel occupata æternùm possidere, Hispanum est, Tuum est: cuius me

Magno Catholico nomini

æternùm sacro.

Regum Maxime.

LECTORI MEO.

Scio *verum illud Velleij:* Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nibil aliis remittere, & inuidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatem personasque dirigere. *At ego cùm nihil in hoc volumine mihi ignoscam, exorabilis omnibus, soli inexorabilis mihi, aliquid a te donari mihi velim, vt, cùm rem non probaueris, conatum non damnes. Laudem non exspecto. sed nec vlla me in omni scriptione, aut auaritia gloriæ, aut famæ cupiditas tetigit: nec rectè aut dicti, aut facti, mercedem in aliorum sermone aut fama, sed in animo hoc reposui. Non deerunt fors, qui ad libri huius nomen magna sperabunt. frustrabitur illos lectio: vt verum etiam hic vetus illud, Audita visis laudamus lubentiùs: & lecta, non raro inuidia; audita, maximè si peregrina, aut ab ignotis nata, veneratione prosequimur. illis, quasi à propinquis aut notis, instrui dolemus; his ignoscimus, & demittimus in pectus non reluctantes. Vt proinde vota mea, Lector, expleueris, si aut ignoueris non vno loco labanti, aut manum porrexeris, & aberrantem à via, amico verbo aut manu reduxeris. Non mererer doceri, si venissem docere. veni discere. &, vt ille picturâ suâ tectus, tacitus monitores amabat, monita venerabatur: ita ego hoc libro. nisi quòd ille imperitorum tandem impatiens, exsurrexerit in indignationem sutoris supra crepidam. ego etiam admittam omnes, vt ab omnibus apum more profutura legam, nocitura pellam, aut non tangam. Neque quisquam*

ad-

adhuc eâ ingenij magnitudine fuit, qui non aliquid etiam à rusticastiua discat. nec erubuit à puero discere Philosophus. Tantùm monitum te, Lector, volo, me hunc Politico-Christianum manumittere, non politicum tantùm; sed virum in omni hominum genere fide, pietate, moribus Christianum. Et nefas sanè à Religioso calamo, alia quàm religiosa, & placitura Deo profluere. Animus sanè fuit ad virtutem ducere, à vitiis deducere: à noxijs dehortari, ad profutura impellere, & vbique felici æternitati præludere. an consecutus sim, nescio: voluntatis tamen fuit meæ. Hanc si rebus asscripseris, ad maiora animos addes. Quòd si monitione interim quidquam dignum deprehenderis, inter non postrema beneficia adnumerabo. Moneo tamen ne speciosa hîc dictu, sed vsu necessaria quæras. sed neque dictionis elegantiam latè fusam. pressiùs & adstrictiùs potiùs, quàm hilariùs & exultantiùs scripsi; nec iubæ me aut cincinni delectant, sed ossa & nerui. Ne exspecta proinde venustatem, rosas, lilia, violas, & interludentes his gemmas & aurum; rudia magis, & tanquam à laureato aratro, quæ virum suum loquantur, & extritas manus, quæq; plus largiantur quàm promittant. nescit hic calamus feminam: nec alio odore quàm virili pascitur. Ignosce. Non ignoro tamen, in omni hoc opere ambulare me per dolosos cineribus insepultos ignes. Nam præscribere qualis esse quisque debeat, nescio periculi an audaciæ maioris. in Principe verò, superbum etiam videtur; in militia Duce, fatuum. Bonos tamen Principes, virosq; bello aut togâ claros, tanquam in speculo posteritati prospectandos proponere; vtilitatis habet plurimum, arrogantiæ & audaciæ nihil. Sed tamen cùm scribam his moribus, quibus plura longè damnanda, quàm laudanda veniunt,

grauiores meritò offensas, leuiores gratias spero. Quid faciam? laudabo damnanda? non didici. damnabo? sauior audiam. quin adeò licèt supra fidem & merita laudauero, ac infra hæc damnauero; nunquam vota & exspectationem expleuero. quanquam ad hæc maioráque ferenda, animorum & ætatis sat afferam. Nec adeò recuso audire malè, dum religioni & patriæ consulo. Sed hîc audio amicum insusurrantem, Ignoras altis abrupta dependere? Scio. & illud, Tutius per plana iter esse. sed in his, non labentibus laus nulla; in illis, nonnulla etiam lapsis. Non quòd hanc aut quæsierim, aut sperem: neque enim vnquam famæ, aut gloriæ scripsi. prodesse semper volui. Verùm, cur in re tam ancipiti? maior semper fructus è magnis & audacibus. nam è multorum calamis iam tritis quid sperem? Et non verum illud Plinij? Nequaquam par gubernatoris est virtus, cùm placido, & cùm turbato mari vehitur. Tunc, admirante nullo, illaudatus & inglorius subit portum. at cùm strident funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt; tunc ille clarus, & diis maris simillimus. *Nec ego hîc me statuo inter fluctûum peritos: delector tamen audentibus & delectat sequi, licèt assequi desperem. Pergit amicus: Non vereris ne in te insurgant, quotquot ex alieno laudem quærunt? Vetera hæc sunt. & notum nimis illud, Scripta doctè & prudenter, potentior sæpè æmulatio, & arma discutiunt. & quia successerunt hæc semel audentibus, nunquam qui imitentur deerunt: neque enim audacia moderationem inuenit, non magis quàm felix temeritas frænum. Quamuis & hîc verum, quod de Antonio pro Cicerone Velleius:* Famam gloriamque factorum ac dictorum adeò non abstulisti, vt auxeris. omnis posteritas

illius

illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur. *Quare nihil est quòd admodum verear aut Antonij secures, aut Ciceronis exitum, si Deo, si saluti meæ, & patriæ. Nam ut scripta mea placeant omnibus, fatuus sim si sperem: ut verò quæ suggero consilia, omnibus probentur, par fatuitatis genus est. cùm ferè ita comparatum sit, ut consilia, prout malè aut prosperè cadunt, sic vel probentur, vel reprehendantur: vnde fit vt eadem modò prudentiæ, modò stultitiæ nomen accipiant. Quid agas in hac iudiciorum scabie? feret vir prudens, & scriptionis suæ fructum, conscientiâ suâ, non iudicantium prurigine metietur. Nam, quòd in beneficiis vsu venit, vt, nisi nouis semper vetera cumules, licèt plurimis obstrinxeris, si vnum negaueris, hoc solum meminerint quod negatum est: hoc in scriptionibus magis etiam elucet, vt, quamuis plurima probatissima dederis, in vno si displicueris, omnium patiaris ora & calamos; atque exinde bene ac doctè scriptorũ, memoria nulla; delicti vnius, æterna sit. Iam in tanta iudiciorum diuersitate, quis placeat omnibus? nec ipse magnus Deus. Et quis fuit Scriptorum vnquam, in quo non multi, vt parcissimè loquar, multa desiderarent? & in quo licèt probarent plurima, non damnarent aliqua? Æmulor veteres, non nego. magni mihi Tertullianus, Arnobius, Cyprianus, Augustinus, gente Afri, calamo Romani. magni Ambrosius, Leo, Minutius, verè Romani. nec Dalmata Hieronymus, Romanis minor. magni etiã olim Cicero, Sallustius, Tacitus, Plinius vterque, Liuius, Seneca. Hos æmulor, quantum ingeniorũ diuersitas, maximorum & minimorum permittit. cum his damnari adeò non erubescam, vt in laude etiam ponam. sed & infra illos multis passuum millibus licèt ferar, satis mihi ad lau-*

dem

grauiores meritò offensas, leuiores gratias spero. Quid faciam? laudabo damnanda? non didici. damnabo? sauior audiam. quin adeò licèt supra fidem & merita laudauero, ac infra hæc damnauero; nunquam vota & exspectationem expleuero. quanquam ad hæc maioráque ferenda, animorum & ætatis sat afferam. Nec adeò recuso audire malè, dum religioni & patriæ consulo. Sed hîc audio amicum insusurrantem, Ignoras altis abrupta dependere? Scio. & illud, Tutius per plana iter esse. sed in his, non labentibus laus nulla; in illis, nonnulla etiam lapsis. Non quòd hanc aut quæsierim, aut sperem: neque enim vnquam famæ, aut gloriæ scripsi. prodesse semper volui. Verùm, cur in re tam ancipiti? maior semper fructus è magnis & audacibus. nam è multorum calamis iam tritis quid sperem? Et non verum illud Plinij? Nequaquam par gubernatoris est virtus, cùm placido, & cùm turbato mari vehitur. Tunc, admirante nullo, illaudatus & inglorius subit portum. at cùm strident funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt; tunc ille clarus, & diis maris simillimus. *Nec ego hîc me statuo inter fluctuum peritos: delector tamen audentibus. & delectat sequi, licèt assequi desperem. Pergit amicus: Non vereris ne in te insurgant, quotquot ex alieno laudem quærunt? Vetera hæc sunt. & notum nimis illud, Scripta doctè & prudenter, potentior sæpè æmulatio, & arma discutiunt. & quia successerunt hæc semel audentibus, nunquam qui imitentur deerunt: neque enim audacia moderationem inuenit, non magis quàm felix temeritas frænum. Quamuis & hîc verum, quod de Antonio pro Cicerone Velleius:* Famam gloriamque factorum ac dictorum adeò non abstulisti, vt auxeris. omnis posteritas

illius

illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur. *Quare nihil est quòd admodum verear aut Antonij secures, aut Ciceronis exitum, si Deo, si saluti mea, & patria. Nam vt scripta mea placeant omnibus, fatuus sim si sperem: vt verò qua suggero consilia, omnibus probentur, par fatuitatis genus est. cùm ferè ita comparatum sit, vt consilia, prout malè aut prosperè cadunt, sic vel probentur, vel reprehendantur: vnde fit vt eadem modò prudentia, modo stultitia nomen accipiant. Quid agas in hac iudiciorum scabie? feret vir prudens, & scriptionis sua fructum, conscientiâ suâ, non iudicantium prurigine metietur. Nam, quòd in beneficiis vsu venit, vt, nisi nouis semper vetera cumules, licèt plurimis obstrinxeris, si vnum negaueris, hoc solum meminerint quod negatum est: hoc in scriptionibus magis etiam elucet, vt, quamuis plurima probatissima dederis, in vno si displicueris, omnium patiaris ora & calamos; atque exinde bene ac doctè scriptorũ, memoria nulla; delicti vnius, aterna sit. Iam in tanta iudiciorum diuersitate, quis placeat omnibus? nec ipse magnus Deus. Et quis fuit Scriptorum vnquam, in quo non multi, vt parcissimè loquar, multa desiderarent? & in quo licèt probarent plurima, non damnarent aliqua? Æmulor veteres, non nego. magni mihi Tertullianus, Arnobius, Cyprianus, Augustinus, gente Afri, calamo Romani. magni Ambrosius, Leo, Minutius, verè Romani. nec Dalmata Hieronymus, Romanis minor. magni etiã olim Cicero, Sallustius, Tacitus, Plinius vterque, Liuius, Seneca. Hos amulor, quantum ingeniorũ diuersitas, maximorum & minimorum permittit. cum his damnari adeò non erubescam, vt in laude etiam ponam. sed & infra illos multis passuum millibus licèt ferar, satis mihi ad lau-*

dem

dem vel luminis horum vmbram fuisse. Iam cùm illi magni calamos repererint morosiores, quid mihi promittam magna? Audio in illis: Lapsus est. non vidit. aliquid hîc desidero prudentiæ: plus moderationis & benignitatis: fellis parum, mellis plurimum. Quò tam densè res mutuo implexæ, tanquam densi nemoris rami, copiâ ipsâ sibi graues? quò lenocinia verborum, & luxurians dictio? quò latè sparsa, quò retractior? O nimis torosa, grandis, adipata, ludibunda; imbellis, tenuis, macra; seria. nimis ardens, mordens, insurgens, conquisita; frigida, languens, serpens, vulgaris. nimis Afra, nimis Romana, & ad fastidium religiosa. nimis veteris æui; nimis recentioris! Quis prudens materiam hanc deligat? infelix in delectu. Quò viro Religioso res non sacra? quò res alienæ togæ, messis, areæ? quò tanti in aduersarios aculei? quò verborum fulmina & tonitrua? quò perpetuis securibus accinctus sermo? quò nihil aduersario ignoscens? *Et his similia sexcenta. quis credat? Quo magis parandus hîc mihi animus ad superciliosarum frontium arbitria Catoniana. & iam paraui, vt cum Plinio, sinisteritatis aut malignitatis famam perferam. Non quòd verear animum, qui mihi, vt in omni alia, sic in hac scriptione bonus; quo fit, vt nullam posteritatis memoriam reformidem, qui culpæ mihi nullius conscius sim. Sed cùm Lector multa desiderauerit, meminerit non defuisse, qui etiam in magnis vota sua spargerent. meminerit etiã, magna me hîc non dedisse, & quæ victura sponderem; sed rudia & nascentibus similia, quæ amicam obstetricantem manum deposcerent. quam ego si in Lectore meo consecutus fuero, memoriâ beneficium colam æternâ.*

LIBER

LIBER PRIMVS DE MORIBVS SVBDITORVM PRINCIPIS.

CAPVT I.

Quæ vita instituenda, quæ optanda?

OPTIMA, & quæ plus de cælo, quàm de sæculo referat; plus de Christi, quàm de mundi consilijs, quæq; cultorem suum æterna felicitate, gloria, opibus beatura sit. Rogatus sententiam Stoicus, respondit: *Ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis.* Quàm paucis multa! addit: *Sic viuendum tanquam in conspectu viuamus: sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit. & potest. quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est: interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit.* Non videtur tibi hic ex altè cinctis, & cothurno Christiano magnus? quis peccabit, si in omni teste, & socio, & amico, inimicum cogitauerit? quis in oculis magni Dei pœnitenda, & æternùm luenda committet? medijs scelerum cogitationibus interuenire Deum, nec erubescere, aut perhorrescere hominem inspectorem Deum & iudicem? Quis in oculis iudicis ac Regis sui, cruce & ferro pianda aggreditur? Et quid hæc tormenta ad æterna? quid ferrum ad nullo æuo morituras flammas; adeoq; ad omni æuo, damnatorum

corporibus nutriendas flammas? Quid Iudex aut Rex, ad Iudicem & Regem Deum? huic viue, quisquis præmia speras, pœnas metuis. Breue est quod viuimus. fatui huic vitæ; prudentes æternitati viuunt. tu viue non perituræ vitæ, sed æternũ perennaturæ iustitiæ. Sed & hîc incipe beatus esse, & alterius vitæ felicitate frui. frueris, si perpetua tranquillitate fruaris. hanc tibi virtus spondet. fluctibus iactantur vitia. æterna in hoc oceano tempestas est. Sola virtus pacem nouit, ignorant vitia. Benè in rem nostram Philosophus: *Animus noster habebit quod gratuletur sibi, cùm emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, & redditus cælo suo fuerit. erit autem illic antequam hac custodia exsoluatur, cùm vitia deiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. in hoc nos oportet ire impetu magno.* cælo frui animum posse, beatitate nimirum illius, excussis vitiis, Philosophus putauit. cùm in altissima securitate viuat, cælestibus propè inuidenda, quisquis vitia posuit, tempestatum ventos. *Mores* ergo eodem monitore *compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas vexa, & istis dicentibus, Quousque eadem? responde: Ego debeo dicere, Quousque eadem peccabitis? Remedia antè vultis quàm vitia desinere? tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expressit.* Benè, & Christianè. non arbitreris Petrum aut Paullum monere? numquam deponẽda arma, nisi hoste superato. ac ne tunc quidẽ. nam & in alta pace arma paranda, monent prudentes. nemo metuit hostem paratus, imparatus metuit. improuidum obruunt arma, non obruunt expectantem, cùm ferrum in manu est. Fortiter proinde domesticos hostes preme. ne parce. maxima hîc pietas est non parcere. seca, & vre; clementia in ferro & ignibus est. Quòd si vniuersa exscindere non potes, non ideo deijciendus animus est. nec medicina morbos omnes vincit: adhibetur tamen hîc in remedium, ibi in leuamentum. Idem in vitijs cogita. vt cum radice & semine euellantur, perpaucorum est.

Vitiis manus admouenda.

sed

ſed non ideo nihil reliqui proficiunt, quòd non omnia euellant: nec ideo nihil ſanant, quia non totam valetudinem reddunt. Quis hanc prudens ſperauit poſt primordiale primorum parentum delictum? nam licet iam à paradiſiaco crimine noxia inſparſa ſemina animis ſint, omnium tamen etiam honeſtarum rerum ſemina circumferunt, quæ ſtudio & fotu excitantur, non aliter quàm ſcintilla leui admoto flatu ignem ſuum explicat. Erigitur virtus impulſu. fœcundiora vitia ſunt, ſponte proueniunt. non quòd innaſcantur nobis, ſed quòd zizaniorum more ſuperueniant. Hinc illa eiuſdem: *Nulli nos vitio natura conciliat: nos illa integros & liberos genuit: nihil quod auaritiam noſtram iritaret, poſuit in aperto: pedibus aurum & argentum ſubiecit, calcandum & premendum dedit, quidquid eſt propter quod calcamur & premimur.* Ex Theologorum ſchola prodire hunc credas. quod ipſe de auaritia, de reliquis propè omnibus vitijs dici poteſt. pronitatem, & adnatam quamdam poſt paradiſi delictum facilitatem non nego. at ea monitis, exercitationibus, laboribus, animiq; magnitudine ſubigenda. Monet idem: *Quid aliud agas, quàm vt meliorem te quotidie facias, vt aliquid ex erroribus ponas, vt intelligas tua vitia eſſe, quæ putas rerum? Sanè, ſiquando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus, me video.* Non putes aliquem ex eremi cultoribus diſcipulis ſuis loqui? tibi ergo manum admoue, euelle, ſeca, vre. imitare agrorum hortorumq; cultores. Et quo faciliùs feliciuſq; progrediaris, audi eumdem Philoſophum: *Opus eſt aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi erigant: niſi ad regulam, praua non corriges. O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat! magna ſanè pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat.* Non Deum tantùm, ſed & Angelorum aliquem ac Sanctorum habeat, quem intueatur vt monitorem, cuiuſq; vitam ſibi in regulam proponat, æmulus de probitate ac ſanctitate. Rex eſt? magnos ſibi proponat Re-

Quotidie aliquid è vitiis ponendum.

Præſentiâ viri magni animus à vitiis reuocandus.

 ges,

ges, non rerum tantùm gestarum gloriâ magnos, sed prudentiâ, vitæ integritate, reliquarumq; regiarum virtutum studio magnos. Quòd si in omnibus vnum non deprehenderit magnum, è singulis, in qua excelluerunt, magnitudinem deligat, sequaturq; quod laudatissimum in singulis deprehenderit. animos in Alexandro, modestiam in Augusto, clementiam in Cæsare, temperantiam in Traiano, facilitatem in Antonino, liberalitatem in Tito, comitatem in Theodosio, pietatem in Ludouico, reliquasq; in alijs Imperatoribus Regibúsque virtutes imitetur. Eadem dico in exercituum ductoribus. sequatur incorruptā in auro mentem Curij, Tuberonis, Fabricij, Paulli Æmilij; secreti tenacitatem in Pompeio, militarem disciplinam Metelli, continentiam Scipionis, vigilantiam Marij, audaciam Marcelli; Metelli Celtiberici, Africani posterioris, & L. Paulli humanitatem; solertiam Hannibalis; Cincinnati, Papirij, Nasicæ, Pisonis, Scæuolæ constantiam; gratitudinem Metelli Pij, Mithridatis, Attali & Massanissæ Regum; fortitudinem Leonidæ, Epaminondæ; animi moderationem Valerij, Camilli, Fabij Maximi. Dici hoc in omni hominum genere potest, summorum, mediorum, infimorum. Episcopus es? habes quos imiteris in omni propè genere magnos; Ambrosium, Augustinum, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, aliosq; innumeros. Religiosus es? habes in singulis Ordinibus in exemplum datos. imitare; & in quo quemque magnum videris aut legeris, æmulare. Eadem dico in omni genere eruditionis, scientiarum, artium. in singulis enim magnos, & imitatione dignos reperies: etiam in infima plebe; quo magis in quacunque purpura, munere, nobilitate.

Proponendæ virtutes magnorum in imitationem.

Cùm verò imitanda propones, tum pari, aut maiori etiam conatu fugienda dispice, & quod in vnoquoque sua ætas improbauit, deuita. ebrietatem in Alexandro, ambitionem in Cæsare, auaritiam in Galba, immodicam vindictam in Sylla, crudelitatem in Nerone, libidinem in Antonio & Cali-

Proponenda vitia aliorum in fugam.

Caligula, intemperantiam in Claudio & Vitellio, ſuperbiam in Domitiano; impietatem in Iuliano, Valente, Zenone. quorum ferè exitus, in terrorem & fugam animo propone. Incredibile, quantam ad ſequelam & fugam vim exempla habeant. Imperia quis & regna cogitat? funeſtos ferè Regum proponat exitus, dubios euentûs, breue imperiũ, in Ottone, Vitellio, Galba, Piſone, Balbino, Floriano, Baſiliſco, Siluano, Tacito, Quintillo, Maximo, Michaele Calaphate, anno non integro expleto. Regum cogitat amicitias? Parmenionem legat Alexandri, Tiberij Seianum, Commodi Cleandrum, Conſtãtini Ablauium, Arcadij Eutropium, Frederici Vineam, Philippi Brocam, Petri Cabreram, Ludouici Comenum, ſimileſq; fortunæ pilas, quibus ſæculo noſtro ô nimiûm! tragicè luſum, in poſteritatis documentum, præteritorũ inuidiam. Exercitus cogitat & victorias? Craſſum cogitet, Pompeium, Marium, Alcibiadem, Pauſaniam, Themiſtoclem, Miltiadem, Beliſarium, Attilium, & tot propè funeſtos exitus, quot clara terris nomina. Nobilitatem amat? plures Romæ & in Oriente è plebe imperaſſe ſciat. Diocletianus, Herculeus, Carus, Aurelius, Philippus, Pupienus, Maximinus, Macrinus, Ælius Pertinax, Valentinianus, Valens, Zeno, Anaſtaſius, Iuſtinus, Iuſtinianus, Mauritius, Phocas, Theodoſius tertius, Leo Iſauricus, Michael Traulus, Baſilius Macedo, Michael Calaphates; ex infima omnes plebe. Quòd ſi ad Romana incunabula calamum flectamus, quis ignorare Romulum & Remum poteſt? quis Tullum Hoſtilium, Tarquinium Priſcum, Seruium Tullium? è plebe omnes. Et doctiſſimus quiſque quos auos abauoſq; recenſet? quos Plato, Ariſtoteles, Socrates, Lycurgus, Solon, Triſmegiſtus, Demoſthenes, Cicero, Virgilius, Ouidius, Martialis, Horatius, reliquiq; propè omnes Philoſophi, Oratores, Poëtæ? ex vltima plurimùm plebe reperies. Vt non immeritò cecinerit vnus:

Proponenda in aliis fortunæ munera, incerta, fugientia.

— *Ima plebe Quiritum*

Facundum inuenies. solet hic defendere caussas
Nobilis indocti.

Sepone ergo genus, auos proauósque; virtutem intuere, & imitandam etiam in Epicteto seruo, in Epicuro, adeoq; & in mancipio, propone.

Contemnenda peritura: Insudandum æternis.

Quid in hoc intueris, non dicam amas, honores, opes in illo, voluptates in alio? circumspice iam inde ab ortu sui orbem totum. Vide quàm paucorum vota expleuerit fortuna, semper ferè pendula, dubia, fallax, fatua; quantis dulcia hæc amaris miscuerit, modicum saccarum ingenti felle temperans. vide an non maiori in mœrore, cùm destituerentur illis, fuerint, quàm hilaritudine cùm fruerentur. Intuere dehinc opum, honorum, voluptatū contemptores; vide quàm exiguo tempore, vltro se illis prudenter nudauerint, vt donarentur æternis; in quanta dein animorum tranquillitate vitam exegerint; & non plus solidi in his gaudij, quàm in illis reperias? Confer vtrosque; Alexandrum, Pyrrhum, Hannibalem, Antiochum, Mithridatem, Assuerum, Sennacherib, Nabuchodonosorem, Græcos, Romanos cum Apostolis, & Apostolici seminis viris, Augustino, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo, Nazianzeno, Benedicto, Bernardo, Dominico, Francisco, Ignatio, alijs. quorum exitum velles? imitare vitam. quorum in omne æuum conditionem? sequere mores. paribus donantur, qui vitâ pares. frustra laboris præmia ex otio speres. Vide quàm sine metu dies hi nostri transegerint, quàm securas noctes; quàm sorte contenti sua, extra ambitum iactationum matrem; quàm nullis hîc timoribus natauerint, quàm alta nunc perpetuáque opum, honorum, voluptatum pace fruantur. Vide prudentiam. paucorum annorū contemptus æterna peperit; paucorum neglectus non-morituris donauit, tam modica tam magnis. Et quis non infortunatum diem vnum deligat, vt fortunato solido fruatur anno? factum à nostris, qui non anno, sed felici donati æternitate, à qua nec si velint excidant.

dant, nec velle possunt. tam stabili beatitudo innixa. Iam quis non magnorum Regum, exitum voueat Francisci? quis non primorum orbis Imperatorum, Antonij & Paulli æmuletur gloriam? horum felicitatem, Augusti præferat purpuræ? Non quòd omnes Antonios & Paullos velim: sed quòd virtutem tamen horum imitari omnes velim. Nihil dico de veste & eremo. etiam sub diademate sedē suam virtus reperit. Nimis orbi noti Ludouici, Alfonsi, Ferdinandi, Eduardi, Theodosij. At securior extra sceptra semita est. non nego. sed non omnium solitudo, cœlibatus, cilicia, catenæ, flagra, legumina, aqua. satis erit virtutem amasse, coluisse. vitam hæc pacatam dabit. Addo. *nec speres aliquid, nec extimescas,* quàm vnum Deum virtutis præmiatorem, scelerum vindicem, & beatam vitam spondeo. Claudo Boëtiano versu:

O felix hominum genus,
Si vestros animos amor
Quo cælum regitur, regat!

Diuinus hic amor est, cui pro fundamento virtus. hanc venerare, & diuinum amorem, quo vno beaberis, spera.

CAPVT II.

Qua ratio seruanda in sociorum delectu & contubernio?

PRIMO, optimos delige, quorum consuetudine virtutis aliquid accedat, vitij decedat. nulla enim res magis animos in bonum prauumq; impellit reuocátque, quàm proborum improborumq; conuersatio: paullatim enim mores descendunt, & vim præceptorum obtinent. frequenter enim audiri, videri, aliquid affricat. Quid? quod in magna probitate ac improbitate aliquid sit, quod vel tacitus imbibas. nec quisquam facilè dixerit, quantum hæc prosint, quantum obsint; obesse tamen ac prodesse videmus. vt dictum verè sit: *Minuta quædam animalia cùm mordent, non sentiuntur.*

Proborum improborumq; consuetudo plurimum potest.

tiuntur. adeò tenuis illis & fallax in periculum vis est. tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem in proborum improborumq; consuetudine reperies. non deprehendes quantùm tibi prosit, quantùm obsit; profuisse, ac obfuisse deprehendes. Probatissimorum ergo familiaritatem aucupabundus venerare, vt paullatim familiarem etiam tibi probitatem facias; vt locum in te habeat illud viri magni: *Mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benè facere iam ex consuetudine in naturam vertitur.* plurimùm enim assuetudo valet, quam à bonorum conuictu bonam senties. De vicinitate enim fluminis & nubis certiùs potentiusq; fœcundantur agri, cùm longè posita, tardiùs tenuiúsque beneficia sentiant. propinqua nimirum, è locuplete; remota, è paupere vena hauriunt.

Magno conatu opus ad bona. Conatu interim omnino in bonis magno opus est, vt in agro etiam fertili, ligonibus, aratro, vigili cura. nam ad deteriora faciles sumus, in quibus nec dux, nec comes deesse potest, ac res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit. Neque enim pronum iter tantùm est ad vitia, sed præceps. voluimur enim ferè in illa, vt sphærica corpora minimo impulsu in præceps acta; &, vt feracissimi campi, nullo iacto semine, nulla rustica manu, noxia protrudunt, & fœcundior semper ager in nocitura est. cultum profutura deposcunt: sponte sua obfutura nascuntur, & suffocant perimuntq; quidquid seminis boni est, nisi assiduus improbusq; accedat labor. Eadem de animorum agro cogita: innascuntur sponte vitia; virtus culturâ indiget, nec nisi à denso laborum imbre probitatis stillicidia profluunt. & frequentatus labor congelidatarum instar nubium est, è quibus fœcundæ virtutum pluuiæ, tanquam è materno sinu cadunt.

Vitanda improborum consuetudo. Potissima autem cura erit, vt improborum consuetudinem fugias. magna enim pars probitatis est, à noxio cœtu recessisse. non quòd virtutis magistra solitudo sit, sed quòd, vbi

vbi inhortator, ductor, comes, laudator abest, vitia subsidant, quorum probari fructus est. Quis enim aut gemma aut auro se vestiit incomitatus? quis, vt ille, *sub alicuius rusticæ arboris proiectus vmbrâ, luxuriæ suæ pompam solus explicauit? nemo oculis suis lautus est. sed apparatum vitiorum suorum, pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque iritamentum est omnium in quæ insanimus, admirator & conscius. ne concupiscamus efficies, si ne ostendamus, effeceris. ambitio, & luxuria, & impotentia scenam desiderant. sanabis ista, si absconderis.* Multò sanabis magis, si ductore, inuitatore, laudatore, comite carueris. carebis, si improborum familiaritatem & contubernium vitaueris. vitasse, caruisse est. tantum ad malignitatem consuetudo valet, vt qui socios sustulerit, vitia sustulerit. nemo solus improbitatem explicat, nemo vitia parietibus effundit. Quis enim ambitionem, crudelitatem, iram profudit solus? accedant socij tanquam venti, & intumescent pacata antè maria, insurgentq; in iras & nocituras minas. Quin adeò, pacatissima intuere flumina, quæ lentitudine sua cursum oculis eripiunt; incumbant venti, exurgunt fluctus, & mansuetum illud elementum, quod ouium instar ignorare motus videbatur, in leoninas exasperatur iras. eadem de animo, ad innocentiam & virtutem nato, cogita. si prauo malignóque contubernio adiunxeris, imbibit malignitatem. Retrahet se ergo à tali quisquis pręcipitia non amat; nec dabit se in illud. Quòd si imprudens in improbam societatem inciderit, modestè prudenterq; pedem retrahet: nec secabit cum Alexandro vno impetu, tanquam ense aut nouacula, nisi alia negata via sit. sed quæsitâ, quæ nunquam sapienti deerit, occasione exuet se hoc contubernio, & melioribus se dabit, ad quorũ vitam, vitã effinget suam, memor veteris dicti: *Bonos corrumpunt mores congressus mali.* & Tertulliani de mulieribus: *Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ, contubernales vel maximè castimoniæ proposito officiunt. per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica; per otium se à veritate deducunt; per vinolentiam quiduis mali insinuant;*

nuant; *per curiositatem, æmulationum libidines conuehunt. nulla eiusmodi feminarum de bono castitatis loquitur: Deus enim illis, vt ait Apostolus, venter est, ita & quæ ventri propinqua*. Dicam ego: Malos corrumpunt mores congressus boni, & quod de mulieribus ille, ego de viris.

Vitanda mulierum familiaritas. Quanquam non diffitear, mulierum consuetudinem virorum deteriorem esse: idq; adeò, vt, si Scripturæ credimus, *Melior* sit *iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*. Hinc præmittit:

Eccli. 42. *In medio mulierum noli commorari*, quia *à muliere iniquitas viri*. Melior omnino iniquitas viri, minùs nimirum perniciosa, minoribusq; inuoluta periculis, aperta iniquitas viri, & retecta improbitas illius, in quam te ex aduerso armare possis; quàm beneficia mulieris, fraudem tegentis, & occultis insidiis dolisq; sub honesti nomine & amica fronte, oculis, ore virum impetentis. Vt audeat idem Sapiens, *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris*. &, *Omnis malitia, nequitia mulieris*. Hinc monet: *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius: auerte faciem à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*. Et alibi: *Ne attendas fallaciæ mulieris. nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant*. Noxia omninò viro muliebris consuetudo, etiam bonæ. nam, vt improbitas desit, forma rapiet, oculiq; etiam castæ non castè ferient. inest nescio quæ illis illecebra etiam dum maturitatē & pietatem loquuntur. Frons deinde, verba, vultus, capillatura, manusq;, corpusq; totum, teneritudine sua, tanquam fulminibus virile pectus emedullant. Fuge: magis etiam, si improba est. de qua illud Sapientis: *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam*. Nec nouum hoc; prima orbis lumina, pietate, sapientia, robore, Dauid, Salomon, Samson, infame funestumq;

Marginal references: Eccli. 25. (beside "lis, ore virum impetentis"); Ibidem. (beside "mnis malitia super malitiam"); Eccli. 9. (beside "mulieris. Hinc monet"); Prou. 5. (beside "descit. Et alibi"); Eccli. 25. (beside "pientis: Commorari leoni").

nestumq; muliebre iugum passa. taceo eruditione, ingenio, prudentia, dignitate, etiam castimonia primos. nil mirum. *A muliere* enim *initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Longè* proinde *fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* Quid de contubernio diceret & familiaritate? quid de lasciuiore acu per crispatam comam luxuriante? quid de curiosa oculorũ iactatione, dum in oculis ipsius captiua virorum mens, tanquam in triumphum ducitur? quid, dum omnium obtutibus vbera prostituuntur, vel velo non integente pudorẽ, sed decorem mentiente omnium ignibus obiiciuntur; veriùs, omnium virorum glaciem & frigora soluunt, & in fornaces vertunt? Quis enim nesciat, inuitatoria illa esse libidinum, & folles ignibus excitandis? Quid, cùm cetera corporis laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupantur, quò de proximo curent luxuriæ negotium, obstrepantq; pudicitiæ disciplinæ, vt quadam cultus tanquam ignium societate, validiores flammas iaculentur? Quid, cùm calliblepharum, vellerumq;, herbarum florumq; tincturæ palpebris venustandis, genis fucandis admouentur? naufraga nimirum sine his forma esset, & frustra luderet. adminicula ab his sumpsit, vt virorum stuporem ædificaret, mutuoq; lenocinio fortiùs illuderent virili robori. Quid diceret, si non ludentes tantùm oculos, sed in vultu, tenera ceruice, vberibus, taceo reliqua, manus etiam videret? non exclamaret, Fuge quisquis salutem amas? Secedamus ab hoc noxio femineo contubernio nonnisi funesto exitu claudendo. redeamus ad viros.

Ibidem.
Prou. 5.

In quorum consuetudine ira in primis ponenda. è qua vna dissensiones, odia, cædes nascuntur. nec non à proborum quorumcunque contubernio excludendus est, quisquis frenare motus non potest, solitudini aptior quàm frequentiæ. neque quidquam est, quod validiùs pacata turbat, & tranquilla in tempestatem exasperat. nam quid speres à furore? exitus autem iræ furor est. Audi proinde non me, sed

Ira vitanda in congressibus.

Prou.22. Sapientem: *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Iracundorum ergo consuetudinem deuita, ne te impellant ad pœnitenda, & cogant ad ea, quæ nullam emendationem admittunt, nullisq; lacrymis aut pœnitudine elui possunt. serus post sanguinem mœror est. quòd si improuidus in illos incideris, quanta celeritate potes, exime te his irarum compedibus.

Morosi vitandi. Morosos etiam difficilésque fuge, & quibus ingenium Brontésque Steropésque in Ætnæa incude è chalybe mallearunt.

Benignitas induenda. Tu etiam benignissimo vultu, oculis, fronte, verbis, aut occurras venientibus, aut in aliorum te consuetudinem immitte. obliuiscitur aliquis sui? tu tecum habita, & audisse aut vidisse simula, aut risu te vindica & contemptu, & in mitiorem partem interpretare. nam si silicem silici, ferrum ferro incusseris, quid exspectes præter ignem? Obiice lapidi puluillum, etiam ignibus, & suffocabis. ita dura mollibus perimes, durioribus accendes. Sapientis verba sunt: *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* Inglorium socij dicent. eamdem de Christo, Apostolis, Sanctorum reliquis sententiam ferent. Generositatem laudo, cui prudentia, non furor imperat. aut generosiorem quis dicat Catilinam Christo, Petro, Paullo, Laurentio, Stephano? dæmone & inferno, non Deo & cælo magistris, generositas illa nata est, quæ contumeliam contumelia, sanguinem sanguine diluit. Aut errauit Deus, & peccauit in generositatem, cùm mala bonis vindicanda docuit? *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos; vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Aut inglorius Deus, qui in omnem peccatorem, iuratum suum hostem, non insurgit in vindictam? Indignus aula erit Christus, & ignauus etiam, qui *tanquam ouis ad occisionem*

Prou.15.

Matth.5. *Benefaciendum inimicis.*

Mansuetudo laudata. Actor. 8.

ſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Aut imprudenter è ſæculi prudentia monuit, nobilitatis ignarus? *Audiſtis, quia dictum eſt, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.* Credas ex aula & purpura hæc prouenire, & è media nobilitate: ſequitur, *Ego autem dico vobis, Non reſiſtere malo.* Ferendum fòrs viro forti. quamquam neget hoc omnis ſchola purpuratorum, & pro vno oculo, dente vno, duos depoſcit; pro verbo aſperiore alapam, pro hac baculum, atque hunc non niſi vltimo ſanguine piandum: nec ſatis eſſe, ſi contumeliam contumelia plebeio more repercutias, ferrò opus eſſe & ſanguine, vt è nobilitate cenſearis. inclamat contrà Chriſtus: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Non ſapit nobilitatē. ignobilis nimirum Chriſtus erat, nec intelligebat quid nobilitatem deceret fabri filius. Vos fòrs meliùs Herode nati, aut edocti à diuinitatis à primordio æmulatore, aut ab aliquo ſæculi noſtri Macchiauello, qui prudentiam Chriſtum doceret, & aulæ mores. Audiamus Regem: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.* Illa erant illo ſæculo. ita eſt. nunc, quid? venena & ferrum. vt ſitis filij illius qui venena primus & ferrum temperauit in interitum. Benè hoc monitore ducimur ad inferorum præmia. & glorioſus ille, qui audaci ſaltu, per aduerſarij latus, in nunquam moritura, ſera pœnitudine, proſilit tormenta. ſunt nimirum apud inferos tot millia formoſarum, tot millia purpuratorum: ſunt ferè quicunque ſæculi prudentiâ magni, plus aulam quàm Chriſtum in Euangelio docentem ſecuti, plus Macchiauellum quàm Deum.

Matth. 5.

Ibidem.

Prou. 25.

Ab odio etiam, improbiſq; æmulationibus, quæ frequentata indignatio plurimùm ſuggerit, animum remoue. cùm enim in familiari conſuetudine virtutes vitiáque, opes, honores, commoda, induſtriæ, arteſq; ferè notiſſimæ ſint; naſcitur æmulatio, quam æqualitas inæqualitaſq; alit, exar-

Odia, & æmulatio ponenda.

descit inuidia, exsurgit ira, cuius exitus odium est. & plerumque acerrima è domestica consuetudine odia nascuntur. Quid? quòd è propinquitate & sanguine, omnium maxima exsurgant, vt eiusdem vteri vehementiora quàm alieni sint incendia, quæ nulla aut arte aut flumine restinguas: nulla tamen grauiora, quàm parentum in filios, filiorumq; in parentes sunt. Id adeò ex eo prouenit, quòd summus amor, si exasperetur, in summum odium transeat, vt summa clementia & mititas, si efferentur, in extremam crudelitatem & ferociam degenerant. tardè hæc lentéque eueniunt, & siluarum more ignem concipiunt; quo nimirum tardiùs, eo vehementiùs. Ita, quos lentos in iram videmus, acerbissimos experimur: quos in libidinem tardos, furibundis similes. ita & tenaciùs inhærent, altiusq; imbibuntur, quæ sudoribus constant; & quorum molestior inculcatio est, fortiùs imprimuntur. rupibus certè, & saxosæ areæ inædificamus, sed laboriosiùs; & fæcundissima ferè terra grauioribus ligonibus & aratris indiget.

Odia inter consanguineos plerumque acerbissima.

Cùm verò plurima sint quæ æmulationes odiàque prouocent, tum nihil propè potentiùs, quàm dignitates & opes, etiam in amicissimis. alterum alteri prælatum, sat ampla materia odiorum est. Cogita fratres. magnam non rarò morum similitudinem videbis, mutuam beneuolentiam. maior vni accedat honor, maximè iuniori, magis etiam si imperium; quæ non metuenda exsurgunt? fratres esse desieruht; vt mitiùs ferant in externos dignitates & sceptra transire. Dura nimirum eiusdem vteri prærogatiua est; eóque grauior, quo discrimina nescit mater, ignorant vbera. Vtero & vberibus, non dignitatibus & opibus æquari, omni propè morte acerbius videtur. hinc illa exsurgunt odia, nonnisi morte & internecione partis alterius, aut vtriusque ponenda. Neque in magnos tantùm animos, sed & in viles odia cadunt. intuere sordidorum etiam operum artifices: vide in quantas exsurgant æmulationes, quantisq; odiorum stimulis

Odiorum materia honores & opes.

ſtimulis agantur, maximè ſiqua melior fortuna vicino acciderit, aut ſiqua ſpes illius, aut nuda etiam opinio; quæ ferè magnam ſiluam huic malo ſuggerit. vt verum ſit illud,

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in aruo,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Ita nudis omninò perſæpè opinionibus laboramus, idq; eo magis, ſi, quem ſocium habuimus, ſuperiorem habere incipiamus. naturale enim eſt odiſſe, quem times; &, quem metuis, infeſtare, ſi poſſis. & cùm multa in paritate eueniant, quæ dedeceant in ſubiectione, minor ſæpè aut naſcitur veneratio, aut metus oritur. Accedit intimorum frequenter receſſuum in paritate cognitio, in quibus permiſta virtutibus vitia plerumque natant, virtutibus maiora: cumq; vnuſquiſque plus ſibi quàm ſocio indulgeat, vitia non videt ſua, videt virtutes; vt hinc antelatum ſibi ſocium virtutibus inferiorem, vitiis maiorem non ferat. inſita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vidêre. quos ſi eum fortuna mores mutaſſe viderint & amicitiam, exaſperantur. hinc æmulatio & odia. Fateor non deeſſe qui odia hæc ament, & miſerum illum putent qui nihil habeat inuidendum. Hinc votum illud viri magni pro amico: *Deum rogo, vt quicunque non ſuſtinent te diligere prouectum, medullitus æſtuantes, à ſemetipſis liuoris proprij exigant pœnas; eumque nullas in te habuerint cauſſas miſericordiæ, habeant inuidiæ.* Vt infelicitatis non vltimæ ſit, miſerationis cauſſas habere; felicitatis, æmulos pati, & liuentium oculis, calamis, ore percuti: cùm ferè humanæ naturæ vitio probitas ſubiaceat liuori; vt inuidiam perpeti non rarò probitatis ſignum ſit, aut magnæ cuiuſdam felicitatis. Felicior ille tamen, qui dignitates opeſq; ita moderatur, temperatq; fortunam, vt ſe indignum illa fateatur; paritatiſq; veteris memor, nihil de conſueta beneuolentia dimittat, augeatq; etiam illam, & officioſa benignitate præueniat, opem etiam ſuam operamq;

Quorumdam opinione felices ſunt quibus inuidetur.

ramq; amico ſpondeat, ac vltrò etiam offerat, & beneficiis non cogitantem oneret, magnâ vbique humanitate, eóque maiore verborum ſubmiſſione, quo dignitas maior eſt. Nemini vnquam quidquam dignitatis ademit verborum modeſtia, nullius honorem minuit officioſa morum ciuilitas. præueniſſe honore, amorem prouocaſſe, honorémque ſibi auxiſſe eſt. ſequitur fugientem, fugit ambientem honor. Quòd ſi ſingulorum cultum ames, priùs ipſe colas. vbi ſenſerint, præuenient, & magno conatu præoccupabunt conatum tuum, gaudebuntq; præuenire, præueniri dolebunt.

Detractio vitanda. Rom. 1. Vitanda deinde in omni conſuetudine detractio, & quidquid illam redolet; cùm Paullus moneat, *Detractores Deo odibiles* eſſe. Poterat aliquid grauius dici? hinc illud Sapientis:
Prou. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.* &,
Prou. 24. *Cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repentè conſurget*
Eccli. 28. *perditio eorum.* Et illud, *Linguam nequam noli audire, & ori tuo fa-*
Ibidem. *cito oſtia & feras.* cauſſam præmiſit: *Ciuitates muratas diuitum deſtruxit, domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit.* Hæc de detrahentium lingua. tibi verò primus legem impone, oſtia obducito, & feras ori, linguæ fræna immitte. laudabis, ſi potes, omnes. non potes? ne damna. virtutes nullæ ſunt, vitia maxima? vtrumque preme. narrant alij? tu aliò ſermonem verte. inurbanum fors erit maiorum ſermonem tanquam iniectâ nouaculâ ſecare? tace. rogaris ſententiam, minue, aut mollioribus aſpera leni. nulli deeſſe lenitas conanti poteſt. viſa referuntur? tu ad humanam deflecte imbecillitatem, & virtutes alias oppone, ac in maximis etiam viris ſemper fuiſſe quod ignoſcendum eſſet. quòd ſi quis pergat damnare, tu vide, an non aliquid habeat laudandum qui damnatur; & pro damnandis laudanda ſuggere, etiã in inimico. Mirum quantũ hæ laudes ad odia ponenda, amorẽ conciliandum valeãt. Quid? quòd illi ipſi qui damnant, laudent taciti ſecum & mirentur, & amare fortiùs incipiãt, quem hoſtis ſui laudatorẽ ſenſerint.

Iam

Iam cùm in aliorum laudibus fueris effusior, parcissimus sis in tuis, imò nullus in tuis. nam quid laudes? opes & dignitates? stultum est alieno laudari, aut quæ in alium momento transferri possunt. equum laudamus, qui robore & cursu reliquos anteit, non quem aurei vestiunt fræni. vitem laudamus, si fructu palmites oneret, si ad terram pondere eorum quæ tulit, adminicula deducat, non cui auro tincta folia luxuriantur. propria virtus in vite & arbore est fœcunditas. In homine id quoque laudandum quod ipsius est, quod à nullius fortunæ manibus pendet. animi bona hæc sunt: quorum nemo in re sua iudex esse potest. ita cæcutimus in nostris. nam quæ virtutes nobis, reliquis vitia sunt. obtenebrat quemque amor suus, & densa tegit nube, spissaq; inuoluit nebula. Alienum ergo te os calamusq; laudet. nec sine rubore tamen illa admittas. plus laudis à verecundia accedet. Et sanè, aut vera tibi virtus insedit animo, aut vmbra tantùm illius, corpore suo vidua. si vera, luce suâ conspicua erit, auersabitúrque auxilium commendationis alienæ, suo contenta: ac lucebit etiam magis, extolleturq; in maius, quo texeris & depresseris magis. nam & hoc virtutis est. & quia virtutis, lucis etiam aliquid addit. sin vmbra est, nec aliud, magis se etiam prodet vmbra commendatione tua: laus enim prouocat ingenia, & inuestigandi propiùs stimulos addit. Scio mortalium plerosque falsis etiam laudibus delectari, non præsentibus tantùm, sed quæ in posteros eant. tu vera virtute delectare, & illa sola. humanas contemne laudes, maiores habiturus, quo magis contempseris. Sequitur contemptorem suum laus, eo magis, quo contemptus maior est. *Parcitas in laude propria laudata.*

Bilingues verò fuge. *Denotatio* enim *pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* & fortiùs: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbat pacem habentes.* Et quid indignius, quàm aliud clausum pectore, aliud linguâ promptum habere? Et quibus simulatio profuit? per- *Bilingues fugiendi.* Eccli. 5. Eccli. 28.

 paucis.

paucis.neque diu fefellit, vt inducta stibio facies, & producti oculi. Tegi veritatem verborum purpurisso, vt cineribus ignem, concedo. verùm erumpet eo potentiùs, quo densiùs tecta. Et sanè tenue omne mendacium est, si diligenter inspexeris; nihil enim solidi fraudes habent, quibus euenire mihi videtur, quod Sodomæ & Gomorrhæ; vbi pomum gignitur, quod licet speciem referat maturitatis, mandi tamen non potest. nam fuliginē intrinsecus fauillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel leui pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem. credas bilingui poma hæc nata, ita ad viuum illius exprimunt mores. extimis nimirum hic verbis amicum loquitur, probitatem imitatur: remoue hanc superficiem, hostilia omnia reperies. caue proinde quisquis saluti studes. nam, vt diu latere non possit, si propiùs inspexeris; primo tamen accursu improuidos ferit. ingeniosior enim ad excogitandum simulatio veritate, vt seruitus libertate est. Videbis enim non rarò facies fingi, & ad austeram quamdam maturitatē compositas, intus libidine, crudelitate, inuidia inæstuantes. deuita. nocent attactu. sub his coloribus suauè ridentibus venena latent: ne crede. non fallent, si fidem negaueris: minùs etiam, si contraria dictis cogitaueris. Nec magnâ hæc habēt opus arte. affirmant? negasse crede. negant? affirmasse. spondent? nihil spera. iusiurandum interponunt? minùs etiam assentire. quoq; fortiùs & splendidiùs addixerint, hoc plus insidiarum metue. fuge Tiberios hosce. sanguine ferè finiunt & ferro. &, vt quidam: *Speciosa verbis, re inania ac subdola; quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius seruitium.*

Simulatio ingeniosior veritate.

Prou. 26. Benè & verè Sapiens: *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis; quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius.* Quis profundum hoc tanget? ô caue. & omnium hic simulantium mos est: & ferè in magnis verborum officiis simulatio latet.

time,

time, quiſquis præter morem ſpecioſioribus verbis, tanquã floribus integeris. Memento aucupum; dum ludunt, fallũt; nec niſi ludant, fallunt. nil poſſunt ſine cantu retia: cantata fallunt; non fallent muta. Idem in homine. nimia ciuilitas hoſtile ſonat. ſimplex veritas eſt, & aliquid incomptum, & (vt ita dicam) ruſticitatis permiſtum habet. Tu ante omnes candorem indue, nihil in verbis fucatum, ac quaſi calamiſtris inuſtum. Neque humilis tantùm & parui animi, ſed ſeruile vitium mendacium eſt, indigniſſimun libero ingenio, & educatione liberali. Sed hæc ætas alios mores depoſcit. falleris. etiam illi ipſi fallendi artifices candorem in aliis amant & venerantur; ac, ſi qua dignitas ſperanda, in hos malunt, quàm ſibi ſimiles collatam. metus enim his à paribus: ab aperti pectoris & oris metus nullus. amant ergo hos, licet non imitentur; oderunt, quos imitantur: è ſuo enim ingenio reliquos metiuntur, verenturq; ne ſuis artibus cadant. &, quod ille de Principe, *Nunquam deceptus eſt Princeps, niſi qui prius antè decepit*, de ſe riualibuſq; cogitant; decipiendos ſe ab illis arbitrantur, fraudum ſuarũ conſcij. quas cùm ab aliorum manu vereantur, oderunt in illis damnántque vitia ſua, iudices facti delictorum ſuorum. colunt reliquos, à quorum moribus fraus & doli exulant, & delectantur etiam conſuetudine talium. fugiunt fingendis virtutibus ſubdolos, quòd è ſuo ingenio ſciant in ſcelera erupturos, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tandem ingenio vti liberè poterunt.

Illorum autem amicitiam ne ſperes, quos ſola munera iungunt. benè Iſidorus: *Non ſunt fideles, quos munus, non gratia copulat; nam citò deſerunt, niſi ſemper accipiant.* Fortunas hi & opes tuas, non te amant. imò ſe in tuis omnibus amant, te non amant. nemo amat, qui, vt rebus ſuis ſtudeat, nudatum ſuis amicum vellet. tales reperies munerum amicos: exuaris omnibus, modò illis omne accedat quod decedit tibi, benè eſt. nec tam quantum tu dones, ſed quantum ipſi accipiant *Infida amicitiæ pignora, munera ſunt.*

C 2 in-

intuentur. Et ferendum fors esset, si qua apud tales acceptorum memoria resideret. erras, si hoc putas: perit cum munere, nec longior memoria munere est. Magnæ heredis è remoto venientis lacrymæ sunt; intus natat gaudio, oculi mœrorem mentiuntur. idem in re dispari, in his munerum vulturibus reperies. accipiunt tanquam perpetuæ memoriæ reconditur, æternæ recondunt obliuioni. Quid? quòd in ipsa propè manu pereat memoria, &, vt lacrymas genæ siccant, sic auidæ manus hæ memoriam detergunt. vt enim reposuerint munus, mortuo immersum mari arbitreris, tanquam si ipsum munus memoriæ inimicum memoriam perimat.

Vis deinde videre quantum illi ament? accedat iuratus tibi hostis, & maioribus, semper extensas, semper vigilantes has impleat manus, ex amicis hostes experieris. quòd si nouis exinde maioribusq; beaueris, amicos rursus reperies. Fuge hos ementiti amoris fluxus ac refluxus, Euripæa pectora: mergent, non seruabunt; non deuehent, deprimment nauigantem. Nihil enim magis infidum hoc hominum genere. irrespirabile hoc profundum est, si semel te credideris.

Munera sæpè viam sternunt virtuti ad magna.

Et tamen inhumanis non omninò negligendi, qui multum accipiunt, cùm multùm possint; non tam vt prosint, quàm ne obsint, imò & vt in bona caussa prosint. nam licet amor tui ad iusta obsequia præstanda non impellat, impellunt non raro munera. &, quod nec æquitas, nec ratio, nec insita tibi virtus, non vitæ morumq; integritas, non montium instar tua maiorumq; merita, munera poterunt. Nam vt à sola virtute omnia speres, falleris. aliud sæculum quære. virtuti meritisq; si munera iunxeris, magna spera. ex hoc felici connubio, fœcundi partus prosiliunt patrem fortunaturi. Iterari tamen in his potiùs munera probo, quàm vno sinu profundi. recentior enim memoria ex repetitis exsurgit. Sed hæc tamen omnia in caussa bona, nec alia, & vbi

virtus

virtus promeretur, ſed incomitata deſtituitur. claudant illi munera latus, & ſponte ſua, nullo alio impellente, reſerabuntur clauſa antè oſtia. Nam & pannoſa pleriſque virtus ſolitaria eſt. & quis ſæculi magnorum admittet? non intrat magna atria trita lacerna. adde ornatum, & comitantium turbam, nullo impulſu patebunt omnia, adeóque & domus intima. ô mores! & ferre tamen cogimur. & ni virtutem alienis veſtiueris, nuda vapulabit, eſuriet, concreſcet frigore. Verùm indignum, virtutem aſcititiis induere, cùm ſeipsâ ſplendidior, quàm alienis ſit. Quid agas? & quos ad Rempublicam vis accedere? improbos largè profundentes? probos? niſi probitatem ampliter veſtiuerint, nequidquam ſpera. Ergo, aut probitas muneribus veſtienda, aut ferenda improbitas. quæ cùm noxia in primis Reipublicæ ſit, veſtiamus probitatem non tam ſuo, quàm Reipublicæ bono: & feramus hanc ſæculi noſtri exaſperatam ſcabiem non niſi fomentis mitigandam. ita tamen, ne amicos ſperemus, quos ſola munera iungunt: nec vlla munera eant in cauſſa non iuſta. Sed nec vllis muneribus Iudex parandus. ne ſi paratum quidem reperias, & ſe ipſo ad illa currentem. nimis illa improbitati adnexa. & neſcio quæ lex permittere Iudici munera poſſit. nulla hoc ſæcula probarunt: damnarunt omnia. & prodigium ſit æquitatem inter munera ſtare, etiam in probo. Nam quod de muneribus dixi, in gratuitis dixi, & vbi nulla partium apud Iudicem concertatio.

CAPVT III.

Quomodo amici parandi, fouendi, noſcendi?

O, Quis integra rate magnum hoc enauiget æquor amorum? quàm varius in his fluctibus ludit error, dum mentiuntur tranquillitatem, & momento in tempeſtates exſur- *Rara in humanis amicitia.*

exsurgunt, cælo propè metuendas! ô, quis modum insidiis ponet? quis monebit tempori? quis luctantes eruet? etiam rupes & montes deuerrunt dolosi fluctus, & excutiunt tanquam pilas, aut calcant tanquam herbam pedibus natam. ne fide, quisquis te, salutemq; tuorum amas. nec te facilè credas fraudulento huic amorum Oceano. merget vbi lusit, & inter oscula venena iaculabitur, inter amica pocula toxica propinabit. ne fide. Secura bolide tentandum hoc humani pectoris profundum, hæc amicitiæ ostentatio. intus non rarò secures, ignes, ferrum, reliquaq; nocitura latent; eo nocentiùs, quòd ridente vultu opprimant incautos. Certè vt nihil amicitiâ, quæ secundas ferè res splendidiores facit, aduersas leuiores, nobilius, si vera est; ita nocentius nihil, si sub honesto nomine hostem tegat, & inimicum intùs alat, qui amicum foris profitetur. Hinc illud verum nimis Magni Leonis: *Plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto*. Insidiator est, qui sub amici fronte, inimicum intus alit; qui amorem oculis, fronte, verbis loquitur; odia pectore circumfert, quæ oportunitatem nactus, effundat in nimis credulam mentem. in hunc quæ robora sufficiant? Incauta ferè generositas est. &, quo fortior quisque, quo animo celsiore, hoc plus insidiis patet. ex se enim cùm metiatur omnes, candorem suum legit in omnibus; nec dolos metuit, quibus caret; ignoratq; insidias, quas nullas defert, nulli parat. indignas enim arbitratur viro forti fraudes, & dolis se tegere cùm viribus possit, ignauissimi pectoris esse putat. quo fit, vt faciliùs in infidi amici insidias prolabatur. nam & aperta nemo mouet vir fortis bella in illum qui apertè amicitiam testatur; & dolo circumuenire non est viri, vixq; adeò dolum dolo pellere. Hinc difficillima omnino ratio se suaq; tuendi à dolosa mente, amorem verbis mentiente. nam ab armato hoste & ferrum ostentante, armis tueri se quisque potest, & fortunam experiri; &, vt infelicissimè omnia cadant, fortium, non pecorum more inglorius, cadere

Simulata amicitia noxia.

Generosior quisque minùs cautus est.

Difficile est cauere mentitum amorem.

cadere. At à simulato amico quæ vis se tuebitur? vt meritò moneat Cicero, *nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quàm adulationem, blanditias, assentationem. Delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. nam cùm amicitiæ vis sit in eo, vt vnus quasi animus fiat ex pluribus; qui id fieri poterit, si ne in vno quidem vnus animus est, idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam deuium, quàm animus eius qui ad alterius, non modò sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum conuertitur?* Adulationem ergo, Cicerone teste, amicitia non admittit. & quis adulatorem amicum alteri credat, qui sibi soli amicus est, fortunis honoribusq; suis, sibi amica depromit verba; mentitur sibi, commodis nimirum suis? Iam cùm veritas amicitiæ fundamentum sit, nemo non videat, adulationem, quæ è continuis propè dictorum factorúmque mendaciis contexta est, amicitiæ non sociari: pugnant enim mendacium, & veritas. pugnam verò amicitia non admittit, quæ animorum sincera mutuáque assensione continetur. Et certè pessimè de amicis merentur adulatores, quos doctis circumueniunt dolis. vt benè Cato, *multò meliùs de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos qui dulces videantur: illos verum sæpè dicere, hos nunquam.* Vt, si alterutrum vouendum sit, inimicitiam palàm professi, quàm adulatores eligendi sint: illorum enim, vt dixi, hostilitatem, aliâ repercutere aut declinare difficile non est: hostiles insidias sub amico vultu effugere difficillimum.

Adulatio & amicitia non coalescunt.

Illud etiam non minùs arduum, amicum verum à fraudulento dignoscere. vtrimque ferè comitas, vrbanitas, amica verba: in vero tamen seuerior quædam benignitas, & tanquam casta matronalis beneuolentia, maturiorq; ac seria dictio; in falso, tanquam lupanaria, supra castimoniam blanda, & quæ fucum, & artis plurimum secum trahat. natiuum in illa decorem videbis, stabitq; licèt integro Oceano laueris: in hac picturatum, cuius exiguo stillicidio decus omne

Discrimen inter amicum verũ, & simulatum.

omne elues? eminus, fateor, intuentibus, par forma; propiùs, diſcrimen ingens eſt. Verba dein factis compone, & intelliges. in aduerſis denique animum vtriuſque cognoſces. diſcernunt hæc amicum ab hoſte. Sic incurſantes tempeſtates naucleri peritiam retegunt. at antè cognoſcere oportuit: ſerò enim imprudentiam ingemiſcimus, & de alio gubernatore cogitamus, cùm illiſam ſcopulis nauem videmus. Quod in nauclero, fac in amico. experimentum ab alio ſume, vt alieno exemplo edoctus, pericula deuites. vide quomodo ſe habuerit in aliorum amicitia. ſteterit? an dilapſus in aduerſis fuerit? prolabanti amico dexteram porrexerit? an magis etiam impulerit? cauſſam ruinæ dederit, aut non dubitauerit periclitari cum amico? opes, famam, vitam in amici diſcrimine vltrò, aut rogatus proiecerit? an deſtituerit labantem? & eadem expecta.

Vt verò in te ipſo certius periculum facias, & ex te diſcas quid ſperare, quid timere debeas, finge metum, denuncia aduerſa, propone minitantia damna, oſtenta pericula, pendula iam, & in caput tuum ruitura, in opes, in familiam, in vitam; & fidem diſces. vultu, verbis, factis oſtendet. per teipſum hæc aliquando denuncia, per fidum aliquem nonnunquam; & non magno molimine animum ſuum prodet, maximè ſi conſilium & opes depoſcas.

Vide deinde, te, an fortunam tuam amet, qui amat. de quibus illud Ariſtotelis eſt: *Qui ſunt ob vtilitatem amici, ij ſimul cum vtilitate diſſoluuntur: non enim hi ſeſe mutuò, ſed vtilitatem amant*. & audet Cicero, *peſtem maiorem eſſe nullam in amicitia, quàm in plerìſque pecuniæ cupiditatem*. & alibi: *Plerique in rebus humanis nihil quidquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit; & amicos tanquam pecudes, eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe magnum fructum eſſe capturos: itaque pulcerrimâ illâ, & maximè naturali carent amicitiâ, per ſe, & propter ſe expetendâ.* Carent omnino hac veráque amicitia qui commodis, opibus, honoribus ſuis ſtudent. nil mirum, cùm totus amor mu-

muneribus claudatur; ſi ceſſantibus muneribus, amare deſinant. tolle fundamenta, quæ domus ſtabit? amicitiæ huius fundamentum munera ſunt, quæ qui ſuſtulerit, inædificatum illis amorem euertet. qui etiam, ſi maiora ab hoſte tuo ſperauerit, vertet amicitiam, & odium pro amore reponet. nil mirum, cùm ſola munerum magnitudine amorem metiatur. vbicunque proinde donorum plus erit, plus amoris oſtentabit. menſura nimirum amoris illius munera ſunt, qui pro horum magnitudine creſcit decreſcitq;. Nulli horum fide, nullum lateri tuo adiunge; plumâ hos tenebis, non corpore; ac ne plumâ quidem, ſi dona ſteterint. & non deſerent tantùm, nudumq; latus tuum feriendum præbebunt, ſed vendent etiam hoſti, ſi præmia acceſſerint. Non malè de his Seneca: *Parauit amicum aduerſus vincula laturum opem: cùm primùm crepuerit catena, diſcedet. Hæ ſunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Qui cauſſâ vtilitatis aſſumptus eſt, tam diu placebit, quamdiu vtilis erit. Hac re florentes, amicorum turba circumſedet: circa euerſos ingens ſolitudo eſt. & indè amici fugiunt, vbi probantur.* Ita eſt, commodorum ſuorum amici, vt primùm aduerſa inſonuerint, amici eſſe deſinunt. cùm enim tota amicitia ſuis contineatur commodis, ſpe vtilitatis ſublatâ, alio amicitiæ transferuntur. Quid? quòd odia pro amore inſurgant.

Metus deinde omnis abeſſe ab amicitia debet, ſi vera, perfecta, & non vulgaris eſt. *Quis enim diligat, quem metuit? aut eum, à quo ſe metui putat?* Ciceronis eſt. Vbi enim metus eſt, fiducia eſſe non poteſt. de qua illud eiuſdem: *Firmamentum ſtabilitatis conſtantiæque eius quam in amicitia quærimus, fides eſt: nihil enim ſtabile eſt, quod infidum eſt.* Sed neque committi quidquam infido poteſt; in amicitia autem abſoluta committi omnia poſſunt. colunt tamen tales externa quadam verborum pompa & ſimulatione amicitias; ſed ad tempus duraturas. *Quòd ſi fortè, vt fit plerumque, ceciderint, tum intelligitur quàm fuerint inopes amicorum.* Ciceronis verba ſunt; *Vera amicitia ignorat metum.*

& vera nimis. Et ſanè, nemo ſe ſuaq; tutò credidit, ſi intercurrat metus. vacuum à timore pectus ſit, quod ſua explicet. nam ſi præcordia obſedit metus, nihil ſincerum ſpera: aliud promittent verba, frons, oculi; pectus loquetur aliud. quod cum amicitia validè pugnat. Hinc benè apud Ciceronem Lælius: *Duo tenenda in amicitia, ne quid fictum & ſimulatum ſit, ne quid ſuſpicioſum.* quæ metum comitantur. ſimulatio enim timoris comes eſt. idem de ſuſpicione dico. vbi enim metus, ibi ſuſpicio. Sed & qui timeri ſe putat, ſuſpecta habet omnia: neque quiſquam prudenter ſibi perſuadeat, timeri ſe & amari. & quis in illius, quem timet, ſinum ſua deponat? metus fiduciam excludit. Vt veriſſimum illud: *Aliter cum tyranno, aliter cum amico viuitur.* in illo metus amorem ſimulare cogit: in hoc fiducia nihil clauſum tenet; aperit animorum ſcrinia, & expandit quidquid metus in illo clauſerat, ac tanquam animo ſuo, recondita reſerat, pari, qua ſecum confidentia.

Quales amici deligendi.

In delectu verò amicorum, Cicerone monitore, *cautio adhibenda, ne nimis citò diligere incipiamus, neue indignos. Digni ſunt amicitiâ, quibus in ipſis inerit cauſſa cur diligantur.* Virtus hæc eſt, & ea ſola. de qua illud eiuſdem: *Nihil amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum; quippe cùm propter virtutem & probitatem, eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodò diligamus.* Et illud: *Hoc primùm ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe, nec ſine virtute amicitia eſſe vllo pacto poteſt.* Deligendi ergo viri boni, & in quibus virtus ſedem fixit. Addit: *Sunt firmi, & ſtabiles, & conſtantes eligendi; cuius generis eſt magna penuria. & iudicare difficile ſanè niſi expertum; experiendum autem eſt in ipſa amicitia: ita præcurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi poteſtatem.* Planè ita eſt. ingens conſtantium penuria eſt, & de quorum ſtabilitate & robore magna tibi promittas: *Vbi enim eos inueniemus, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes amicitiæ non anteponant? vt cùm ex altera parte propoſita hæc ſint, ex altera ius amicitiæ, non multò illa malint?*

malint? atque hi ſtabiles eſſe non poſſunt, non in amicitia conſtantes, quos ſperatus honos & opes aliò vertunt: quare nec in eam admittendi. Plato verò ſolos bonos diligendos vult; verba illius ſunt: *Solus bonus ſoli bono amicus eſt; malus autem nec bono, nec malo vnquam reuera amicus efficitur.* Non bono; neque enim bonum, & malum coaleſcunt: maior inter hæc pugna eſt, quàm vt in vna ſtabulare mente poſſint. at amicorum mens vna eſt, ſi amici ſunt. Non malo; neque enim improbitas vna, alterius contubernio gaudet, aut amica vna alteri eſt. Eſt hinc illud Salluſtij: *Inter bonos amicitia, inter malos factio eſt.* amor rationi innititur, improbitas ab illa recedit. Soli ergo boni cùm amici eſſe poſſint, ſoli in amicitiam ſumendi. nam, vt verè Cicero: *Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur: quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias. nec ob aliam cauſſam vllam, boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorúmque diſtantia.* Cùm ergo, eodem teſte, nihil aliud ſit amicitia, *niſi omnium diuinarum humanarúmque rerum, cum beneuolentia & caritate ſumma conſenſio*; vbi morum diſſenſio eſt, amicitia eſſe non poteſt. Hinc Apoſtolus: *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Si ergo iuſtum iniuſto, probitas malitiæ non miſcetur; nec iuſtus iniuſto, nec bonus malo miſceri poterit. infeſtiùs hæc diſſident, quàm vt coadoleſcant. Quòd ſi bonus malo aſſueſcat, periculum longè maius eſt, vt huic ille, quàm vt hic illi moribus aſſimiletur: plus enim malitia in imitationem & ſequelam, quàm bonitas poteſt, ſeu naturæ vitio, ſeu educationis malignitate, ſeu quadam titillatione mali. vt benè ille:

Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vua.

Magis etiam improbi mores affricant malignitatis ſuæ aliquid. ita zizania fœcundiùs creſcunt, adoleſcunt citiùs, & boni ſeminis naturam in ſuam vertunt. Et quantis medicamentis, quàm validis opus, vt modicum venenum vincant & ſubigant? quantâ aquâ, vt incendia paruo nata extinguant?

Soli boni in amicos deligendi.

2 Cor. 6.

Vitia malignitatem affricant.

guant? cùm veneno interim minimo, scintillâ minimâ, damna & incendia exsurgant maxima. Et non validissima quæque, & sæculorum opera ab inualido cadunt? à lento stillicidio saxa & ferrum, à tinea & blattis prædura robora. Idem in moribus inuenies. est hinc illud Plutarchi: *Talis eris, qualis consuetudo qua vteris; cum literarum studiosis libros euolues, cum palæstritis colluctaberis, cum venandi cupidis feras persequeris, cum potatoribus inebriaberis, cum ambitiosis magistratum ambibis.*

Psalm. 17. & illud Psalmi: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris:* maximè, siqua amicitia intercedat, quæ morum similitudine gaudet. Ita Commodus Imperator, vt reliquos taceam, domesticorum improbitate periit; suorum consiliis Roboamus. Benè hîc more suo Seneca: *Amicos vacuos à cupiditatibus, quantum fieri potest, eligemus: serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque, vt in pestilentia, cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, vt quàm minimè inquinatos assumamus. initium morbi est, ægris sana miscere.*

Tristes amici vitandi. Prudenter, & Christianè. Addit: *Præcipuè tamen vitentur tristes, & omnia deplorantes, quibus nulla non caussa in querelas placet; constet illi licet fides & beneuolentia, tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus, & omnia gemens.* Hanc animi pacem qui adimit, qui interturbat; quod in amicitia maximè optandum est, euertit. non potest serenitas è nubilo sperari; pluuia, & nebulæ timendæ sunt. Scio raró amicitiam inter homines firmari. Hinc illud Senecæ: *Nescis quantum sit pretium amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantùm, sed & sæculis raram.* & Ciceronis: *Ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor numerantur amicorum paria.*

Amicorum paria rara numerantur. Plutarchus Theseum & Pyrithoum numerat, Achillem & Patroclum, Orestem & Pyladem, Damonem & Pythiam, Epaminondam & Pelopidam. omnibus retrò sæculis tam

pau-

paucos. quo maior felicitas est inuenisse amicum. A raritate pretia veniunt. vt enim peregrinitas res auget, accendit vota, amorem prouocat; ita raritas in desiderium suum impellit. *Amicus* enim *fidelis medicamentum vitæ, & æternitatis est.* Dulcis vita amico sociata. morborum omnium, dolorum omnium leuamen vnicum amicus verus; quo vno, amara dulcescunt, mollescunt aspera, leuigantur scabra, prosperantur aduersa, hilarescunt tristia, siccantur lacrymæ, & mors ipsa in amati sinu, vita potiùs quàm mors est. Non moritur amans, qui æternùm in amati pectore viuit: vt amasse, vixisse; æternùm amasse, vixisse æternùm sit. sed & quicunque amat, amat æternùm. nemo enim verum amorem posuit vnquam: nec quisquam veste se illius exuit, qui induit semel. Comitatur amor mortuum. cùm enim in anima amor transfigatur, & hæc viuat æternùm; viuere etiam amorem dicam æternùm, si verus est, ex virtute nimirum natus; quæ cùm mortuo societur, sociatur & amor virtuti insertus, tanquam non moritur æ arbori non moriturus surculus. Hinc illud Ciceronis: *Veræ amicitiæ sempiternæ sunt.* Neque enim moritur virtus, cui amicitia inædificatur. In quam rem illud eiusdem: *Virtus conciliat amicitias, & conseruat: in ea est enim conuenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia.* & alibi: *Virtuti opera danda est, sine qua neque amicitiam, neque vllam rem expetẽdam consequi possumus: ea verò neglecta, qui se habere amicos arbitratur, tum se denique errasse sentiet, cùm eos grauis aliquis casus experiri cogit.* addit: *Virtutum amicitia adiutrix à natura data est, non vitiorum comes.* Sola igitur virtus amicitiam admittit, sola tuetur & fouet, extra quam vera amicitia nulla est.

Eccli. 6.

Amicitia quæ bona progignat.

Qui amat verè, æternùm amat.

Non ignoro, vix sperari amicitiam æternam posse, nisi in optimis viris. nam & verè Lælius monet: *Videre licet eos, qui anteà commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, sperníque ab iis veteres amicitias, & indulgeri nouis.* Putas hos fuisse amicos? Nemo amicus cum fortuna

Soli viri boni æternũ amant.

 ami-

amicitiam mutauit. si fecit, fortunæ amicus fuit, non hominis. Et Scipio, magnus amicitiæ cultor, audet dicere, *Honoris certamen & gloriæ* ex amicis inimicos dedisse: ex eo enim *inimicitias maximas inter amicos extitisse* narrat. Ego verò tales amicos fuisse nunquam dixero: nunquam Cæsarem, & Pompeium, matrimonia licèt intercesserint, & connubialia mutui sanguinis vincula: nunquam Syllam & Marium, militiâ licèt arctissimâ aliquando iunctos. disiunxit hos speratus honor, & simul Rempublicam secum traxit. Vt plures longè vera deposuerint odia, vel Reipublicæ, vel aliâ caussâ, quàm propositis opibus & dignitatibus vulgarem etiam amicitiam tenuerint. M. Æmilius Lepidus, & Fuluius Flaccus Censores renunciati, diuturnas inimicitias in campo deposuerunt; cùm putarent, non oportere eos priuatis odiis dissidere, quos publica potestas iunxisset. Liuius quoque Salinator cum Nerone Consul factus, difficillimo Reipublicæ tempore, iniuriarum vltro citroq; acceptarum immemores, mutuis consiliis ferroq; Hannibalem vinci posse docuerunt, cùm priùs odiorum obliuionem sibi imperassent. Clarum illud Africani cum Tib. Graccho: *non contentus enim Scipio, auctore Senatu, in Capitolio Iouis epulo cum Gracco concordiam communicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibi despondit.* Cicero etiam repetundarum reum Gabinium, à quo vrbe pulsus fuerat, summo studio defendit: Vatinium etiam, infestissimum sibi hostem, publicis iudiciis duobus tutatus est. Factum idem à P. Pulcro, qui Lentulum, à quo accusatus fuerat, ambitus reum protexit. Caninius verò Gallus C. Antonij, quem damnauerat, filiam in vxorem duxit, & M. Colonium, à quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem statuit. Nescias, reus an iudex clarior. Illud M. Marcelli in vniuersam gentem illustre. accusatus à Siculis patientissimè tulit, supplices in clientelam recepit, fortitusq; prouinciam collegæ cessit, pulcro in posteritatem clementiæ, bonitatis, amoris & integritatis exemplo.

Veri amici non sunt qui cum fortuna mutantur.

Exempla eorum qui reip. caussa odia posuerunt.

Val. l. 4. cap. 2.

emplo. Nobilissimum verò hoc Macedonici Metelli est: ad graues testatasq; cum Scipione inimicitias virtutum æmulatione, progressus fuerat; vbi tamen interemptum domi accepit, *in publicum se proripuit mæstoque vultu, & voce confusa, Concurrite, concurrite, inquit, ciues, mœnia vrbis vestræ euersa sunt: Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria vis illata est. filiosque suos monuit, vt funebri eius lecto humeros subiicerent: adiecitque non fore, vt postea id officium ab illis viro maiori præstari posset.* Val.lib.4 cap.1. Hæc post acerrimas inimicitias, post innumera propè togata prælia. tanta nimirùm vis virtutis est, rapit etiam nolentem in admirationem, venerationem, amorem sui. de qua illud Lælij: *Vos hortor, vt ita virtutem colatis, sine qua amicitia esse non potest, vt, eâ exceptâ, nihil amicitiâ præstabilius esse putetis.* quâ sublatâ, eodem teste, *omnis à vita sublata iucunditas est.* Nam quod solidum gaudium è dissentientibus animis nasci potest? nunquam verè exhilarescit animus metu, suspicionibus, sollicitudine circumseptus. Omne proinde verum animi gaudium ab amore est, cuius magnitudo & præstantia *ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis est, quæ tam firma ciuitas, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit euerti? ex quo quantum bonum sit in amicitia, iudicari potest.* Ciceronis sunt; & vera nimis. Verissima etiam morientis Micipsæ verba: *Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt; verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio & fide parantur. Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Amicos, non priuatorum tantùm, sed regnorum præsidia dixit. non aurum, non arma. Docemur hoc vernaculis omnium gentium historiis, quæ auro armísque perierunt. *Amici regnorum præsidia.* Regna, amore parta, amore steterunt: aurum & immodica auri sitis pleraque perdidit. armis euersa longè maxima: amor firmauit, & in posteros transmisit. Nec vllum vnquam munimentum amore certius. Vicinorum Regum ac Principum

cipum

cipum amicitia pro vallo & ferro ſemper fuit: quæq; aurum & arma perdiderant, reſtituit amor, omnibus validior armis. nam & ab armis arma cadunt, & inter militares armatas cuſtodias nihil ſatis tutum eſt, metus ab ipſis eſt; cùm quæ in tutelam delecta, in interitum non ſemel Regibus fuerint. ab amore timor nullus, & certiùs media inter arma inerme pectus amore cinctum ſtabit, quàm inter inermes manus armata ferro dextera ſæuire docta, timeri aſſueta.

Quæſit vera amicitia. Vis autem ſcire, an verus ſit amor, amicitia vera? audi Bernardum: *Illa eſt vera amicitia, quæ nihil in rebus amici quærit, niſi ſolam beneuolentiam, ſcilicet, vt gratis amet amantem ſe.* Gratuitus amor eſt, ſi amor eſt; gratuita amicitia, ſi vera eſt. nam, ſi cogitata præmia, aut ſperata intercurrunt dona, fortunarum & honorum amor eſt, animorum non eſt: adeoq; amantis amor eſt, nec aliud. ſic enim amat, qui pecuniam amat, qui dignitates; & in has ſolas talis fertur amor & amicitia. at amicitia ad ſeipſum nulla eſt, aut non vera eſt; cùm omnis amicitia mutua ſit, & alium circumſpiciat cui ſocietur, & in quem ſe diffundat, non inferiore fiduciâ, quàm in pectus ſuum. neque enim animorum diſcrimina vera amicitia nouit, non fortunarum, neque honorum. Eſt hinc illud Ariſtotelis apud Senecam: *Amicus eſt vna anima in duobus corporibus habitans.* Se proinde quiſquis amat, & amatum vnum cogitat, intuetur vt vnum, fertur vt in vnum. neſcit amor plures. ſe in alio, alium in ſe contemplatur; ſeq; ex alio, alium ex ſe metitur: *idem enim velle, idemque nolle, ea demum firma amicitia eſt.* Morbo detinetur vnus? detinentur duo.

Amicus amici bonis gaudet, malis deiicitur. aduerſa premunt vnum? ſenſus in vtroque eſt. mœror occupauit vnum? occupauit vtrumque: vtrumque riſus, vtrumque lacrymæ. proſpera, lætáque tenent vnum? tenent vtrumque. opes creuerunt vni? accreuerunt vtrique. honor delatus vni? delatus vtrique eſt: nam & gaudia & dolores, opes & paupertatem, proſperaq; iuxtà ac aduerſa amici, ſua credit amicus, habetq; pro ſuis: neque minor illi

dolo-

doloris ac lætitiæ sensus in amici periculis, damnis, lætioribus progressibus, quàm in suis. communia namque, vt dici solet, inter amicos amicitia facit. Benè hoc parentum liberorumq; similitudine expressit Seneca: *Sic amico communia sunt omnia, quomodo patri matrique communes liberi sunt; quibus cùm duo sunt, non singuli singulos habent, sed singuli binos.* Bene & eleganter. & alibi: *Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia; nec secundi quidquam singulis est, nec aduersi; in commune viuitur.* fit enim in his, quod Regum narrat historia: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Quid non potest amor? Postponit patrem Dauidi, illius honorem, opes, regnum, salutem, vitam Dauidi. Quid non audet amor? lætus hauriet venena & ferrum, vt amicum tueatur: lætusq; profundet vitam, vita vt viuat amicus longiore. cùm enim se in amico viuere arbitretur, & nobiliore in illo quàm in se vitâ, negligit suam, vt nobiliore in illo viuat. Opibus etiam exui gaudebit, dignitatibus spoliari, vt amico benè sit: cuius fortunas dignitatesq; suis cùm præferat, gaudet fraudari suis, si per hoc amico cõsulat. Quin adeò nihil sibi gloriosius arbitratur, quàm pro amici incolumitate sanguinem fundere. Habes huius amoris non ignobile vestigium in milite à Seneca expressum: *Bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, & transuerberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem.* non sola in illo fortitudo est, amor est; qui si abesset, fortiter cadere posset, sed non amaret eum pro quo cadit. dum cadit amore, amoris est; & in morte inter vulnera amare, amoris magni est. Ad quæ non impellit amor? hic ille est, qui tot Martyrũ millia inuolare docuit in ferrum, ignes, forcipes, candentes laminas, clauos, serras, vncos, secures, tanquam in rosas, lilia, violas. amati nimirum amor pectus obsederat. exolui illis poterant, & dignitatibus opibusq; donari, si non profiterentur amatum. fateri voluerunt, & ardere, & secari: delegerũtq; antè per omnia carnificũ tormẽta, & tyrannorũ

[Margin: 1.Reg.18.]

[Margin: *Verus amicus postponit sua amici bonis.*]

ingeniosam crudelitatem ire, quàm amorem suum non testari, imò quàm illum tegere. Hinc illæ lætitiæ inter tormenta voces, cùm suauiores rosis prunas amor faceret, mollius spongiâ ferrum, dulciorem saccaro liquatam picem, gratiora melle fella. Quid non potest amor? fornaces ardentes, craticulas, accensas lampades, lentos ignes, picatas vestes, rugitus & ora leonum, rotas & cruces pro amato toleratas, delicias fuisse tot Martyrum testantur historię. hinc illi inter ignes cantus, & carnificum risus, & pro mœroribus gaudia. nimirum non sentit corpus in neruo, in eculeo, in flamma, cùm anima amato suo adhæret, cùm conglutinata Deo amori suo est. contempsit corpus, quisquis mentem per amorem confixit Deo. Idem propè in humanis est: tanta vis amoris est, vt totam vbi semel possederit mentem, rapiat, & donet amato, vt dulce illi videatur pro amato procumbere. nescit amor metum; ignorat modum; omnibus se exuit, vt amatum induat; & iucundius illi in caussa amati omnia largiri, ne, si quid seruet sibi, prætulisse hoc, & amato magis amasse videatur. omnia ergo donat, vt omnibus cariorem sibi indicet amatum.

Amicum aduersa probant. Verum ergo amicum si scire voles, obiice aduersa. prodet se amicus, prodet amor, quem non certiùs côtinebis, quàm flammam. Factum à C. Blosio, Tib. Gracchi, dum viueret, amico, qui non veritus fuit pleno senatu, Lælio roganti fateri, *Quid si Gracchus templo Iouis faces subdere iussisset, obsecuturus ne voluntati eius fuisset? Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset.* perseueranti autem in interrogatione Lælio, *in eodem constantiæ gradu stetit: seque etiam hoc, si modo Gracchus mandasset, facturum respondit.* Audax dictum. sed magni amoris fulmen magnum in vniuersum senatum iaculatum. non probo; amicitiæ tamen magnæ testatio fuit magna. non dico veræ amicitiæ fuisse, quæ honesti regula continetur; fuit tamen affectus, ac necessitudinis maximæ signum maximũ, constantiæ etiam ac fidei documentum nobile. Simile ha-

Val. lib. 4. cap. 7.

bes

bes in eadem domo Pomponij & Lætorij in C. Gracchum, cui oppositu corporum suorum viam strauerunt. duo in tam multos; nec antè cesserũt, quàm & illi aditum præbuissent, & morte amicitiam signassent. fortiter; licet in non bona caussa. quàm verus amor fuisset, quàm laudata fides, si pro patria stetissent, cecidissent! Audax etiam factum in eadem Republica L. Rhegini, qui Cæpionem, post fusum deletumq; à Cimbris & Teutonibus exercitum, è publica custodia eripuit, & fugæ illius comes accessit. subdit Valerius: *Prô magnum & inexpugnabile tuum numen amicitia! Cùm ex altera parte Respublica manum iniiceret, ex altera tua illum dextera traheret, & illa vt sacrosanctus esse vellet exigeret, tu exilium indiceres.* Non dico fuisse verum amorem, qui Cæpionem vinculis eripuit, cuius ignauia tantùm-non Roma perierat: fuit tamen veteris arctæq; familiaritatis, fideiq; & audacis animi signum maximum. Generosum etiam T. Volumnij, & constantis in amicum animi factum, qui cùm ad M. Antonium pertractus esset, quòd M. Lucullum, qui Bruti & Cassij partes secutus fuerat, familiariter coluisset: *Iube me*, inquit, *imperator, ad Luculli corpus productum occidi. ductus quò voluerat, Luculli dexteram auidè exosculatus, caput, quod abscissum iacebat, subleuatum pectori suo applicauit, ac deinde demissam ceruicem victoris gladio præbuit.* Fugere poterat; noluit. siccare lacrymas poterat in amici morte; prodidit se lacrymis, & amauit lacrymas amoris proditrices, mortisq; caussam nimia pietas dedit. ô, si pro patria & Deo, quàm nobilis amoris victima caderet! Nescio, an Ser. Terentius Volumnio minor, cùm suum *pro Bruto corpus trucidandum equitibus obiecit*; irrito licet conatu, cùm agnitus viuere coactus fuerit. nec licuit fideli mendacio, obscuritate non satis suffragante, sanguine amorem testari. ô, si hunc virtus impulisset, & hæc sola! Lælium Scipionis amicitiâ, Agrippam Augusti, nobiles & felices taceo: nulla enim tam ingrata posteritas vtriusque constantiam, & pro amicorum salute perpetuam

in aduersis iuxtà ac secundis excubationem ac beneuolentiam tacebit. Illud etiam Damonis & Pythiæ sub Dionysio Syracusarum Tyranno, memoriâ & calamis dignissimum, cùm alter se pro altero capitis vadem dedisset, condictáque hora alter redisset, alterq; paratas pro amico ceruices nudasset. addit Valerius: *Admiratus amborum animum Tyrannus, supplicium fidei remisit, insuperque eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ, tertium sodalitij gradum intima culturum beneuolentia reciperent.* Vis magna, quæ etiam tyrannum rapiat in vota & sequelam; crudelitatem vertat in admirationem, odium in amorem, pœnam in amicitiæ beneficium, tormenta in venerationem. Nec in ingenuis tantùm, sed & in seruis amor valuit, & supra seruorum fidem fides stetit. Maximis sanè viris comparandus M. Antonij clarissimi oratoris seruus, qui in domini caussa vltrò se iudicibus obtulit: *Plurimis laceratus verberibus, eculeóque impositus, candentibus etiam laminis vstus, omnem vim accusationis subuertit. argui fortuna meritò potest, quòd tam pium, & tam fortem spiritum serուli nomini inclusit.* Quanta in seruo fides, amor quantus! ne proderet dominum reum, sæuissima subire maluit, ignibus amorem & fidem probaturus. stetit fortior ignibus & verberibus fides, & amor. Pares animo C. Plotij Planci à triumuiris proscripti serui: cùm diu multúmque torquerentur, prodere dominum noluerunt. poterant viuere, & opibus etiam donari, mori maluerunt. ***Verùm non sustinuit Plancus, tam fideles, tamque boni exempli seruos vlteriùs cruciari: sed processit in medium, iugulúmque gladiis militum obiecit.*** subdit Valerius: ***Quod certamen mutua beneuolentia arduum dignosci facit, vtrùm dignior dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur; an serui, qui tam iustâ domini misericordiâ quæstionis sæuitiâ liberarentur.*** Quos quibus præferam? dominum seruis, an hos domino? par vtrimque gloria in animo pari. Illud etiam omniũ meritò calamis nobilitandum, cùm Vrbinij Panopionis seruus, edoctus de militibus ad proscriptũ dominum occidendum

Val. lib. 6. cap. 9.

dum submissis, commutata cum eo veste annuloq́; *clàm postico illum emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & vt Panopionem occidi passus est.* Breue factum, ingens materia calamorum & oris, dignissimumq́; amplissimo monumento, quod Panopion posuit pietati, fidei, gratitudini. O magnum virum, si Senatore, aut equite Romano natus esset! imò maiorem, cùm in seruili pectore consulares animos tulerit & Imperatore dignos, omniq́; adeò purpurâ & sceptro digniores. Hoc est post mortem viuere, tam fortiter in aliena caussâ occumbere, suaq́; morte vitam domino parare. ô maior domino seruus!

Perfecti verò amoris & amicitiæ documenta sunt, vt nulli rei honestæ amans parcat in amati caussa, non laboribus, non opibus, non famæ, non sanguini. *At vbi illum inuenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid! quàm graues, quàm difficiles plerisque videntur calamitatum societates?* Et tamen sine hac lege vera cõsistere amicitia non potest: simulata potest, quæ minimo aduersarum rerum vento auolat & dilabitur; vera manet. Est tamen & alia, quæ vim suam morte testatur. Tib. sanè Gracchus, cùm sibi aut coniugi moriendum augures dixissent, mori maluit, vt vxor viueret. vt meritò Valerius inclamet: *Corneliam n scio vtrùm feliciorem dixerim, quòd talem virum habuerit; an miseriorem, quòd amiserit.* C. verò Plautius Numida, morte vxoris audita, ferro incubuit, vxorem secutus. factũ & à M. Plautio: *Quem amici, sicut erat, togatum & calceatum corpori coniugis iunxerunt, ac vtrumque vnà cremârunt.* Morte iungi maluerunt, quàm vitâ distrahi. Non probo; sed amoris cuiusdam, licet imprudentis, affectum designo. Illud in muliere portentosum: cùm Porcia Catonis filia virum suum Brutum occubuisse intellexisset, ferrumq́; deesset, ardentibus ore carbonibus haustis, spiritum obfirmato mori animo interclusit, & maritum sequi iussit. Vis quanta amoris! nescio, an non fortiùs tulisset mariti casum. Magis sanè ex virtute, cui vni verus amor innititur. Quid? quòd

Vera amicitia nulli rei honestæ parcet in amici caussa.

furoris ac desperationis aliquid in his mortibus, & vitæ tædia, & immoderati cuiusdam animi impotentia, & mens mœroris impatiens, dolorique succumbens, & victa malis, quæ ferro finem quærit, aut alio mortis genere. Hypsicratea tonsis capillis, equoq; & armis assueta, Mithridatem coniugem per efferatas gentes fugientem, animo & corpore secuta. Hoc etiam in mulieribus generosum. Cùm Minyæ, ob affectatum Spartanum regnum, publicæ custodiæ inclusi, capitali seruarentur supplicio, *coniuges eorum illustris ibi sanguis, velut allocuturæ perituros viros, impetrato à custodibus aditu, carcerem intrauerunt, commutatáque veste, per simulationem doloris velatis capitibus, eos abire passi sunt*. Addit: *Hoc loco quid aliud adiecerim, quàm dignas fuisse, quibus Minyæ nuberent?* Sociorum Iasonis sanguis, coniugalis amoris exemplū illustre. at ego nescio, an laudare viros possim, qui vinci se à coniugibus passi, viuere maluerunt, quàm sine coniugum periculo fortiter occumbere. vxores meritò laudem, quæ cum veste mulierem exuerunt, virum induerunt: non laudem viros, qui cum veste mulierem induerunt, exuerunt virum. & non fortiùs viri caderent, quàm deteriorem mentiti sexum, viuerent? non generosiùs vinculis, quàm feminea inducerentur veste? Quid ignauius, quàm vitam, coniugum veste mercari, suáque libertate pericula coniugibus accersere? Vt meritò laudem mulieres viros factas, damnem viros in mulieres commigrantes. simul enim cum veste migrauit animus, vt illi viri esse desinerent, illæ mulieres; illi feminæ esse inciperent, hæ viri, & viri fortes, etiam sub securi, & tortoris manu: latentibus interim profugis & ingloriis viris sub feminea veste. dignissimi hi omninò, qui feminæ essent; dignissimæ illæ, quæ viri nascerentur.

Sola honesta ab amicis petēda. Sequitur, Cicerone teste, amicitiæ lex altera, *vt ab amicis honesta petamus*, nec alia: & *amicorum caussâ honesta faciamus: nec expectemus quidem dum rogemur, sed studium semper adsit, cunctatio absit*. Inhonesta qui petit, amicitiæ limites, quæ soli rationi

rationi ac virtuti innititur, transgreditur. non amat, qui scelera ab amico sperat. odit quisquis criminum auctor est. neque enim hoc benè, sed malè velle est. at amicorum nemo malè amico volet, si amicus est. malè autem vult, qui scelera suadet. nam quod malum sceleribus grauius? aut quid funestius homini euenire potest, quàm domesticis intus fluctibus concuti, & perpetua mentis inquietudine iactari, omníque animorum tranquillitate ac pace nudari? à sceleribus hæc nasci scimus omnes. non est ergo amicus, qui in scelera impellit. omni hoste grauior est, qui sub amici persona, inimica consilia suggerit, qui caussam præbet, qui impellit. Et sanè mitior est, qui in corpus ferrum stringit, quàm qui sceleribus animam inuoluit. benignior corporis, quàm animæ mors est; nulla autem mors deterior, quàm quæ à scelere venit. Nemo ergo in hoc amicum amicus incitabit, si saluum volet, si fortunatum, si in magnis animorum opibus; & alta pace, si beatum denique. Atque hinc illud Lælij apud Ciceronem: *Hæc prima lex in amicitia sanciatur, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati.* Benè, & Christianè. æterna hæc lex veræ amicitiæ sit, & *nulla sanè est excusatio peccati, si amici caussa peccaueris.* Audiant Christiani, & imitentur: nec patiantur se à profunda gentilitate vinci, nec agnoscant amicum nisi iusta petentem; adde nisi casta. Audi eundem: *Ab iis, qui pecudum ritu, ad voluptatem omnia referunt, longè dissentimus. nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum ac diuinum suscipere possunt, qui suas omnes cogitationes abiecerunt ad rem tam humilem, tamque contemptam.* Quid ergo, qui in mutuas voluptates exardescunt? non se mutuò amant, cùm non rarò vitam in hoc æstu prodigant, & læti amicitiæ caussa sanguinem fundant: non magis, quàm bruta animantia, quæ paribus non rarò libidinum furiis aguntur. furunt illi, non amant; & ferarum more, vt optatis fruantur, irruunt in ferrum & venabula. Disces, si tales videris, opum, honorum, parentum, coniugum, filiorum, adeoq; & anima-

animarum salute postpositâ, non ire, sed fatuo ausu, cæcoq; impetu ruere, vt nocitura, & vnius momenti hilarem insaniam expleant. & ferè dum ardor his in summo est, peregrinari tales à mente sua videas, omni prudentia exutos, nec antè pericula nosse, quàm obruti illis & insepulti iacuerint; neque damna videre, nisi postquam acceperint; serâ pœnitentiâ, serâ sapientiâ; neque antè ad se hominemq; suum redire, quàm vel brutis simillimas voluptates expleuerint, vel magno nimis exsoluerint. quo ferè tempore & seipsos damnant, & facta nollent, & mœroribus obuoluuntur, & temeritatem admirantur, & erubescunt ad præterita.

Amico cōmittenda, quæ prodita ruborem non incutiunt, è non infimorum sententia. Quia verò humana incerta, dubij euentus, nec quidquã loco suo firmum ac stabile, ne montes quidem, rupes ac maria, quò minus mens humana, fluctibus perpetuò labentibus quàm rupibus similior; suadent prudentes, ne quis effundat in amici sinum quod cum rubore obiici ab hoste possit. Hinc illud Senecæ: *Ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis.* Et vetus illud: *Ita amicum habeas, posse vt fieri inimicum putes.* Hoc qui cogitat, non facilè pœnitenda amico committet. Et magnum omninò est, nihil vllo tempore pœnitendum alienis auribus & oculis committere. nam & qui hodie amicus est, inimicam cras induere mentem potest. commisisti dum staret amicitia, aliquid erubescendum? prodet, vt ex amico inimicum pudore suffundat. Caucbit ergo vir prudens, nec credet serâ pòst pœnitudine luenda. faciet si in omni homine censorem & hostem cogitauerit. Sed & prudens hic metus magnæ comes prudentiæ est. neque enim quisquam famulante hoc metu, incidet in prodendi, aut proditi secreti præcipitia.

Quanquam non diffitear, non credere me sinceram certamq; intercessisse amicitiam, quæ in odia exsurrexit. æternat enim amicitia, si talis est, etiam cum amico destituitur. stat enim illa in gradu, nec amorem ponit, altero licèt ponente: in quo verus amor nunquam fuit, si aliquando excidit;

excidit; magis, si in odia versus fuit. Familiaritas quædam & contubernatio fuit; amor non fuit. aut sanè amoris vmbra quædam fuit, & tenue magni corporis vestigium; nec aliud. aut, vt multum largiar, imperfectus quidam amor fuit; verus non fuit. Graue dices, modum illum in amicitia tenere, & intentum in omnem partem animum, operamq; dare, vt singula verba aures, oculosq; ac monentem pædagogum habeant. cùm amicitia expers curarum illarum meritò esse debeat, ac pari quisque cum amico qua secum libertate, seposita amici cura ac timore, versari in omnibus consueuerit. Ita est. sed, cùm amicitiam in sola virtute positam esse censeam, ea omnino libertate cum amico erit, qua secum in virtutum exercitationibus. quod qui fecerit, nec erubescet vnquam, nec pœnitendum quidquam amico committet; nam in sceleribus, ac prauis actionibus, etiam dum solus est, erubescet, & conscientiam domesticum improbitatis testem verebitur. Securissimos ergo & liberrimos in amicitia volo. fiet hoc, si sola virtute amicitiam metiamur, illiusq; terminis hanc concludamus. Quare venio omnino in eam sententiam, vt veras amicitias sempiternas cum Cicerone dicam: nihil proinde metuendum à vero amico esse, omniaq; tutò illi credi posse, cùm nihil extra virtutem credatur, aut non ab illa profectum: quod quacunque via proditum ruborem incutere non potest. vt verum sit illud Scipionis, qui Lælio referente, *negabat vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quàm eius, qui dixisset, ita amare oportere, vt aliquando esset osurus; quòd hoc præceptum ad tollendam amicitiam valeret.* Perpetuum enim metum hæc cogitatio animis ingenerat, & mentem ad omnia dubiam & attonitam, sibiq; aliisq; diffidentem statuit, omni fiduciâ ac tranquillitate procul pulsâ; quo fit, vt non postremus ille amicitiæ fructus pereat à Seneca recensitus: *Quantum bonum est vbi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat, quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas, quorum sermo solicitu-*

Vero amico omnia committi posse, censent viri magni.

citudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, aspectus ipse delectet! & alibi: *Si aliquem amicum credas, cui non tantundem credas quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiæ. Tu verò omnia cum amico delibera, sed de ipso priùs. post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. diù cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri, toto illũ pectore admitte, tam audacter cum eo loquere, quàm tecum.* Hinc Cicero: *Quid dulcius, quàm habere, quo cum omnia audeas sic loqui, vt tecum?* Si enim, vt cum futuro hoste loquendum, vt tecum loqui non poteris: neque enim periculum, vt quis hostis aliquando sit sui, & commissa animo suo prodat, factus accusator sui. Vtramque tamen sententiam non difficilè concilies; nam cum, Cicerone teste, inter solos bonos vera amicitia reperiatur, nil periculi est, ne quid verbo factoq; committant mutuò boni pœnitẽdum si prodatur. tutò proinde vir bonus committere omnia amico potest, nihil commissurus nisi bonum, si bonus & amicus amico esse velit. Committet ergo omnia amicus amico, sequeturq; Senecam: *Quia interueniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce, fidelem si putaueris, facies: nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis ius peccandi suspicando fecerunt.* Dignum Philosopho documentum. fiducia vna aliam excitat, vt amor vnus alium. Hinc benè dictum ab eodem: *Si vis amari, ama:* prouocat amor amorem, vt veneratio vna alteram: cumq; facile sit amare, erit etiam facile amari. mutuò se hæc incendunt, & ignem igni sufficiunt.

Non dico non solere aliquando bonos à probitate degenerare, & vtrumque etiam amicum virtuti renunciare. nimis hoc funesta orbe toto nos exempla docent: quidq; sperare, quidq; timere debeamus, aperiunt. quod vbi accidit, veri amici esse desinunt, cùm nulla improbitas alteri nubat. *nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à virtute defeceris*: imò, eodẽ Cicerone teste, im-

impoſſibile. Sed neque depoſita probitate periculum creari mutuò poteſt; cùm enim bonorum virorum conſilia, mutuoq́; in amicitia concredita non niſi è virtutibus nata ſint, nulla in illorum publicatione damna timenda ſunt. neque ideò falſus Cicero eſt, qui amicitias æternas eſſe dixit, cùm perrarò admodùm ſemel altè defoſſa animo virtus, annorum exercitatione roborata, hominem ſuum deſtituat. Accedit, nec cum morte quidem amicitiam deponi. nam & qui ſupereſt, amati memoriã colit, eo validiùs, quo negata fortiùs amamus, & defuncti animo innixus virtuti amor adhæret. fit hoc in ſcientia, quæ cum morte non moritur. quo minùs amor virtuti inſertus? Sequitur enim æternam virtutem, amor æternus, pari æternitate donandus, pari remunerandus. Sed neque amare ſe deſinent poſt mortem, qui amarunt in vita. non ſolet mors animum fruſtrari virtute, nec probitate ſua mentem exuere: quare nec amorem virtute natum. non quòd boni omnes non amaturi ſint omnes, ſed inerit amicorum animis, præter vulgatũ illum omnium bonorum amorem, amor alius cæleſtibus non indignus. Voluiſſe hoc videtur Cicero, & veterum ſchola Philoſophorum, cùm ſempiternas voluerunt eſſe amicitias. Quàm non immeritò propè dicam Chriſtianos, cùm tam altè videam ſuccinctos? quàm non longè abeunt ab Euangelio, qui de virtutibus tam euangelicè ſentiunt? quàm caſtos, qui tam caſtè de amore loquuntur? non videantur hi nutriti in magni Ioannis diſciplinatu, qui de vero amore, de vera amicitia, adeò piè & mellitè ad Ioannis calamũ ſcribũt? Iam quàm non longè abeant à primorum in Eccleſia Patrum placitis, ac cæleſtis amoris delineatione, cùm tam nobili, generoſo & docto penicillo peritiſſimi artifices virtutum ac amicitiæ auguſta depingunt, quis non videat? vt hoc nomine admirandi, laudandi, imitandi veniãt etiam Chriſtianis. Et quem pudeat, è gentilitia licèt ſchola, diſcere cælo coronanda, remuneranda cælo? imitemur. nemo præmiandus erubeſcit.

Nunquam vera amicitia deponitur.

CAPVT IV.

Quæ ratio in matrimonio tenenda?

MVLTA hîc dici poſſent. breuis ero. nihil dicam de cælibatu, ne incurrant in hanc chartam agmina coniugatorum. Illud tamen Apoſtoli non tranſeo: *Volo omnes vos eſſe ſicut meipſum. Dico autem non nuptis, & viduis; bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Addit: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* claudit denique: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit; & qui non iungit, meliùs facit. Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit. quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult nubat; tantùm in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium: puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam.* Hæc Apoſtolus; non ego. neque iam hîc ago, vt plurimos videam Paulli imitatores. plus enim de veteri Euangelio redolemus quàm de nouo: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Non improbo Apoſtolum tamen magis probo. Et audio de virginitatis prærogatiua Dominum: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* & explicatiùs: *Filij huius ſæculi nubunt, & traduntur ad nuptias; illi verò qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cùm ſint filij reſurrectionis.* Aſſimilantur virgines Angelis, adeoq; & æquantur. Et excluduntur nuptiæ cælo. terra has nouit, ignorat cælum: non ignoraret, ſi aliquid de perfectione mutuarentur. nunc cùm exulent cælo, neceſſum aliquid illis imperfectionis adhæreſcere: non exularent, ſi non adhæreſceret. non quòd nuptias damnem, ſed quòd excludi illas cælo videam.

[Margin: 1. Cor. 7. — Geneſ. 9. — Matt. 22. — Luc. 20.]

Paritas in coniuge quærenda. Verùm omitto nunc hanc diſputationem inuidia & æmulatione grauidam. tranſeo ad matrimonium. Vxorem amas? ama parem. non reijcio inferiorem opibus, genere,

quæ

quæ obſequi didicit & ſeruire. Quid? quòd magis hanc probem quàm ſuperiorem, ne dominam patiaris, non vxorem. imperare enim illæ ſciunt, obſequi neſciunt: cumq; animos ab opibus & genere mutuentur, ignobilis egentiſq; mariti contemptum induunt, & ſeruum intuentur, non coiugem: opum enim generiſque diſparitas animorum diſparitatem prouocat, vt, quæ diuitiis generéque ſuperiores ſunt, imperio etiam eſſe velint. Hinc infelix illa ſeruitus, qua melior deteriori ſexui parere cogitur, & famulari diſcit qui imperare debebat. Turpe ſtolam togæ imperare, turpe colum gladio. hinc illa domeſtica verborum, vnguium, capillaturæ, pugnorum, tanquam cæſtuum bella. hinc femineæ, Oceani tempeſtatibus maiores, fluctuſq; decumanis ſæuiores: *Cauendum ab iracunda.*

Sexuſque oblita minoris
Spumat, & ingentes imitatur femina tauros.

Et verum nimiùm illud Poëtæ:

Non ſic incerto mutantur flumine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quàm citò feminea non conſtat fœdus in ira,
Siue ea cauſſa leuis, ſiue ea cauſſa grauis.

Sed neque tot vomunt ſerpentes venena, quot indignabunda effundit mulier. hinc illud Sapiētis: *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Et, *Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris.* vt proinde exclamet: *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda.* adeóque *commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* &, *Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quaſi qui comprehendit ſcorpionem.* Vt benè Chryſologus: *Lacrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis totam fortitudinem virorum frangunt.* Addit Cyprianus: *Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam!* Hercules, Samſon, Adam, Salomon nos docent. Herculeas flammas Poëtæ loquuntur. de Samſone illud Ambroſij eſt: *Samſon*

Eccli. 25. Ibidem. Prou. 21. Eccli. 25. Eccli. 26. Serm. 79.

son validus & fortis leonem suffocauit; sed amorem suum suffocare non potuit. vincula soluit hostium; sed suarum non soluit nexus cupiditatum. messes incendit alienas; sed vnius mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. De Adamo nihil dico. Euam qui dixit, omnia dixit. ô nimium nos ipsi testes mulieris vnius! Quis nesciat primordiale delictum? quis traducem, & in semine venenum? O quàm sæuis æternum mulier, etiam in illos qui Paradisi nullum cespitem norunt! quàm validè in omnem posteritatem iacularis venena! testes in-
Eccli.25. ferorum flammæ. & apertè Sapiens: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* De Salomone Scriptura
3.Reg 11. inclamat: *Auerterunt mulieres cor eius.* De quibus audet Chry-
Hom.21. sostomus: *Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni*
Serm.39. *decore depicta?* Audet Maximus: *Mulier est viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum ne-*
Annal.3. *cessarium.* Fortiter Tacitus: *Feminarum sexus, si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatisque auidus.* Vnde monet Sapiens:
Eccli.9. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem*
Eccli.25. *tuam, & confundaris.* Caussam addit: *Mulier si primatũ habeat, contraria est viro suo.* Sequitur: *Cor humile, & facies tristis, & plaga mortis, mulier nequam.* Et in eandem sententiã Ephrem: *Quid inter quadrupedia leone terribilius, aut inter reptilia dracone crudelius? verùm nihil ad malam mulierem.* Confirmat Sapiens:
Ibidem. *Omnis plaga, tristitia mortis est; & omnis malitia, nequitia mulie-*
Euripid. *ris.* & Græcus Poëta: *Cùm multæ in terra marique feræ sint, omnium maxima mulier fera est.* Beatus, qui se eximere huic potuit, potuitq; qui voluit.

1.Cor.7. Quòd si carere hoc malo graue sit, cùm *melius* sit *nubere quàm vri*; minus nimirum malum matrimonio iungi, quàm ignibus amburi; vxorem deligat, mitius flammis malum.

In

In cuius delectu sequatur Chrysostomum: *Quære pudicam & religiosam puellam*, vt implearis benedictionibus Sapientis: *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*. De forma, vltima cura sit. ferè enim pulcritudini sollicitudo adiuncta, & comes formæ metus est. totq; propè anxietatibus maritus inuoluitur, quot elegantias in vxore legit. Et non verum illud: *Fallax gratia, & vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur*? ô nimis verum! *Mulier qualis deligenda.* Eccli. 26. Prou. 31.

Sed neque nimis comem, blandam, & excultam nimium moribus volo, ne alienum calorem prouocet. Nolo rusticam. sed neque nimis aulicam verbis, moribus, blandimentis probo. rara verecundiæ cum nimia elegantia mistura est. & non curiosior vna ciuilitas aliam prouocat, & dum singuli comitate certant, aliquid refundunt complacentiæ & affectus? *Non nimis blanda. Nec rustica.*

Nolo in exteriore membrorum compositione mollem & teneram. quis enim ignoret, nimiam morum teneritudinem libidinis prouocatorium esse? *Nec tenera nimis.*

Nolo eloquentem, ne tot iaculetur ignes, quot verba. elinguem tamen nolo, & barbarum sonantem. Verùm elegantia verborum, elocutionis venustate adiuta, omni viro gladius est. Addit Ecclesiasticus: *Colloquium illius quasi ignis exardescit. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* *Nec eloquens nimis.* Eccli. 9. Iob 41. Prou. 5.

Nolo cultam nimis & ornatam, memor Hieronymi: *Vir aut mulier suo ornatu oculos hominum ad se trahens, etsi nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen æternum meretur; qui venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Nitorem & mundiciem probo, ne fastidium sordes & neglectior forma pariant, & in alienas virum compellant. nimium tamen ornatum damno. nam cui hunc viro? Domi placere discat, quæ casta est, vt maritali cubiculo & toro complacentia claudatur. Et quò ornatus aliorum oculis? vt placeas? marito pudica placebit. *Non culta nimis.* Ad Demetriadem.

&

son validus & fortis leonem suffocauit; sed amorem suum suffocare non potuit. vincula soluit hostium; sed suarum non soluit nexus cupiditatum. messes incendit alienas; sed vnius mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. De Adamo nihil dico. Euam qui dixit, omnia dixit. ô nimium nos ipsi testes mulieris vnius! Quis nesciat primordiale delictum? quis traducem, & in semine venenum? O quàm sæuis æternum mulier, etiam in illos qui Paradisi nullum cespitem norunt! quàm validè in omnem posteritatem iacularis venena! testes in-
Eccli. 25. ferorum flammæ. & apertè Sapiens: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* De Salomone Scriptura
3. Reg 11. inclamat: *Auerterunt mulieres cor eius.* De quibus audet Chry-
Hom. 11. sostomus: *Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni*
Serm. 39. *decore depicta?* Audet Maximus: *Mulier est viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum ne-*
Annal. 3. *cessarium.* Fortiter Tacitus: *Feminarum sexus, si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatisque auidus.* Vnde monet Sapiens:
Eccli. 9. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem*
Eccli. 25. *tuam, & confundaris.* Caussam addit: *Mulier si primatū habeat, contraria est viro suo.* Sequitur: *Cor humile, & facies tristis, & plaga mortis, mulier nequam.* Et in eandem sententiā Ephrem: *Quid inter quadrupedia leone terribilius, aut inter reptilia dracone crudelius? verùm nihil ad malam mulierem.* Confirmat Sapiens:
Ibidem. *Omnis plaga, tristitia mortis est; & omnis malitia, nequitia mulie-*
Euripid. *ris.* & Græcus Poëta: *Cùm multæ in terra marique feræ sint, omnium maxima mulier fera est.* Beatus, qui se eximere huic potuit, potuitq; qui voluit.

1. Cor. 7. Quòd si carere hoc malo graue sit, cùm *melius* sit *nubere quàm vri*; minus nimirum malum matrimonio iungi, quàm ignibus amburi; vxorem deligat, mitius flammis malum.

In

In cuius delectu sequatur Chrysostomum: *Quare pudicam & religiosam puellam*, vt implearis benedictionibus Sapientis: *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*. De forma, vltima cura sit. ferè enim pulcritudini sollicitudo adiuncta, & comes formæ metus est. totóq; propè anxietatibus maritus inuoluitur, quot elegantias in vxore legit. Et non verum illud: *Fallax gratia, & vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur?* ô nimis verum! *Mulier qualis deligenda.* *Eccli. 26.* *Prou. 31.*

Sed neque nimis comem, blandam, & excultam nimiùm moribus volo, ne alienum calorem prouocet. Nolo rusticam. sed neque nimis aulicam verbis, moribus, blandimentis probo. rara verecundiæ cum nimia elegantia mistura est. & non curiosior vna ciuilitas aliam prouocat, & dum singuli comitate certant, aliquid refundunt complacentiæ & affectus? *Non nimis blanda. Nec rustica.*

Nolo in exteriore membrorum compositione mollem & teneram. quis enim ignoret, nimiam morum teneritudinem libidinis prouocatorium esse? *Nec tenera nimis.*

Nolo eloquentem, ne tot iaculetur ignes, quot verba. elinguem tamen nolo, & barbarum sonantem. Verùm elegantia verborum, elocutionis venustate adiuta, omni viro gladius est. Addit Ecclesiasticus: *Colloquium illius quasi ignis exardescit. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* *Nec eloquens nimis.* Eccli. 9. Iob 41. Prou. 5.

Nolo cultam nimis & ornatam, memor Hieronymi: *Vir aut mulier suo ornatu oculos hominum ad se trahens, etsi nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen æternum meretur; qui venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Nitorem & mundiciem probo, ne fastidium sordes & neglectior forma pariant, & in alienas virum compellant. nimium tamen ornatum damno. nam cui hunc viro? Domi placere discat, quæ casta est, vt maritali cubiculo & toro complacentia claudatur. Et quò ornatus aliorum oculis? vt placeas? marito pudica placebit. *Non culta nimis.* Ad Demetriadem.

&

& non illi soli? Quid aliorum oculis prostituis formam? marito illa debetur, nec alteri. An in pulcritudinis admirationem prouocare vis viros? nescis admirationi amorem coniunctum? & castam ego dicam, quæ ab alio quàm à marito
Eccli.9. amari desiderat? Audi Sapientem: *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: speciem mulieris a-*
Ibidem. *lienæ multi admirati, reprobi facti sunt.* Hinc illa monita: *Cùm aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea; ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* &
Eccli.42. illud: *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Vis videri? & vis omnium oculis vulnerari, omnes tuis? aut quid aliud quærit mulier ornata? naufragam nimirum venustatem ornare. Si marito, benè: sin aliis, quid dicam? ego vni marito vnam castam natam arbitrabar, & vni tãtùm. Certè quod Cyprianus de virginibus, *Dum ornari cultiùs, dum liberiùs vagari virgines volunt, esse virgines desinunt, viduæ antè quàm nuptæ*; ego de nuptis dicam, Dum aliorum oculis ornari volunt, castæ esse desierunt, dubij patris non dubiæ matres. Iam, cùm non teneram ceruicem tantùm, sed & pectus totum omnium prostituunt oculis, ego castas dicam? tot oculorum lenas dicam castas? & cui pectus recluditur? non soli marito debuit? aut, cùm omnium oculis retegitur, non omnium animis vna mulier vxor facta est? humeros, pectus, vbera palàm detegi, non prostitutâ palàm castitate, quis credat? aut ego illam credam castam, quæ quod in muliere validissimè viriles prouocat ignes, omnium ingerit oculis? Nec ignorare mulier potest vbera, libidinum folles. teget quæcunque casta est, quin & erubescet non raro ad mariti oculos, reliquos exhorrescet & excludet, & vallum pectori obducet. nimis prærupta præcipitia in vultu & manibus ludunt: non necessum noua à pectore accersere, quò maiore impulsu corruãt viri. Non pœnitebit sanctioris seuerioris〈que〉 castimoniæ exempla à Romanis mutuari. audiamus Valerium: C. Sulpicius

cius Gallus *vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat. lex enim, inquit, tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. his decoris instrumenta comproba, his esto speciosa, horum te certiori crede notitiæ. Vlterior tui conspectus superuacua irritatione accersitus, in suspicione & crimine subhæreat necesse est.* Quàm grauiter, verè, christianè, adeóque & religiosè! vt non mireris scribere Tertullianum: *Necesse est publicatione sui periclitetur dum percutitur oculis incertis & multis.* & alibi: *Omnes in te ætates periclitantur. indue armaturam pudoris, circunda vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* & de Arabiæ mulieribus, *quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere.* Quid faciet Christiana muliebris verecundia in hoc Ethnico pudore? Redeamus ad Romanos. *Q. Antistius Vetus repudiauit vxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari secretò loquentem viderat. Iungendus est his P. Sempronius Sophus, qui coniugem repudij nota affecit, nihil aliud quàm se ignorante ludos ausam spectare.* addit: *Ergo dum sic olim feminis occurritur, mens illarum à delictis aberrat.* Hæc Gentiles. ô quoties nostræ longos sermones cum alieno sexu! quoties ludos non spectant, sed in domos suas vocant, & pars magna inuerecundæ scenæ sunt; & tota capillatura, oculis, vultu, pectore flammas iaculantur nocituras; factæ viris fulmina & gladius! Val.lib.6. cap.3.

Pigmenta verò quis ferat? quò mentitus decor candoris & purpuræ, aut cui? marito? nulla hunc vxor mendacio hoc fefellit. alieno? quò hi doli? si non in laudem & amorem? & amari ab alio, quàm à marito casta volet? aut cui alteri rei mentita forma & ætas? fallere hæc maritum non possunt. aliis ergo ludunt hæc mendacia, struuntur doli. cui, nisi amori? nam quid iuuat ætatem & formam mentiri, nisi vt in sene & deformi iuuenis & formosa ametur? & quò aliò pigmenta & fucus? in fraudem hæc inuenit amor, & libidini

pedissequam purpuram dedit, quæ ancillari amori docta incautos rapit.

Non nimis musica. Nolo deinde nimis musicam. ferè enim hæc venena fundit: nec parciùs illa viri bibunt qui audiunt, quàm mulier quæ fundit; & auidiùs etiam auditores hauriunt, quàm quæ propinant; altiusq; in pectus vox dimittitur, quàm extollitur. Plus nimirum musica, plus decipula. ita fraus & doli modulationibus innectuntur. Iam, vbi vocem depresserit, vbi extulerit, vbi ridentibus labris & oculis, aut in commiserationem flentibus ac dolentibus, melleos modulos exornauerit, cuius viri pectus stabit? cuius lusciniarum harum cantus non flectet in stuporem? & castam credam, quæ tot mentes in se vocat, quot aures. Quòd si eandem saltatricem dederis, quid dicam? audio Sapientem: *Cum saltatrice ne assiduus sis; nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia eius.* Video saltantem Herodiadis filiam, regiásque exinde sponsiones, discum, & caput Ioannis psaltricæ puellæ lucar; & timeo. *Eccli. 9.*

Non nimis docta. Nolo nimis doctam, ne supra sexum sapiat. discere mulieris, docere viri est. turpe viro ab ignobiliore sexu discere. nam, quæ docere mulier didicit, imperare didicit. parêre nescit docta. & quia supra sexum eruditio est, supra sexum animus est.

Non multarum linguarum. Nolo multarum linguarum peritam, ne multis linguis cadat quæ vnâ steterat; neúe multarum linguarum delinimenta discat, quæ vnius cadere poterat. nulla admittit peregrinos amores, quæ non admisit linguas. tot linguarum laqueis vnam ceruicem innecti, periculo proximum est. Quòd si extra periculum mulier est, quis extra illud virum statuet, cùm in vna muliere linguarũ suarum delicias amabunt plures, fòrs & in vna amores legent, & gentis suæ inuerecundos ignes? nam, vbi cum linguis peregrinas imbiberit flammas, quid nisi vicissim iaculetur, eo certiùs, quo molliùs, quo in fraudem promptiùs?

Nolo totum illi recludi virile pectus. aliquid maritus habeat

habeat quod ignoret vxor, cùm ſecretum res poſtulat. nam ſilentium qui ab vxore ſperauit, ſexum exuere voluit. & neſcio, an non grauiter in omnem prudentiam peccet, qui tacenda illi ſexui commiſit. neque enim ſecreti legibus teneri mulier videtur; adeoq; legibus omnibus exoluta cenſeri debet. Largiendum hoc ſexui, vt peccet in illum qui ſilentia ſpondet. quæ quo ſecretiora fuerint, plus proditrix mulier erit. Vulgari rem vis? committe. vis properari, & effundi tanquam imbrem? ſanctè committe. quo ſanctiùs, eo citatiùs profundet. nec famæ ſuæ, & communis tori parcet. Quare & à Regnorum & Rerumpubl. negotiis plurimùm feminam excludo. ſecretum illa poſtulant: quod nemo prudens à muliere ſperabit. Non quòd omnes vno calamo, tanquam vnâ ſpongiâ à gubernaculis expungam, aut omnibus omnia effluere arbitrer; ſed quòd, nubium more, rariſſimæ ſint, quæ pluuiam ſuam teneant; vt non aberrauerit, qui femineum os & pectus cribro aſſimilauerit, aut exterebratæ naui, & dolio. Inuenies tamen alias aliis commiſſorum tenaciores. Beatus, cui obtigerit hæc è millibus vna. Sed neque damna vxorem, ſi credita prodidit; te damna, qui credidiſti. ſcire debebas ſexui illi dicenda committi debere, nec alia; & ferè prudentiam illi omnem in lingua eſſe, elegantiam in ore; illamq; inter mulieres plus mulierem eſſe, quæ minus contineat, plus effundat. vt non deſint, qui arbitrentur elegantiæ aliquod genus in hoc ſexu eſſe, plurimum effundere, minimum cōtinere, vt in camelo gibbum, in elephante promuſcidem, in boue cornua, in Alpibus ſtrumam, *in Meroë natis maiorem infante mamillam*, in Æthiope pendentia labra.

Non omne ſecretum committendum vxori.

Mulier commiſſi tenax, rariſſima.

Committi tamen vxori domeſtica velim, quidquid nimirum ancillarum ac filiarum eſt, etiam filios in octauum ac nonum annum; inde in ius abeant patris, & virum diſcant inducere, feminam exuere. Scio pro regnorum varietate variè vxores haberi. non improbo. omnia committi non pro-

Domus cura vxori credenda.

animarum salute postpositâ, non ire, sed fatuo ausu, cæcoq; impetu ruere, vt nocitura, & vnius momenti hilarem insaniam expleant. & ferè dum ardor his in summo est, peregrinari tales à mente sua videas, omni prudentia exutos, nec antè pericula nosse, quàm obruti illis & insepulti iacuerint; neque damna videre, nisi postquam acceperint; serâ pœnitentiâ, serâ sapientiâ; neque antè ad se hominemq; suum redire, quàm vel brutis simillimas voluptates expleuerint, vel magno nimis exsoluerint. quo ferè tempore & seipsos damnant, & facta nollent, & mœroribus obuoluuntur, & temeritatem admirantur, & erubescunt ad præterita.

Amico cõmittenda, quæ proditaruborem non incutiunt, e non infimorum sententia.

Quia verò humana incerta, dubij euentus, nec quidquã loco suo firmum ac stabile, ne montes quidem, rupes ac maria, quò minùs mens humana, fluctibus perpetuò labentibus quàm rupibus similior; suadent prudentes, ne quis effundat in amici sinum quod cum rubore obiici ab hoste possit. Hinc illud Senecæ: *Ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis.* Et vetus illud: *Ita amicum habeas, posse vt fieri inimicum putes.* Hoc qui cogitat, non facilè pœnitenda amico committet. Et magnum omninò est, nihil vllo tempore pœnitendum alienis auribus & oculis committere. nam & qui hodie amicus est, inimicam cras inducere mentem potest. commisisti dum staret amicitia, aliquid erubescendum? prodet, vt ex amico inimicum pudore suffundat. Cauebit ergo vir prudens, nec credet serâ pòst pœnitudine luenda. faciet si in omni homine censorem & hostem cogitauerit. Sed & prudens hic metus magnæ comes prudentiæ est. neque enim quisquam famulante hoc metu, incidet in prodendi, aut proditi secreti præcipitia.

Quanquam non diffitear, non credere me sinceram certamq; intercessisse amicitiam, quæ in odia exsurrexit. æternat enim amicitia, si talis est, etiam cùm amico destituitur. stat enim illa in gradu, nec amorem ponit, altero licèt ponente: in quo verus amor nunquam fuit, si aliquando excidit;

excidit; magis, si in odia versus fuit. Familiaritas quædam & contubernatio fuit; amor non fuit. aut sanè amoris vmbra quædam fuit, & tenue magni corporis vestigium; nec aliud. aut, vt multum largiar, imperfectus quidam amor fuit; verus non fuit. Graue dices, modum illum in amicitia tenere, & intentum in omnem partem animum, operamq; dare, vt singula verba aures, oculosq; ac monentem pædagogum habeant. cùm amicitia expers curarum illarum meritò esse debeat, ac pari quisque cum amico qua secum libertate, seposita amici cura ac timore, versari in omnibus consueuerit. Ita est. sed, cùm amicitiam in sola virtute positam esse censeam, ea omnino libertate cum amico erit, qua secum in virtutum exercitationibus. quod qui fecerit, nec erubescet vnquam, nec pœnitendum quidquam amico committet; nam in sceleribus, ac prauis actionibus, etiam dum solus est, erubescet, & conscientiam domesticum improbitatis testem verebitur. Securissimos ergo & liberrimos in amicitia volo. fiet hoc, si sola virtute amicitiam metiamur, illiusq; terminis hanc concludamus. Quare venio omnino in eam sententiam, vt veras amicitias sempiternas cum Cicerone dicam: nihil proinde metuendum à vero amico esse, omniaq; tutò illi credi posse, cùm nihil extra virtutem credatur, aut non ab illa profectum: quod quacunque via proditum ruborem incutere non potest. vt verum sit illud Scipionis, qui Lælio referente, *negabat vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quàm eius, qui dixisset, ita amare oportere, vt aliquando esset osurus; quòd hoc præceptum ad tollendam amicitiam valeret.* Perpetuum enim metum hæc cogitatio animis ingenerat, & mentem ad omnia dubiam & attonitam, sibiq; aliisq; diffidentem statuit, omni fiduciâ ac tranquillitate procul pulsâ; quo fit, vt non postremus ille amicitiæ fructus pereat à Seneca recensitus: *Quantum bonum est vbi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat, quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas, quorum sermo solli-*

F *citu-*

Vero amico omnia committi posse, censent viri magni.

citudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, aspectus ipse delectet: & alibi: *Si aliquem amicum credas, cui non tantundem credas quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiæ. Tu verò omnia cum amico delibera, sed de ipso priùs. post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. diù cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri, toto illũ pectore admitte, tam audacter cum eo loquere, quàm tecum.* Hinc Cicero: *Quid dulcius, quàm habere, quo cum omnia audeas sic loqui, vt tecum?* Si enim, vt cum futuro hoste loquendum, vt tecum loqui non poteris: neque enim periculum, vt quis hostis aliquando sit sui, & commissa animo suo prodat, factus accusator sui. Vtramque tamen sententiam non difficilè concilies; nam cum, Cicerone teste, inter solos bonos vera amicitia reperiatur, nil periculi est, ne quid verbo factoq; committant mutuò boni pœnitẽdum si prodatur. tutò proinde vir bonus committere omnia amico potest, nihil commissurus nisi bonum, si bonus & amicus amico esse velit. Committet ergo omnia amicus amico, sequeturq; Senecam: *Quia interueniunt quædam, quæ consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce, fidelem si putaueris, facies: nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis ius peccandi suspicando fecerunt.* Dignum Philosopho documentum. fiducia vna aliam excitat, vt amor vnus alium. Hinc benè dictum ab eodem: *Si vis amari, ama*: prouocat amor amorem, vt veneratio vna alteram: cumq; facile sit amare, erit etiam facile amari. mutuò se hæc incendunt, & ignem igni sufficiunt.

Non dico non solere aliquando bonos à probitate degenerare, & vtrumque etiam amicum virtuti renunciare. nimis hoc funesta orbe toto nos exempla docent: quidq; sperare, quidq; timere debeamus, aperiunt. quod vbi accidit, veri amici esse desinunt, cùm nulla improbitas alteri nubat. *nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à virtute defeceris*: imò, eodẽ Cicerone teste,

impoſſibile.Sed neque depoſita probitate periculum creari mutuò poteſt; cùm enim bonorum virorum conſilia, mutuoq; in amicitia concredita non niſi è virtutibus nata ſint, nulla in illorum publicatione damna timenda ſunt. neque ideò falſus Cicero eſt,qui amicitias æternas eſſe dixit, cùm perraò admodùm ſemel altè defoſſa animo virtus, annorum exercitatione roborata,hominem ſuum deſtituat. Accedit,nec cum morte quidem amicitiam deponi.nam & qui ſupereſt,amati memoriā colit, eò validiùs, quo negata fortiùs amamus,& defuncti animo innixus virtuti amor adhæret. fit hoc in ſcientia, quæ cum morte non moritur. quo minùs amor virtuti inſertus? Sequitur enim æternam virtutem, amor æternus,pari æternitate donandus,pari remunerandus.Sed neque amare ſe deſinent poſt mortem, qui amarunt in vita .non ſolet mors animum fruſtrari virtute, nec probitate ſua mentem exuere: quare nec amorem virtute natum.non quòd boni omnes non amaturi ſint omnes, ſed inerit amicorum animis, præter vulgatū illum omnium bonorum amorem, amor alius cæleſtibus non indignus. Voluiſſe hoc videtur Cicero,& veterum ſchola Philoſophorum,cùm ſempiternas voluerunt eſſe amicitias. Quàm non immeritò propè dicam Chriſtianos, cùm tam altè videam ſuccinctos? quàm non longè abeunt ab Euangelio, qui de virtutibus tam euangelicè ſentiunt? quàm caſtos, qui tam caſtè de amore loquuntur? non videantur hi nutriti in magni Ioannis diſciplinatu,qui de vero amore, de vera amicitia,adeò piè & mellitè ad Ioannis calamū ſcribūt? Iam quàm non longè abeant à primorum in Eccleſia Patrum placitis, ac cæleſtis amoris delineatione, cùm tam nobili, generoſo & docto penicillo peritiſſimi artifices virtutum ac amicitiæ auguſta depingunt, quis non videat? vt hoc nomine admirandi,laudandi,imitandi veniāt etiam Chriſtianis. Et quem pudeat, è gentilitia licèt ſchola,diſcere cælo coronanda, remuneranda cælo? imitemur. nemo præmiandus erubeſcit.

Nunquam vera amicitia deponitur.

CAPVT IV.

Quæ ratio in matrimonio tenenda?

MVLTA hîc dici possent. breuis ero. nihil dicam de cælibatu, ne incurrant in hanc chartam agmina coniuga-
1.Cor.7. torum. Illud tamen Apostoli non transeo: *Volo omnes vos esse sicut meipsum. Dico autem non nuptis, & viduis; bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Addit: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* claudit denique: *Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit; & qui non iungit, meliùs facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat; tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.* Hæc Apostolus; non ego. neque iam hîc ago, vt plurimos videam Paulli imitatores. plus enim
Genes.9. de veteri Euangelio redolemus quàm de nouo: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Non improbo: Apostolum tamen magis probo. Et audio de virginitatis prærogatiua
Matt.22. Dominum: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur,*
Luc.20. *sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* & explicatiùs: *Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias; illi verò qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.* Assimilantur virgines Angelis, adeoq; & æquantur. Et excluduntur nuptiæ cælo. terra has nouit, ignorat cælum: non ignoraret, si aliquid de perfectione mutuarentur. nunc cùm exulent cælo, necessum aliquid illis imperfectionis adhærescere: non exularent, si non adhæresceret. non quòd nuptias damnem, sed quòd excludi illas cælo videam.

Paritas in coniuge quærenda. Verùm omitto nunc hanc disputationem inuidia & æmulatione grauidam. transeo ad matrimonium. Vxorem amas? ama parem. non reijcio inferiorem opibus, genere,

quæ

quæ obsequi didicit & seruire. Quid? quòd magis hanc probem quàm superiorem, ne dominam patiaris, non vxorem. imperare enim illæ sciunt, obsequi nesciunt: cumq; animos ab opibus & genere mutuentur, ignobilis egentisq; mariti contemptum induunt, & seruum intuentur, non coiugem: opum enim generisque disparitas animorum disparitatem prouocat, vt, quæ diuitiis generéque superiores sunt, imperio etiam esse velint. Hinc infelix illa seruitus, qua melior deteriori sexui parere cogitur, & famulari discit qui imperare debebat. Turpe stolam togæ imperare, turpe colum gladio. hinc illa domestica verborum, vnguium, capillaturæ, pugnorum, tanquam cæstuum bella. hinc femineæ, Oceani tempestatibus maiores, fluctusq; decumanis sæuiores: *Cauendum ab iracunda.*

Sexusque oblita minoris
Spumat, & ingentes imitatur femina tauros.

Et verum nimiùm illud Poëtæ:

Non sic incerto mutantur flumine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quàm citò feminea non constat fœdus in ira,
Siue ea caussa leuis, siue ea caussa grauis.

Sed neque tot vomunt serpentes venena, quot indignabunda effundit mulier. hinc illud Sapiētis: *Non est caput nequius super caput colubri; & non est ira super iram mulieris.* Eccli. 25. Et, *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris.* Ibidem. vt proinde exclamet: *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.* Prou. 21. adeóque *commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Eccli. 25. &, *Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui comprehendit scorpionem.* Eccli. 26. Vt benè Chrysologus: *Lacrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis totam fortitudinem virorum frangunt.* Serm. 79. Addit Cyprianus: *Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis efficit prædam!* Hercules, Samson, Adam, Salomon nos docent. Herculeas flammas Poëtæ loquuntur. de Samsone illud Ambrosij est: *Sam-*

son validus & fortis leonem suffocauit; sed amorem suum suffocare non potuit. vincula soluit hostium; sed suarum non soluit nexus cupiditatum. messes incendit alienas; sed vnius mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit. De Adamo nihil dico. Euam qui dixit, omnia dixit. ô nimiùm nos ipsi testes mulieris vnius! Quis nesciat primordiale delictum? quis traducem, & in semine venenum? O quàm sæuis æternum mulier, etiam in illos qui Paradisi nullum cespitem norunt! quàm validè in omnem posteritatem iacularis venena! testes in-

Eccli.25. ferorum flammæ. & apertè Sapiens: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* De Salomone Scriptura

3.Reg 11. inclamat: *Auerterunt mulieres cor eius.* De quibus audet Chry-

Hom.22. sostomus: *Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni*

Serm.39. *decore depicta?* Audet Maximus: *Mulier est viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum ne-*

Annal.3. *cessarium.* Fortiter Tacitus: *Feminarum sexus, si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, potestatisque auidus.* Vnde monet Sapiens:

Eccli.9. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem*

Eccli. 25. *tuam, & confundaris.* Caussam addit: *Mulier si primatũ habeat, contraria est viro suo.* Sequitur: *Cor humile, & facies tristis; & plaga mortis, mulier nequam.* Et in eandem sententiã Ephrem: *Quid inter quadrupedia leone terribilius, aut inter reptilia dracone crudelius? verùm nihil ad malam mulierem.* Confirmat Sapiens:

Ibidem. *Omnis plaga, tristitia mortis est; & omnis malitia, nequitia mulie-*

Euripid. *ris.* & Græcus Poëta: *Cùm multæ in terra marique feræ sint, omnium maxima mulier fera est.* Beatus, qui se eximere huic potuit, potuitq; qui voluit.

1.Cor.7. Quòd si carere hoc malo graue sit, cùm *melius* sit *nubere quàm vri*; minus nimirum malum matrimonio iungi, quàm ignibus amburi; vxorem deligat, mitius flammis malum.

In

In cuius delectu sequatur Chrysostomum: *Quære pudicam & religiosam puellam*, vt implearis benedictionibus Sapientis: *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*. De forma, vltima cura sit. ferè enim pulcritudini sollicitudo adiuncta, & comes formæ metus est. totq; propè anxietatibus maritus inuoluitur, quot elegantias in vxore legit. Et non verum illud: *Fallax gratia, & vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur?* ô nimis verum! Prou.31.

Mulier qualis deligenda. Eccli.26.

Sed neque nimis comem, blandam, & excultam nimiùm moribus volo, ne alienum calorem prouocet. Nolo rusticam. sed neque nimis aulicam verbis, moribus, blandimentis probo. rara verecundiæ cum nimia elegantia mistura est. & non curiosior vna ciuilitas aliam prouocat, & dum singuli comitate certant, aliquid refundunt complacentiæ & affectus?

Non nimis blanda. Nec rustica.

Nolo in exteriore membrorum compositione mollem & teneram. quis enim ignoret, nimiam morum teneritudinem libidinis prouocatorium esse?

Nec tenera nimis.

Nolo eloquentem, ne tot iaculetur ignes, quot verba. elinguem tamen nolo, & barbarum sonantem. Verùm elegantia verborum, elocutionis venustate adiuta, omni viro gladius est. Addit Ecclesiasticus: *Colloquium illius quasi ignis exardescit. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.*

Nec eloquens nimis. Eccli.9. Iob 41. Prou.5.

Nolo cultam nimis & ornatam, memor Hieronymi: *Vir aut mulier suo ornatu oculos hominum ad se trahens, etsi nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen æternum meretur; qui venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Nitorem & mundiciem probo, ne fastidium sordes & neglectior forma pariant, & in alienas virum compellant. nimium tamen ornatum damno. nam cui hunc viro? Domi placere discat, quæ casta est, vt maritali cubiculo & toro complacentia claudatur. Et quò ornatus aliorum oculis? vt placeas? marito pudica placebit.

Non culta nimis. Ad Demetriadem.

&

& non illi soli? Quid aliorum oculis prostituis formam? marito illa debetur, nec alteri. An in pulcritudinis admirationem prouocare vis viros? nescis admirationi amorem coniunctum? & castam ego dicam, quæ ab alio quàm à marito
Eccli. 9. amari desiderat? Audi Sapientem: *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: speciem mulieris a-*
Ibidem. *lienæ multi admirati, reprobi facti sunt.* Hinc illa monita: *Cùm aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea; ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* &
Eccli. 42. illud: *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Vis videri? & vis omnium oculis vulnerari, omnes tuis? aut quid aliud quærit mulier ornata? naufragam nimirum venustatem ornare. Si marito, benè: sin aliis, quid dicam? ego vni marito vnam castam natam arbitrabar, & vni tãtùm. Certè quod Cyprianus de virginibus, *Dum ornari cultiùs, dum liberiùs vagari virgines volunt, esse virgines desinunt, viduæ antè quàm nuptæ*; ego de nuptis dicam, Dum aliorum oculis ornari volunt, castæ esse desierunt, dubij patris non dubiæ matres. Iam, cùm non teneram ceruicem tantùm, sed & pectus totum omnium prostituunt oculis, ego castas dicam? tot oculorum lenas dicam castas? & cui pectus recluditur? non soli marito debuit? aut, cùm omnium oculis retegitur, non omnium animis vna mulier vxor facta est? humeros, pectus, vbera palàm detegi, non prostitutâ palàm castitate, quis credat? aut ego illam credam castam, quæ quod in muliere validissimè viriles prouocat ignes, omnium ingerit oculis? Nec ignorare mulier potest vbera, libidinum folles. teget quæcunque casta est, quin & erubescet non rarò ad mariti oculos, reliquos exhorrescet & excludet, & vallum pectori obducet. nimis prærupta præcipitia in vultu & manibus ludunt: non necessum noua à pectore accersere, quò maiore impulsu corruãt viri. Non pœnitebit sanctioris seuerioriśq; castimoniæ exempla à Romanis mutuari. audiamus Valerium: C. Sulpicius

cius Gallus *vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam* Val.lib.6.
cognouerat. lex enim, inquit, tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus cap.3.
formam tuam approbes. his decoris instrumenta comproba, his esto speciosa, horum te certiori crede notitiæ. Vlterior tui conspectus superuacua iritatione accersitus, in suspicione & crimine subhæreat necesse est. Quàm grauiter, verè, christianè, adeóque & religiosè! vt non mireris scribere Tertullianum: *Necesse est publicatione sui periclitetur dum percutitur oculis incertis & multis.* & alibi: *Omnes in te ætates periclitantur. indue armaturam pudoris, circunda vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* & de Arabiæ mulieribus, *quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere.* Quid faciet Christiana muliebris verecundia in hoc Ethnico pudore? Redeamus ad Romanos. *Q. Antistius Vetus repudiauit vxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari secretò loquentem viderat. Jungendus est his P. Sempronius Sophus, qui coniugem repudij nota affecit, nihil aliud quàm se ignorante ludos ausam spectare.* addit: *Ergo dum sic olim feminis occurritur, mens illarum à delictis aberrat.* Hæc Gentiles. ô quoties nostræ longos sermones cum alieno sexu! quoties ludos non spectant, sed in domos suas vocant, & pars magna inuerecundæ scenæ sunt; & tota capillatura, oculis, vultu, pectore flammas iaculantur nocituras; factæ viris fulmina & gladius!

Pigmenta verò quis ferat? quò mentitus decor candoris & purpuræ, aut cui? marito? nulla hunc vxor mendacio hoc fefellit. alieno? quò hi doli? si non in laudem & amorem? & amari ab alio, quàm à marito casta volet? aut cui alteri rei mentita forma & ætas? fallere hæc maritum non possunt. aliis ergo ludunt hæc mendacia, struuntur doli. cui, nisi amori? nam quid iuuat ætatem & formam mentiri, nisi vt in sene & deformi iuuenis & formosa ametur? & quò aliò pigmenta & fucus? in fraudem hæc inuenit amor, & libidini

pedissequam purpuram dedit, quæ ancillari amori docta incautos rapit.

Non nimis musica. Nolo deinde nimis musicam. ferè enim hæc venena fundit: nec parciùs illa viri bibunt qui audiunt, quàm mulier quæ fundit; & auidiùs etiam auditores hauriunt, quàm quæ propinant; altiusq; in pectus vox dimittitur, quàm extollitur. Plus nimirum musica, plus decipula. ita fraus & doli modulationibus innectuntur. Iam, vbi vocem depresserit, vbi extulerit, vbi ridentibus labris & oculis, aut in commiserationem flentibus ac dolentibus, melleos modulos exornauerit, cuius viri pectus stabit? cuius lusciniarum harum cantus non flectet in stuporem? & castam credam, quæ tot mentes in se vocat, quot aures? Quòd si eandem saltatricem dederis, quid dicam? audio Sapientem: *Cum saltatrice ne assiduus sis; nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia eius.* Video saltantem Herodiadis filiam, regiásque exinde sponsiones, discum, & caput Ioannis psaltricæ puellæ lucar; & timeo. *Eccli. 9.*

Non nimis docta. Nolo nimis doctam, ne supra sexum sapiat. discere mulieris, docere viri est. turpe viro ab ignobiliore sexu discere. nam, quæ docere mulier didicit, imperare didicit. parêre nescit docta. & quia supra sexum eruditio est, supra sexum animus est.

Non multarum linguarum. Nolo multarum linguarum peritam, ne multis linguis cadat quæ vnâ steterat; neúe multarum linguarum delinimenta discat, quæ vnius cadere poterat. nulla admittit peregrinos amores, quæ non admisit linguas. tot linguarum laqueis vnam ceruicem innecti, periculo proximum est. Quòd si extra periculum mulier est, quis extra illud virum statuet, cùm in vna muliere linguarũ suarum delicias amabunt plures, fòrs & in vna amores legent, & gentis suæ inuerecundos ignes? nam, vbi cum linguis peregrinas imbiberit flammas, quid nisi vicissim iaculetur, eo certiùs, quo molliùs, quo in fraudem promptiùs?

Nolo totum illi recludi virile pectus. aliquid maritus habeat

Non omne secretum committendum vxori.

habeat quod ignoret vxor, cùm secretum res postulat. nam silentium qui ab vxore sperauit, sexum exuere voluit. & nescio, an non grauiter in omnem prudentiam peccet, qui tacenda illi sexui commisit. neque enim secreti legibus teneri mulier videtur, adeoq; legibus omnibus exoluta censeri debet. Largiendum hoc sexui, vt peccet in illum qui silentia spondet. quæ quo secretiora fuerint, plus proditrix mulier erit. Vulgari rem vis? committe. vis properari, & effundi tanquam imbrem? sanctè committe. quo sanctiùs, eo citatiùs profundet. nec famæ suæ, & communis tori parcet. Quare & à Regnorum & Rerumpubl. negotiis plurimùm feminam excludo. secretum illa postulant: quod nemo prudens à muliere sperabit. Non quòd omnes vno calamo, tanquam vnâ spongiâ à gubernaculis expungam, aut omnibus omnia effluere arbitrer; sed quòd, nubium more, rarissimæ sint, quæ pluuiam suam teneant; vt non aberrauerit, qui femineum os & pectus cribro assimilauerit, aut exterebratæ naui, & dolio. Inuenies tamen alias aliis commissorum tenaciores. Beatus, cui obtigerit hæc è millibus vna. Sed neque damna vxorem, si credita prodidit; te damna, qui credidisti. scire debebas sexui illi dicenda committi debere, nec alia; & ferè prudentiam illi omnem in lingua esse, elegantiam in ore; illamq; inter mulieres plus mulierem esse, quæ minus contineat, plus effundat. vt non desint, qui arbitrentur elegantiæ aliquod genus in hoc sexu esse, plurimum effundere, minimum cõtinere, vt in camelo gibbum, in elephante promuscidem, in boue cornua, in Alpibus strumam, *in Meroë natis maiorem infante mamillam*, in Æthiope pendentia labra.

Mulier commissi tenax, rarissima.

Domus cura vxori credenda.

Committi tamen vxori domestica velim, quidquid nimirum ancillarum ac filiarum est, etiam filios in octauum ac nonum annum; inde in ius abeant patris, & virum discant induere, feminam exuere. Scio pro regnorum varietate variè vxores haberi. non improbo. omnia committi non pro-

bo: sed nec omnibus excludi. sunt enim, quæ tutò committi possunt. & plurima inuenies muliebri magis quàm virili ingenio manibusq; nata. & ferè frugalior vxor viro est, & minutarum domesticarum rerum intelligentior: minoribus enim nata mulier, maioribus vir est. prudentis proinde est tribuere cuique id cui naturâ factus est. Sed neque domesticas res opesq; vxorem ignorare consultum puto, ne peregrinam rerumq; ignaram mariti mors, filiorum & suo damno non vulgari reperiat; & dubiæ alterius fidei fortunas suas suorumq; credere cogatur, antè fraudanda, quàm docenda. Et errant, meo iudicio, vehementer, qui in otio vxorem habent. audiant Sapientem: *Multam malitiam docuit otiositas*, magis in femina, quàm in viro. Hinc doli & fraudes, & plures iam mariti, & aliena vestigia, & torus non vnus, & patres multi, & dubius partus. Neque enim aut ignota Antonini Faustina, Pompeia Cęsaris, Tiberij Messallina, Agrippina Neronis mater, Zoë Imperatrix, aut Augusti Iulia, paternâ proscriptione nobilis. omnes Imperio illustres. Quid de priuatis cogitemus? & otia ferè tales orbi pepererunt. Nam, quibus in otio mulier tempus fallat? eruditorum lectionibus? non sunt hæc fercula muliebris palati & ingenij. alia desunt? non deerunt amores, quos curarum vacuæ, liberis cogitationibus, cùm meditatæ fuerint, furtiuis noctibus diebusq; inuenient. nec quidquam otiosis magis obuium, amoribus. Nihil cogitare, non est hominis. doctis sermocinationibus, lectionibus, scriptionibus diem noctibus iungere; gubernacula, rempublicam, imperia, bella, exercitus, & triumphos meditari, militem scribere, hostem ferire, sanguinem dare & haurire, propugnacula erigere, hostilia euertere, classem parare, insidias inimico agmini struere, virorum est. Quid agat ergo mulier otiosa? Deo se totam & pietati dabit? paucarum est. & dies totos, annos totos quis diuinorum cogitationibus impendet? aliquid intercurrat necessum, quod lassam mentem reparet, & quasi sibi

Otium in muliere improbandum.

Eccli. 33.

Otij mala in muliere.

sibi restituat. ambit alternis occupari mens humana; nec semper cælestibus, nec semper perituris distineri. Destituitur domesticis occupationibus mulier? amabit. nam quid voluat aliud, aut quibus otiosam mentem, sollicitudinum vacuam, pascet? Quare si vxorem vni sibi maritus volet, domesticis potiùs negotiis obruat, quàm occupet. nescit obruta rebus amare, nescit erubescenda meditari. Quid? quòd crescat amor fidesq; in maritum, cuius fiduciam in concreditis sibi experitur. prouocare fides fidem, vt diffidentiam diffidentia solet: magis verò cùm sortitus vxorem maritus fuerit moribus commodam. de qua illud Sapientis: *Mulier si est tibi secundùm animam tuam, non proiicias illam*: &, *Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum.* & alibi: *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex.* &, *Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. gratia* enim *mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit.* &, *Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit.* at verò *mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit: reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. fortitudo & decor indumentum eius. considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit: surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt eam; vir eius, & laudauit eam.* Quo verò rarior hæc mulier, cuius pretium à terrarum vltimis, eo meritò pretiosior viro suo & carior; vt verum sit illud: *Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris*; &, *Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* Auro, argento, & solidæ petræ constantiam & sanctitatem mulieris assimilat. scio à raritate crescere huic pretium, vt proinde *beatus, qui habitat cum muliere sensata*, & cui benedixit Dominus rara hac sæculorum benedictione. quo plus fidei meretur & prærogatiuæ: ita tamen vt domestici semper imperij fræna

Eccli. 7. *Beatus vir cui obtigit vxor morata & sedula.* Ibidem. Eccli. 26. Ibidem. Ibidem. Prou. 31. Eccli. 26.

Maritus quomodo imperium sibi perpetuum in vxorem sit paraturus.

maritus teneat. Nec magni moliminis hoc videtur. Si namque primis matrimonij mensibus, dum adhuc verecundia & modestia amori miscentur, ad viri mores vxor componatur, & obsequi assuescat & ediscat obsequiis nata; reliqui sequentur anni: vt talem sperare vxorem maritus debeat, qualem sibi primis matrimonij mensibus finxerit: obsequetur, si virum nacta fuerit. Quid? dum amori & benignitati multa concedet, nihil tamen de imperio remittet, vt amare vxor sciat & reuereri. & dum maritus amorem effundit, auctoritatem tueatur, ne remissione & indulgentia vilescat, & contemptum pro veneratione referat. A principiis hæc pendent. facilis venerationis tutatio est. qualem enim primis diebus virum vxor senserit, talem habebit. si remissum & indulgentem, contemnet. semel si contempserit, perget: nec ad cultum sine ingenti conatu reuocabis. Vbi enim semel excusserit mulier iugum, impatiens fræni erit, nec calcaribus quidem & ferro domanda. Nolo, vt antè dixi, haberi vt ancillam, sed neque vt dominam. vtrimque à non paucis peccatur; minus tamen peccatum pro ancilla habere, quàm dominam pati. neutrum probo: mitius tamen malum prius est. Vtrumque vitabit vir prudens, & indulgentior etiam erit in coniugem, quàm in proles; & dum agnoscit sobolis suæ matrem, se patrem meminerit, & imperio natum. Et verò inter minas Israëli in delictum intentatas, mulierum imperia Propheta numerat: *Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis.* Nec minor pœna, si marito vxor dominetur. & portentum sit, si pedes manúsve capiti imperent. Mulieris verò caput virum esse, ab Apostolo docemur: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. quoniam vir caput est mulieris:* non figulatione tantùm, cùm dormientis Adami *tulit vnam de costis, & repleuit carnem pro ea; & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* sed & in delictum. hinc post vetitæ arboris delibationem minæ & pœnæ: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui:*

Vxor non habenda vt ancilla, nec vt domina.

Isaiæ 3.

Ephes. 5.

Genes. 2.

Gen. 3.

ita

ita tamen, vt ancilla non sit, sed vxor. *quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit* ei. memineritque partem sui vxorem esse: adeoq; duas in vnam coaluisse animas, indissociabili mutuò vinculo innexas. Quòd si quando monenda aut erudienda vxor, non audiant monentem patrem liberi, non serui dominum; ne contemnere incipiant illi matrem, serui dominam, & imitari etiam discant. omninò enim danda opera marito, vt quàm maxima veneratio sit liberorum in matrem, seruorum in dominam. Gen. 2.

Inuigilandum etiam marito, vt quàm optimis vxor assuescat, memor veteris dicti, *Corrumpunt bonos mores congressus mali:* perpaucas nouerit, ac non nisi probatissimarum consuetudine vtatur. domi proinde habeat quæ totam occupent, ne socias quærat quibus tempus fallat. eo magis, quòd muliebria ferè colloquia, aut in liberiores sexus illius & alterius narrationes eant, aut in alieno ludant nomine. Prosiliunt exindè non castæ narrationes, & docet mulier maritis ignorata. hinc ignes, & flammæ, & in viro alio maritus nouus. Vt ausim profiteri, plures matronas virginesq; mutuis inuerecundis narrationibus, quàm virorum consuetudine periisse. dum enim minore metu in eodem sexu versantur, incautiùs nocitura bibunt. quóque liberiùs, eo altiùs venena dimittunt. suspecta virorum colloquia; mutua mulierum, suspicione carent: quo faciliùs incautas occupant. Nec pudet in hoc sexu videre, & discere, quod in viro pudet audire. ita improuidæ cadunt. auertit periculum timor: securitas parit. Paucarum ergo familiaritatem permittet: & earum tantùm, quarum nota integritas, modestia, verecundia, prudentia, & in maritos cultus & obseruatio. reliquarum arcebit. Nascetur indignatio; malo hanc, quàm pœnitenda & dediscenda audiri & discere. & indignentur; dummodò pudica & obsequens domi sit vxor, benè est. destituent solam reliquæ; nulla sola est, quæ marito, liberis, domesticis sociatur. Non felix solitudo est, quæ castam vni marito

Optimis vxor assuescat.

marito vxorem seruat? non amabunt; nec perdent. non laudabunt; nec damnare meritò poterunt. contemnent; dummodò dissimilem sibi, bene est. contemni enim à non laudatis, laudari est. Nemo facilè vitia sua in alio damnat: & virtutis signum sit ab improbis damnari.

CAPVT V.

Quæ in filiorum educatione ratio tenenda?

Eccli. 7. Eccli. 30. *Non parcendum erranti filio.* Prou. 13. Eccli. 30.

DOCEMVR à Sapiente: *Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia sua.* addit duriora: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est.* Caussam addit: *Ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Hinc illud Salomonis: *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.* Similitudine rem aperit. *Equus indomitus euadit durus: filius remissus euadit præceps. Lacta filium tuum, & pauentē te faciet; lude cum eo, & cōtristabit te. non corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius.* Lusum vetat in filio, risum in filiæ:

Filiarum maximè cura habenda. Eccli. 7.

Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Nihil ignoscendum in illa ætate, cùm à minimis initiis procursus sit ad montes. Ita Hieronymo monente, *scintilla res parua est, & penè dum cernitur, non videtur; sed, si fomitem comprehenderit & nutrimenta sui, quantumuis paruus ignis, mœnia, vrbes, latissimos saltus regionesque consumit.* Vt non

Nihil quātumuis paruum, contemnendum.

tantùm verum sit: *Neglecta solent incendia sumere vires,* sed & neglectæ scintillæ. Hinc inter vrbes maximas, & nullas, vix nox vna, ex scintillæ contemptu vnius, intercurrit. animis etiam suæ vitiorum scintillæ sunt: quas nisi in ortu peremeris, flammæ exsurgent, nullo flumine, vbi adoleuerint, extinguendæ. Et quid scintilla tenerius? vno flatu dispelles. quid validius flamma scintillâ nata? afferunt hac inte-

græ vrbes, tanta celeritate, vt inter maximas & cinerem vix hora media foret. Quid? quòd ingentia nemora, & latè terram occupantia, paucarum non ſemel horarum decinerauerit flamma; vt cinis iam eſſent ſaltus, & arbor nulla, & retrò nemus. Eadem in animarum nemore reperies, denſo quamuis virtutum arboribus conſito. accedant è neglectu ſcintillæ, vitij alicuius magni ignis & flamma; corruit momento decor, nec viror vllus, & fruſtra venuſtas, & è fœcundo ſterilis area. tanta noxiorũ vis eſt. quo fortiùs venientibus occurrendum; nec deſperandum, etiam cùm adoleuerint. nil enim, quod non expugnet peruicax opera, & intenta ac diligens cura. Robora ſanè in rectum quamuis flexa reuocabis: curuatas trabes calor explicat, & aliter natæ in id finguntur, quod vſus noſter exigit. quanto faciliùs animus excipit formam, flexilis, & omni humore obſequentior? vt verum ſit illud Poëtæ:

Assidua educatoris cura praua corrigit.

Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Scio obdureſcere non rarò mentem, & è carnea rupeam & chalybeam exſurgere: ſed & hoc ſcio, molliſſimi elementi deciduis guttis, & lentè labentibus, ſaxa molleſcere, & eneruari ferrum. tantum aſſiduitas poteſt, vt tenerrimi etiam roris illapſu fœcundentur montes retrò ſteriles. Iam marmora quod ferrum ſecet? arena, & aquâ aſperge, ſecabis; tam mollibus tam dura. Eadem in animo conſequeris; ſaxeſcat licet & rupeſcat, frequentatis medicantibus, dulcibus licet, & mella ſua loquentibus, miteſcet. Eadem in ſerpente & leone reperies. miteſcit toruitas, lenteſcit feritas, & Reginæ ſuæ genas emaculat, & colli nuda inambulat. vt verum ſit illud Apoſtoli: *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium domantur, & domita ſunt à natura humana.* Quo magis ſperandum de homine? Neque ſpes vnquam ponenda. imbellis animi eſt, profutura proiicere, aut difficultatibus terreri; ſtolidi, deſperare, ſi primis conatibus non reſpondeat

Iacob. 3.

Nunquam ſpes ponenda eminenti datur.

H eueu-

euentus. Magnos ſanè viros e perdita, ac prodacta infantia & adoleſcentia enatos accepimus. M. Torquatum ingenij tarditas in agrum, tanquam in exilium, ablegauerat. deſperauerat de moribus pater: hic tamen delaſſatam ac fatiſcentem Latino tumultu patriam ſpecioſiſſimo triumpho reſtituit ac recreauit. L. Valerium Flaccum, quem Roma iuuentuti ſuæ, omnium propè libidinum, omnis poſtea modeſtiæ ac ſanctimoniæ, ducem vidit. Iam quid Q. Fabij Maximi Allobrogici adoleſcentiâ infamius? quid verò illo ſene ornatius & ſpecioſius Roma tulit? Q. autem Catuli iuuentutem deliciis perditam, quis crederet in patriæ Principem exſurrecturam? Duos in vno Sylla homines fuiſſe arbitreris, turpem adoleſcentem, & virum fortem; duos etiam in Iulio Cæſare, in Ottone, in Veſpaſiano Imperatoribus. Themiſtoclis verò adoleſcentiâ quid fœdius? is exindè Græcorum clariſſimus extitit, mediumq; Aſiæ & Europæ, vel ſpei, vel deſperationis, pignus fuit: hæc enim ſalutis illum ſuæ patronum habuit, illa victoriæ vadem aſſumpſit. Plurima generis huius exempla omnis retrò ætas tulit, vt non ſit deſperandum inſtructori. Quot ab improba iuuentute legimus magnos? Paullum quis neſcit, Matthæum, Zachæum, Publicanum, Magdalenam, & magnam cæli partem? quot enim in eo Sauli Pauli, quot aliquando Publicani & Magdalenæ? Etiam latroni reſerari in cruce paradiſum videmus, & ab vngulis, prunis ardentibus, liquata pice, ferro, fornacibus iudices, carnifices, tyrannos ad martyrij coronam vocari. Exempla hęc ſunt non deſperandæ ſalutis. neſcit erudire deſperatio, non magis quàm fouere, & animos addere: ſpes vna difficilium victrix eſt. hac triumphi ſteterunt, & imperia, & quidquid bello magnum. animos ergo inſtructor induat, ac primorum Imperatorum exemplo, ab ipſa difficultate alacritatem ſumat, à vulneribus & ſanguine. Quid? quòd ab ipſa deſperatione, tanquã à felici vtero & matrice, non rarò ſpes enata dominum beauit? è deſperatione nimi-

Spes vitiorum victrix.

rùm

rùm salus. Imitabitur iuuentutis instructor, & medicorum more generosiorum, nunquam spem omnem proiiciet, cùm sciat etiam à polinctorum manibus, & à fatali indice speculo, ad se suosq; rediisse non paucos. prouocabit se ergo in spem magnam, & nusquam nunquam manum deponet, certus neminem adeò efferum & barbarum, qui non medicam aliquando admittat manum. vt benè Cicero: *Sunt ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret: nunc autem simulatque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuò prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur, vt penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.* Planè ita est. non emoriuntur tamen illa probitatis semina, non magis quàm densato gelu & frigore concredita terræ semina: vbi enim se ver aperuerit, explicuerit æstas, informe ac propè exanime semen, in quem non ornatum tanquam animam, rediuiuum resurgit? credas tot emortuum mensibus iacuisse, vt fœcundiùs resurgeret, fœnerario interitu. Idem animis euenire videmus. densatur prauitas, ac tanquam in rupem improbitas coalescit; ferrum arbitreris & chalybem. nec probitatis tamen semen omne sub hac improba mole suffocatur. nam si ver meliórque æstas doctæ manus accesserit, exsurget oppressum semen; nec infrequenter altiùs, quàm si in virgine innocentia stetisset. Nimirùm, *vbi abundauit delictum, superabundabit gratia.* &, *qui priùs blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, vas electionis fiat, vt portet nomen Domini coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel.* Tusc. 3. Rom. 5. 1. Tim. 1. Actor. 9.

Fateor, naturam plurimum posse, & inter prima felicitatis illud Sapientis: *Sortitus sum animam bonam: & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Quis enim non dicat illum feliciorem, qui nihil negotij secum habeat? Illum tamen meliùs de se meruisse dicam, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad virtutem se non produxit, sed generoso conatu per obstantia extrusit. Aristoteles sanè magnus mo- *Plurimum natura ad virtutem valet.* Sap. 8.

rum magister dicere solitus, malle se adolescentiam tristem, quàm hilarem, & amabilem turbæ: vinum enim fieri bonum, quod recens durum & asperum; non pati ætatem, quod in torculari placet.

Plus educatio ad virtutem, quàm natura potest.

Scio quæri solere, & à primis viris dubitari, vtrùm ad rectè viuendum efficacius sit, benè institui, an benè nasci? valida in vtramque partem argumenta sunt. nec satis me euoluo. video tamen, plures naturæ malignitatem prouida ac prudenti institutione vicisse, quàm naturæ probitatem in maligna institutione retinuisse. video plures ab ingenita probitate, improborum consuetudine degenerasse, quàm adnatam malignitatem inter proborum contubernia seruasse. Et vt fatear magnam felicitatem esse naturæ bonæ, institutionem tamen, si valido annorum exercitio frequentata & roborata fuerit, firmiorem esse iudico; faciliusq; nos à fortunata illa naturæ bonitate, quàm à confirmatæ bonæ institutionis semita deflectere: vt institutio vbi coaluit, ac callum quemdam probitati induxit, potentior naturæ bonitate videatur. Ambrosij verba sunt: *Tantum valet institutio, vt vincat naturam*. non vinceret, nisi valentior esset. & Ciceronis: *In arte & doctrina plus est præsidij, quàm in natura.*

Nulla tanta ingenij prauitas, quæ vinci non possit.

Censent alij ingenitam prauitatem exui non posse. errant; audiant Plutarchum: *Si existimas minùs feliciter natos, institutionem tamen & exercitationem sortitos, ad virtutem rectam non posse vitium naturæ corrigere, scito magnoperè te, vel potiùs omnino falli. Siquidem naturæ dotem labefactat socordia, prauitatem doctrina emendat.* Vt nulla malignitas tanta sit, quam non assidua virtutis exercitatio corrigat. aut minùs labor in ingeniis, quàm in reliquis poterit? incoluntur vastæ solitudines, & vbi ferarum stabula, Regum domicilia sunt; serũtur arenæ, & steriles retrò terræ centupla fœneratione beantur. Quid? quòd & saxa eliquentur, & in rupibus flores legantur, & nemora inerrent, & dędalæa ludat manus, & piscium innatent agmina. tantum ars potest. & minora illi largiemur in animo-

morum cultura? Hortescunt & siluescunt piscosæ rupes, & tota illis odorata inædificantur nemora; & torrentes, cælo aut alibi natos, rupium mentiuntur vertices. & quis neget in pari mentium conatu, successum parem? aut molliora saxa animis sunt? &, dum mitescunt rupes, flecti nescia humana stabunt pectora? quis credat? Iam, quæ non robora cedunt ignibus? fluit diuite vena ferrum, tanquam fontis sui riuus. & ignauior ignibus assidua optimarum rerum institutio erit? Lentescit chalybs malleis. & non sequentur animi doctam instructoris sui manũ, omni malleo validiorẽ, omni incude firmiorem? Quid? quòd lenta mollissimi elementi stillicidia ingentia conterebrent marmora. quo magis vigilans erudientis cura animorum flectet robora, & ad virtutem trahet? Bene Seneca: *Certi sunt domitores ferarum, qui sæuissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati iugum: nec asperitatem excussisse contenti, vsque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat, osculatur tigrim suus custos, elephantem minimus Æthiops iubet subsidere in genua. & ambulare per funem. sic sapiens est artifex domandi mala.* quo magis in homine, magis etiam in puero?

Qua in re omni serio instructori curandum, vt intima concrediti sibi adolescentis perscrutetur, quò nihil illum fugiat. nescit mederi morborum ignarus. obseruet verba: *cùm ea, quæ in voce versantur, signa sint affectuum qui in animo sunt*, si Aristoteli credimus. Hinc illud sapientis magniq; Regis: *Sapiens in verbis producit seipsum*. & Quintiliani: *Profert mores plerumque oratio, & animi secreta detegit:* nec res alia magis prænuntia inlatentium affectuum est. Alia enim ferè oratio candidi pectoris, alia simulati & fraudulenti est. effusior illa; retractior hæc est. illa fiducia sui, tanquam nihil timentis, latè se spargit, & quasi per plana decurrit offensione nulla; hæc sistit sæpè cursum, & dum prodi metuit, variè interscinditur; cumq; insidias, quas struit, metuit, omnia tuta timet. nusquam proinde certò pedem figit, sed tanquam

Intima adolescentis educatori nota esse debent.

Eccli. 20.

Discrimen orationis viri candidi & fraudulenti.

per ſubiectas prunas ſpinásque graditur, nulli fidens, quia nulli fidit.

Diſcrimen triſtioris, & læti.

Alia etiam triſtioris ingenij eſt, lætioris alia. tardior illa, ac quaſi torcularibus expreſſa; volubilior hæc eſt. illa infauſta ferè ac infortunata denunciat; hæc ſecunda & proſpera. lentè illa procedit; aut tanquam è profundo educta; hæc è ſuperficie nata videtur. verborum illa parciſſima eſt; hæc liberalior. plus deinde illa premit, quàm eloquatur; hæc totum animum proſpiciendum defert. illa magna ſilentia narrationibus miſcet; hæc vna ſerie iudicanda denunciat. plena illa ſuſpicionibus & diffidentiâ eſt, & auditoris ſui vultum, totamq; corporis compoſitionem curioſiùs perſcrutatur; hæc fiduciæ plena tanquam per plana labitur, nuſquam ſiſtit, nuſquam ceſpitat.

Diſcrimen iracundi, & ſedati.

Alia deinde hominis iracundi, alia ſedati oratio eſt. illa torrentibus per confragoſa labentibus ſimilior eſt, impetu rapitur, & dum præpropero fertur curſu, tanquam ſi fluctibus fluctus incumbant, præcipiti lapſu conuoluitur, ac præſentium aures fugit, dum poſteriora priora propè verba interimunt; hæc moderata lentitudine progreditur, & fluminibus per plana labentibus ſimilior eſt; conferríque poteſt homini præcipitia conſcendenti, illa è præcipitio labenti.

Diſcrimen moroſi, & facilis.

Alia etiam hominis moroſi, & facilis. illa aſpera ferè & horrida eſt, ac tanquam per ſaxa gradientis aut aceto potati; hæc comis, & benigna. multum illa fellis & abſynthij; multum hæc mellis & ſaccari habet. oculis illa & fronte horrorem verbis addit; hæc comitatem, manſuetudinem.

Diſcrimen leuis, & ſerij.

Alia leuis, & ſerij. illa in perpetua muſica eſt, ſaltat, non ambulat, nunquam ſui ſimilis, diſſimilis ſemper, picarum & volucrum inambulationem imitatur, ſeu arborum ramos, ſeu arundinum vertices, ſeu maturas falcibus ariſtas tranſiliāt; hęc modeſta quadam grauitate, nec procurrit, nec lenteſcit nimiùm, ſemper ſibi ſimilis, nunquam diſſimilis, æquis nimirum paſſibus viam inambulat.

Alia

Alia ambitiosi, & modesti. viuida illa, audax, & inuerecunda est. & metitur sua verba ambitiosus, factus auditor sui. ad numerum nimirùm oratio illi tota componitur, séque circumspicit & auditorem, si fòrs admirabundum sentiat, & laudem aliquam referat; verecunda hæc & timida est, & tanquam rubore perfusa. elata illa, & ne quid effugiat tarda; nimium nimirùm effluant gemmea verba annulis digna. imitari credas eos, qui non siti propulsandæ, sed solius delectationis pruritu, vina bibunt; plus nimirùm oblectationis, quo tardiùs bibitur: moderata hæc est, submissa, & instar camomillæ, aut violæ terram legentis. contemptum ferè illa aliorum spirat, laudésque suas; hæc omnium laudes, contemptum sui. *Discrimen ambitiosi, & modesti.*

Est alia ferocis animi, mitis alia. illa barbarum aliquid sonat. intuere vultum: eadem in oculis & fronte leges, quæ in verbis. aspectus toruus, deiectæ genæ, os præfractum ac tumidum, frons depressior, totus denique vultus minitabundus; hæc lenis ac mollis, & tanquam puluinaribus instrata. decumanos illa imitatur fluctus à rupibus repercussos, & tempestates Aquilonibus excitatas, fluminaq; è saxeis montibus præcipiti cursu saltuq; delabentia; hæc maria in summa malacia supina, pratáque latè ridentia, placidóque æquore spectatorem hilarantia. *Discrimen ferocis, & mitis.*

Inconstantis quædam, quædam verò constantis animi est. illa nusquam certò figit pedem, semper varia, dubia, hæsitabunda, ignara quò se vertat; vult, non vult; probat, mox eadem improbat; aggreditur multa, sed in medio ferè cursu refert pedem, & destituit inchoata, immemor vbique sui; hæc meditabunda est, & matura, & fortior insistit inceptis. illa, tanquam à torcularibus, calet musto plena; hæc temperata vbique est, nec frigoris, nec caloris habet nimium; improuidorum nescia saltuum, quibus ferè ruina adiacet; ambulat proinde, non currit, quò certiùs feratur, periculorum secura. illam plerumque pœnitentia non sequitur, *Discrimen inconstantis, & constantis.*

tur,

tur, sed comitatur; hanc raro pœnitudo sequitur, nulla comitatur.

Discrimen vani, & compositi. Est præterea quædam vanæ mentis, quædam compositæ. illa vtrium instar inflatur, solis promissionibus diues, rerum egena, vmbraq; veriùs quàm corpus; dicta illi factáque, nec dicta, nec facta vnquam; omnia sibi arrogat, omnium indiga; verborum audacissima, cætera pauida & imbellis; meretriciæ cuiusdam frontis, nescit erubescere, ne inter mendacij quidem montes, & falsitatum maria; proiicere & euomere, non eloqui mendacia didicit, tanto sibi elegantior, quanto illis cumulatior. hæc pudore plena, & castarum similis, quæ alienos oculos fugiunt, ne aut capiantur, aut capiant; sponsionibus pauper, rebus diues; nihil in hac tumidum & inane, plena sunt omnia; nihil insolens, & nouitate sua discrimina generans; ferre hæc didicit, non inferre iniuriam; vbique lenis & suauis, nusquam aspera & varicosa.

Videbit proinde qualis oratio concreditæ sibi iuuentutis sit. nam, si Ciceronem audimus: *Qualis cuique animi affectus* Tusc. 5. *est, talis est homo; qualis autem homo est, talis eius oratio: orationi autem facta similia sunt, & factis vita.* Facta deinde discutiet, Prou. 20. *Ex studiis* enim *suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius.* Videat, laxatis quasi habenis, cùm sibi aliquando relinquitur, in quæ effundatur. mentiri hæc ætas non potest, non consueuit; impetum ferè propulsantis naturæ sequitur, nec *Puerorum propensiones seriò obseruandæ.* tam delectu quàm impulsu agitur. Videat, an arma iam puer amet, an equis delectetur & canibus, an effusior in cibum & potum, in lectionem, historiarum cognitionem, in fabulas, in lusum, in iracundiam, in lacrymas; ludicris capiatur, an seriis; iniurias ferat, an inferat; imperare velit, aut imperium ferre; mendacium oderit, an amet; præferri sibi alios patiatur, an secùs; honestate & gloriâ capiatur, an vtilibus, & corporis commodis; audeat, & impauidus maiora viribus aggrediatur, aut ignauo delectetur otio; vindictæ auidus, an ignoscere facilis, iniuriarum & offensionum retinens, an remittens;

mittens; obseruans maiorum, an negligens; ferox, an benignus; asper, an comis; morosus, an lætus; durus, an flecti facilis; crudelis, an mansuetus. quod è blanda aut feroci bestiarum tractatione, ac muscarum etiam carnificina intelliget. obseruatum hoc olim in Imperatore postea crudeli. Verecundus, an effrons. Semina hæc ferè sunt excrescentium cum ætate herbarum arborumq;. Ita de verecundia Seneca censet: *Bonum in adolescente signum est, cùm illi ex alto rubor suffunditur.* Et de Spartanis Xenophon: *Pudorem quasi naturalem Spartani pueri concilient, in viis manum intra pallium habeant, silentioque intendant, nusquam circumspiciant, sed humi oculos defixos teneant.* Hæc in altissima gentilitate monita. Quæ præcepta Christianus dabit? Et Plato: *Duo sunt, quæ per omnem vitam ducere debent adolescentem, in rebus turpibus verecundia, in honestis studium.* Bernardus verò: *Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulcra, & quàm splendida gemma est morum verecundia in vita & vultu adolescentis! quàm vera, & minimè dubia bonæ spei nuntia!* & Tertullianus, *mentis statum in fronte consistere*, non veritus fuit asserere. & alius: *Cognatus virtuti pudor.* *Verecundia in adolescente laudata.*

Nec desunt, qui hominem à vultu metiantur, ac totius corporis habitudine. non quòd hæc signa non fallant, sed quòd nec inania, nec vacua momenta sint. Certè vt oratio, ita & vultus in latentium testis & index est. vt non immeritò Eumenius in Constantino: *Non frustra doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cælestis spiritus intrarit habitator.* Et ex arteriarum citato, lento, intercisо, aspero, molli, fugiente pulsu, in quas non fortunatas coniecturas prosiliunt medici? Quid? quòd è sola extima manuum cute, tensa, aspera; succulenta, exsuccida; duriore, molliore; non vana valetudinis, vitæ ac mortis signa desumantur; quo magis à vultu, potentissimo interiorum indice? Vnde illud: *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* *Index animi vultus.* Eccles. 8.

In bestiis sanè certissima è vultu coniectura est. non vana etiam in homine. Hic canino vultu est, & domino suo fidus. ille vulpino, & astu valet doloque; ne fide. iste lupino; non induet mansuetudinem, crudelem expecta, & sanguinis auidum. alius asinino; & pingui gaudet otio, & stolida ferè mente est. leonino alius, & explicato pectore, & generosa mente est: nulla hunc humilia & sordida, delectant ardua & magna. præfert alter mulum, & recto vultu, immota ceruice, in vtrumque latus oculos circumfert; astum, malignitatem, & calces verere, vbi tutissimum te arbitratus fueris. taurum alter; & dura ceruice est, & flecti nescia. ceruum alter; fallit decor, nihil in hoc excelsi animi, timoribus natat, & fugæ aptior quàm bello. leporem nonnulli; solis hi pedibus se tuentur, semper pauidi. aprum nonnemo; ferociam & sordes reperies. quid? quòd & vrsum; deturpant hunc pili, & libido. etiam ouem; simplicitas hunc vestit, & stupor. equum referunt non pauci; quorum generositatem, ambitionem, ignauiam, è varia vultus formatione disces. alij simiam; dolos in his reperies, & adulationes. quidam auium quarundam lineamenta ostendunt: etiam mores metu, suspicionibus, inconstantiâ plenos. sed & aliquid è serpente in nonnullis inuenies, venena etiam & insidias, infidam ac intutam mentem, nullis beneficiis vincendam. nec pauca in quibusdam è felibus; vngues caue, nec fortunas crede. sunt qui vultu mulierem mentiuntur; nihil in his virum sapit, ingenium vultui respondet, narrandis quàm gerendis rebus aptiores.

Frons index animorum est. Iam, quanta discrimina frontis! intuere in his paruam, depressam, angustam, rotundam, & quasi circularem, asperam, caperatam, tetricam, obductam, mœstam, nebulosam, in aliis amplam, latam, quadratam, longam, lenem, splendidam ac quasi ridentem.

A voce indicium animorum sumitur. Quanta vocis! in his blanda, placida, mollis, acuta, tarda, flebilis, tremula, obscura, perplexa, remissa, difficilis; in aliis.

aliis elata, aspera, vehemens, contenta, clara, constans, grauis; breuis, velox.

Quanta coloris! In his color niger, fuscus, liuidus, pallidus, squallidus; in aliis candidus, flauescens, flammeus, rubicundus. *A colore.*

Quanta oculorum! In his ampli, protuberantes, tumidi, blandientes, lucidi, albicantes, læti, ac quasi gaudio loti, dolisq; circumsepti: in aliis parui, concaui, subnigri, maculosi, cæsij, sanguinei, truces, ignei, flauescentes, tenebricosi. *Ab oculis.*

Quanta nasi! huic modicè insurgit, immensùm illi; deprimitur ac quasi medio subsidit alteri; illi breuior, longior alteri; deductior vni, ac latè spargitur, pressior alteri; acuitur vni, obtunditur alteri. &, quod mireris, in tot millibus, vix vnus nasus. tot discrimina in tam exili corpore. *A naso.*

Quanta capillorum! In his albi, pallentes, subliuidi, rufi, flauescentes, molles, rari, latè fluentes, proiecti: in aliis nigri, subnigri, castanei coloris, asperi, duri, accisi, à radice aut vltima sui parte crispantes, fronti imminentes, reiecti in verticem. *A capillis.*

Quid? quòd etiam in vnguibus, non digitis tantùm & manibus, sua discrimina sint. In his reperies rotundos, breues, pallentes, albicãtes, molles, tenues; in illis latos, oblongos, asperos, planos, pellucidos, subrubentes. In reliquis membris non inferiora reperies. Quæ discrimina ex interna humanæ conditionis varietate nasci necessum est: cùm ab interna alia atque alia conditione, alia atque alia exterior proueniat constitutio. à varia nimirùm internorum temperie exterior nascitur, tanquam à dissimili materno vtero dissimilis soboles. *Ab vnguibus.*

Non quòd indubitata hæc signa sint mentis bonæ, malæq;. scio enim à Sapiente dictum: *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo.* sed quòd pronitatem quandam naturæ corporisq; designent. Assimilantur enim exteriora internis, vt hederam illa credas postibus defixam, *Exteriora corporis non sunt indubitata bonæ malæue mentis signa.* *Eccli. 11.*

vino vendendo cellisq; recondito. Ita ferè in vultu mentem corpore reconditam clausamque, tanquam in speculo legas, vt totum hominem, animamq; totam in vultu posuisse natura videatur. Intuere. videbis ferè animi motus, vultus, maximeque oculorum, deiectione, erectione, hilaritudine, mœrore, toruitate, lenitudine, tumoribus, inflammationibus exprimi; vt propè cogitata videas, sanè non obscuris indiciis colligas. Res factas pictura loquitur, animorum res vultus, in quo tanquam tabula inlatentia pinxisse natura videtur. ita proditor cogitationum propensionumq; vultus est. Scio non ab vno dictum: *Fronti nulla fides*; &, *Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*. vt mentiri frons videatur, & insidias inspectori struere. In adultioribus non negem: quanquam nec semper mentiri vultus possit, nec soleat. in pueris nec potest quidem; necdum enim ea ætas edocta dolos struere, necdum fraudes fronte & oculis spargere. Ignorat illud, *Mentem iniuratam gero*, si frons & os mentitur. nec magis vultu fallere, quàm sicas vibrare, vel venena propinare didicit. Maturioris ætatis hæc sunt.

Educatio naturæ pronitatem vincit.

Vincit tamen naturæ corporisq; propensionem educatio, & virtus. non quòd naturã in aliam vertat, tanquam ceruum in leonem: sed quòd frequenti contrariorum exercitatione, quasi in aliam naturam, felici morum metamorphosi natura transeat, & gaudeat etiam assuetis, plusq; ad hæc consuetudine frequentata, quàm ad matrum vtero vberibusq; propinata & hausta feratur. ita educatio, altera & potentior natura est. cui si è cælo accedant auxiliares virtutum copiæ, calcatâ naturâ, victrix triumphum agit educatio. & mentiri docet vultum, à quo quidquid ferinum & belluinum est, deuerrit, tanquam mensarum analecta scopis: vt quem vultus crudelem, ignauum, præferocem, durum, asperum, infidum, fallacem; hunc educatio, virtute sociâ, mitem, vigilantem, benignum, facilem, lenem, fidum, fraudum inimicum, & rectâ gradientem tradat. Et in hoc ars omnis educatoris

toris est, vt, vbi suorum in vtramque partem propensionem cognouit, obfutura amoueat, profutura admoueat; auertat mala, accersat bona. Benè Cicero: *Quæ bona sunt, meliora fieri possunt arte; & quæ non optima, acui tamen & corrigi possunt.* Imitetur monentem instructor, maláque quà monendo, quà terrendo, quà minitando, & puniendo euincat. horrorem metumque incutiat, narret damna discriminaque, reiq; fœditatem ob oculos ponat, omnia in maius extollendo. Socios deinde deligat & admoueat, à vitiis, quibus suum premi videt, alienissimos; vt contrariis assuescat. ferociorem nactus est? adhibeat blandos & mites; superbo, humiles; præfracto, faciles; iracundo, mansuetos; agresti, comes; tenaci, liberales; prodigo, parcos; effuso, in verbis concisos; tristi, lætos; leui, maturos; vano, serios; ignauo, excitatos; somnolento, vigiles; abiecto, generosos; timido, audaces; temerario, prouidos; moroso, benignos.

1. de Oratore.

Socij quales puero dandi.

Habeat deinde puer in omni omnino re proposita *socios in discendo, quibus inuideat, quorum laudibus mordeatur.* Et è Quintiliani monitu: *Audiat multa quotidie probari, multa corrigi. proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria. excitabitur laude æmulatio. turpe ducet cedere pari, pulcrum superasse maiores. Accendunt omnia hæc animos, & licèt ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen caussa virtutum est.* Gloriam ignominiæ sociam adiungat. si illâ moueatur, hanc omittat. non accenditur illâ? addat secundam. neutrâ mouetur? minas addat, inde pœnam, & in pari delicto acriter seruum puniat, vt terrorem pœnarum magnitudo incutiat. primum tamen in omnibus locum honor teneat, accedant pro ætate præmia, & ante omnia, quibus ætas illa maximè capitur; nec ad alia decurrat, nisi honore excusso.

Hier. ad Lætam. Instit. li. 1. cap. 2.

Adiungo his quædam Senecæ documenta Philosopho dignissima. *Plurimùm proderit pueros statim salubriter institui: difficile autem regimen est, quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti obseruatione res*

Seneca de educatione opinio. Lib. 2. de Ira.

indiget. vtrumque enim, & quod extollendum, & quod deprimendum est, similibus alitur. facilè autem etiam attendentem similia decipiunt. crescit licentiâ spiritus. seruitute comminuitur, assurgit si laudatur, & in spem sui bonam adducitur. sed eadem ista insolentiam & iracundiam generant. Sic itaque inter vtrumque regendus est, vt modò frænis vtantur, modò stimulis: nihil humile, nihil seruile patiatur. nunquam illi necesse sit rogare suppliciter: nec prosit rogasse; potiùs caussæ suæ, & prioribus factis, & bonis in futurum promissis donetur. In certaminibus æqualium, nec vinci illum patiamur, nec irasci. Demus operam, vt familiaris sit his, cum quibus contendere solet; vt in certamine assuescat non nocere velle, sed vincere. quoties superauerit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non gestire patiamur. gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æstimatio sui sequitur. Dabimus aliquod laxamentum: in desidiam verò otiumque non dissoluemus, & procul à contactu deliciarum retinebimus. nihil enim magis facit iracundos, quàm educatio mollis & blanda. ideò vnicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. non resistet offensis, cui nihil vnquam negatum est, cui lacrymas sollicita semper mater abstersit, cui de pædagogo satisfactum est. Longè itaque ab assentatione pueritia remouenda est. audiat verum, & timeat: interim vereatur. semper maioribus assurgat. nihil per iracundiam exoret. quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur. & diuitias parentum in conspectu habeat, non in vsu. exprobrentur illi perperam facta. Pertinebit ad rem, præceptores pædagogosque pueris placidos dari. proximis applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit. Nutricum & pædagogorum retulere mox in adolescentiam mores. Apud Platonem educatus puer, cùm ad parentes relatus, vociferantem videret patrem, Nunquam, inquit, hoc modo Platonem vidi. non dubito, quin citiùs parentem imitatus sit, quàm Platonem. Tenuis ante omnia sit victus, & non pretiosa vestis, & similis cultus cum æqualibus. non irascetur aliquem sibi comparari, quem ab initio multis parem feceris. Quod Philosophus de ira, de omni dici vitio potest. Addit: *Vinum pueris Plato negandum putat, & igne*

vetat

vetat ignem incitari. nec cibis quidem implendi sunt: distendentur enim corpora, & animi cum corpore tumescent. Labor illos citra lassitudinem exerceat: vt minuatur, non vt consumatur calor, nimiusque ille feruor despumet. Lusus quoque proderunt: modica enim voluptas laxat animos, & temperat.

Addo Ciceronis præcepta: *Est igitur adolescentis maiores natu vereri, ex hisce deligere optimos & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur: ineuntis enim ætatis inscitia, senum constituenda atque regenda prudentiâ est. maximè autem hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque & animi & corporis, vt eorum & in bellicis, & in ciuilibus officiis vigeat industria: atque etiam cùm relaxare animos, & dare se iucunditati volent, caueant intemperantiam, & meminerint verecundiæ. quod erit facilius, si eiusmodi quoque rebus maiores natu interesse velint. Adiungatur vsus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superat.* abit enim in naturam frequentata consuetudo, & delectat quod asperum antè videbatur. Hinc illud Philonis: *Inueterata consuetudo plerumque tantum potest, quantum natura, ita vt grauissima quæque reddat toleratu facilia.* Vt bene & verè Plutarchus: *Vitam optimam elige; hanc tibi non insuauem consuetudo faciet;* quin & dulcem. Cic.1.de Orat.

Ipse verò ante omnia instructor præeat virtutum exemplis. monet Seneca, & prudenter in hac re, & verè: *Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodò audiuisset: vitæ eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum an ex formula sua viueret. Plato & Aristoteles plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxerunt. Metrodorum, & Hermachium, & Polyænum, magnos viros, non schola Epicuri, sed contubernium fecit.* Et nescio, an non hinc illud: *Cœpit* IESVS *facere, & docere.* facta nimirum dictis potentiora sunt, & faciliùs eunt in exemplum, in imitationem; influunt potentiùs, hauriuntur altiùs, inhærent tenaciùs, & calcar quoddam addunt etiam reluctanti. verecundiam sanè incutiunt & ruborem, & vel hoc solo frequenter *Instructoris mores plurimum possunt.* Actor. 1.

nomi-

nomine,trahunt in sequelam.Pudet nimirùm non subsequi præeuntem,tantumq; exempla valent,vt corporis etiam & linguæ vitia in magistro imitentur discipuli. cùm enim per ætatem rerum discrimina ignorent, probumq; ab improbo discernere non valeant, quidquid in magistro vident, imitandum sibi proponunt.vt verum illud sit:

Velociùs, & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos auctoribus.

Viuimus nimirùm ad exemplum. vt meritò Stoicus: *Nullos peiùs mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui aliter viuunt quàm viuendum esse præcipiunt: nec magis talis potest prodesse præceptor, quàm gubernator in tempestate nauseabundus.* Potissima ergo cura in instructoris delectu ponenda. factum hoc olim in viris magnis felici euentu. Alcinoum Vlyssis, Chironem Achillis, Nestorem Agamemnonis, Telemachum Menelai, Polydamantem Hectoris, Simonidem Hieronis, Alexandri Aristotelem, Alcibiadis Socratem, Cyri Xenophontẽ, magistros fuisse accepimus;magnos omnes,magnorum. In instructore proinde seriò adlaborandum,vt à quo ferè vitæ reliqua pendeant. Nam vt parentibus magna in hoc genere largiamur, plus tamen ab instructoris vigili cura, quàm à materno vtero vbereque puer hauriet;certiora etiam,& quę ætatem ferant,altiusque imbibantur,& in pectus demittantur. Huius verò summum studium in concreditorum sibi cognitione versari debet. Nusquam verò se inlatentia bonorum malorumq; semina magis produnt, quàm in æqualium lusu,& liberiore contubernio,cùm sibi naturæque suæ puer relinquitur. tunc enim se exerunt vitia, & subcineratam metu extollunt ceruicem, & prono cursu, excussis habenis,in amica naturæ suæ feruntur. Nec premere hæc puer potest, qui simulare non didicit, sed pecorum more, in optata proruit. Verè Lyricus:

In instructoris delectu magna cura adhibenda.

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo

Signat

Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit & ponit temerè, & mutatur in horas.

Monet verò de lusu Plato, *vt statim à teneris annis pueri honestis iocis assuefiant, ne, si ludis minùs decentibus assuescant, nunquam in viros probos euadant.* In omni verò genere periculum instructor capiat. inde ad remedia manum admoueat, vbi mala morbosque didicerit: aut validiora ad virtutem calcaria addat, si quæ huius semina senserit.

Cauebit verò ab improborum consuetudine. Vnum enim vitij grauioris exemplum, in omnem ætatem nocitura infundit: nec memoria illius nisi cum morte ponitur. vt semel vidisse, audisse, æternùm sit. quemadmodum semel hausisse venena, semper est. Quid? quòd vna non rarò indecora lectio etiam canos comitetur, vnusq; inuerecundior prospectus Dauides in Bersabea dare consueuerit. ac licèt in ea ætate ignorata plurimùm scelera, vbi ad alteram accesserit sceleribus maturam, obuersatur innoxia olim, nunc nocitura species animo; & quæ aliquando ignara, conscia fit criminum, solâ præteritorum memoriâ recrudescente. Admittet ergo meliores, aut non inferiores probitate, aut sanè qui admittent emendationem, ex Stoici sententia: *Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illosque admitte, quos tu potes facere meliores. mutuò ista fiunt: homines dum docent discunt.* Prudenter. sequatur tantùm monentem Philosophum magister: optimis adiungat, aut quos natura ad probitatem finxit, siue infundendam, siue hauriendam. Nec illa tamen illi ætati imperet, quę maturiores annos desiderant. grauis hic error sit; nec minor, quàm si quis eandem dictionem prima & vltima ætate deposcat: *Vt enim iuuentutem inexplicata quædam, ac quasi turbata non dedecent, ita senes placida ac pacata decent: compta illos, & ornata, & meditata, & impetu quodam protrusa; senes simplex, breuis, clara, inornata dictio decet, quæque plus sententiarum quàm verborum habeat, pressior, circumscriptior, adductior oratio. illam tori, ac quasi tubæ decent, & verrens lacinia,*

Arcenda improborum consuetudo à puero.

Seniorum & iuniorū oratio quâ differat.

ac stolâ; hanc ossa, musculi, nerui. Idem in reliquis iudicium. oblectamenta, lusus, exercitationes, studia, munia ætas discriminat; etiam vestes, & cibum.

Pro conditionum varietate institutio esse debet. Alia deinde pro natalium conditione studia sunt, exercitatio alia: neque omnium venatio, saltus, equitationes, arma, colluctationes, natationes sunt. Alia etiam studia illorum sunt qui parantur armis, qui regno, qui Principum aulis, qui togæ, qui Reipublicæ administrandæ, qui agris colendis, qui mercaturæ, qui liberalibus artibus, qui mechanicis. omnibus tamen suæ virtutes sunt, vitiaque; illæ in sequelam, hæc in fugam. In omnibus interim magistro opus, qui quemque pro naturæ pronitate ad optima quæque impellat. neque deesse res dignissimæ ingeniis possunt, accedat tantùm labor, magistri in erudiendo, discipuli in sequendo. Vt meritò admirabūdus historicus inclamet: *Quo magis prauitas eorum admiranda, qui dediti corporis gaudiis, per luxum & ignauiam ætatem agunt; cæterùm ingenium, quo neque melius, neque amp'ius aliud in natura mortalium est, incultum atque socordiâ torpescere sinunt: cùm præsertim tam multæ variæque artes sint, animi quibus summa claritudo paratur.* Planè ita est. Verùm ab educatorum ferè supina ignauia hic error nascitur; parentes illi, aut magistri sint, graue in vtrisque delictum est. *Arist. li. 5. Polit.* *Errore* verò *in principio commisso, non euenire ad extremum aliquid mali impossibile est.* In quam sententiam illud etiam Leonis est: *Difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

Inuigilandum initiis. Inuigilandum proinde initiis, à quibus, tanquam à fundamentis, vniuersa educationis fabrica pendet. Monemur à Magno Basilio: *Animus dum adhuc tener est, & ritu ceræ, quæ ipsas impressas in se formas quascunque facillimè recipit, confestim ab initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet: quò videlicet, vbi postea rationis vsus accesserit, & habitum rerum iudicandarum ætas attulerit, pietati iam abineunte assuetus, nullo impedimento, cursu vtatur facili, cùm & ratio quid expediat admoneat, & ad id assequendum facilitatem præbeat consuetudo.* Est in hanc

hanc ſententiam illud Poëtæ:

Vt laus eſt ceræ, mollis cedenſque ſequatur
Si doctos digitos, iuſſaque fingat opus;
Sic hominum ingenia flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

Nec tanti moliminis res eſt, ſi Senecæ credimus. Facillimè enim tenera conciliantur ingenia ad honeſti rectique amorem: ac licèt bonæ non rarò educationi, tanquã bonæ terræ, maligna inſpargantur, improborum conſuetudine, zizania, & adoleſcant etiam, & in ingentes ſuccreſcant arbores; perrarò tamen prima ſemina ita intermoriuntur, vt non aliquando rediuiua reſurgant; nec infrequenter validiùs, quo diutiùs vitioſum frigori inſepulta iacuerunt: maximè, ſi quis proborum conatus, monitórue, aut miſerantis Domini manus acceſſerit. Eſt in hanc ſententiam illud Hieronymi: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt: & lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet?* Et Philonis: *Sicut vaſa odorem, quo primùm fuerint imbuta, referunt; ſic iuuenum animi, quas primùm formas imaginatione concipiunt, nunquam aboleri ſinunt.* nimirùm veteri & vero dicto: *Manet in omnem ætatem, quod hauſtum eſt in pueritia.*

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu. vſquè adeò enim *à teneris aſſueſcere multum eſt.*

Quo magis inuigilandum huic ætati, maximè in iis qui ſpondere videntur magna, ſiue adnata ingenij altitudine, ſiue generis claritate, ſeu togæ, ſeu armis, regnoque parentur. ad plures enim horum educatio tranſit. vnde illud Claudiani verum nimis: *Magnis ingenijs maximè inuigilandum.*

Componitur orbis
Regis ad exemplum. nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Quare *qui Regem erudit, eum & ſubditos quoſque inſtruere certum eſt. nam cuiuſmodi fuerit dux, tales & ſubditos vt plurimùm fieri neceſſum eſt.* vt hoc nomine, non paucis in his, ſed multis inſudandum ſit: cùm ex praua probaque eorum inſtitutione,

 plu-

Necessaria bona Principum educationi. plurimorum damna, commoda, interitus, salusq; pendeat. quod eo magis in Principum filiis locum habet, quo latiùs eorum mores diffunduntur. In quibus si quid vota possunt, optem semoueri quidquid animum eneruat, delicias, comessationes, otium, ignauas artes.

I.

II. Lusum omnem, in quo sine honore pericula, vt chartarum, alearum, similiumque; aut in quo pudor naufragatur, & pœnitenda maturioribus annis, tenerior discit ætas.

III. Vicinorum populorum, & quorum maximus vsus, linguas ediscat, Cyri, Mithridatis, Catonis, aliorumq; exemplo.

IV. Saltu, cursu, natatu, equitatu, venationibus, sudoribus corpus induret. frigoraque æstumque iuxtà pati discat, famem etiam ac sitim, fessumq; laboribus corpùs tabula, aut nuda humus, aut lapis excipiat.

V. Armis assuescat; lorica pectus, galea caput, scuto corpus, dextram muniat ferro; decurrat campum, ac nunc tanquam inter velites, nunc tanquam grauioris armaturæ versetur; hîc pediti, alibi equiti permistus. metiri castra, vallum iacere, propugnacula erigere & euertere, ordines sequi & ducere, pedem retrahere, insequi fugientes discat; è mensa ad tubam, è somno in hostem, nunc armis tectus, nunc solis animis procurrat.

VI. Litterarum studia reliquis exercitationibus permisceat. nulla illi dies, Cæsaris, Augusti, Antonini, Traiani, Adriani exemplo, sine lectione, scriptione abeat. etiā inter arma historiarū meminerit; quarū cognitio imperatori non minùs quá armorū necessaria. Validissimi hi magistri sunt, & muti loquentibus potentiores. ex his die sæpè vna, adeoque hora discet vna, quæ maximi fortunatissimique exercituum ductores, per sudores, vulnera, sanguinem, damnaque, ætate tota, pace belloque consecuti sunt. Hîc varios rerum inopinatos, præuisosque euentus; variam fortunam, aduersam, secundam; subitos & inexpectatos casus, hostiles insidias, robora, & ex desperatione virtutem, socordiam, vigilantiam, ac vtri-

vtriusque commoda; celeritatem, lentitudinem, audaciam, temeritatem, trepidationem, varios rumores, hostilem contemptum, remedia, consilia, animosque in arduis leget; quidque in singulis amplectendum, quid fugiendum, nullo suo damno, emolumento maximo, labore nullo hauriet; rationemq; è difficultatibus se explicandi fortunatis infortunatisque aliorum exemplis intelliget. prudentiamq; aliorum periculo, damno suo nullo, non magnâ lectione colliget.

Philosophiæ Moralis, & in ea virtutis studium amplectetur. Hinc discet in aduersis, cum Miltiade, constantiam; in secundis, cum Dione, modestiam; in tristibus, cum Æmilio, lætitiam; in lętis, cum Valerio, moderationem; in paupertate, cum Curio & Fabricio, gaudium; in diuitiis, cum Galieno & Adriano, munificentiam; in tormentis, cum Scæuola & Regulo, patientiam; in alienæ mulieris forma, cum Alexandro, Cyro & Scipione, castimoniam; in verecundia, cum Gordiano & Maximiliano Imperatoribus, frontis teneritudinem; in cibo & potu, cum Traiano, Antonino, Stephano Sclauoniæ Rege, parsimoniam; in vestitu, cum Augusto, Lacedæmoniorum Lysandro, Epaminonda Thebano, modestiam; in morte, cum Socrate & Seneca, alacritatē; in exilio, cum Thrasea & Camillo, tolerātiam; in voluntaria secessione, cum Africano Maiore & Minore, promptitudinem; in pietate in parentes, cum Cimone, Metello Pio, Manlij & Crœsi filiis, teneritudinem; in congressibus, cum Vespasiano & Tito, facilitatem & comitatem; in iudicio ferendo, cum Cambyse & Daniele, fortitudinem; in pietate colenda, cum Ludouico Galliæ, Stephano Hungariæ, assiduitatem. in reliquis denique virtutibus progressus felices, animumque ad omnia paratum. In quam rem post Christianorum libros, Historicosq; veteres, Senecam legat & Epictetum. VII.

Odisse discat iam inde ab infantia, cum Alexandro Seuero, adulatores & detractores, pœnis etiam cum Septimio Seuero prosequi, dolos fraudesq; detestari, mendacium odisse. VIII.

IX. A mulierum familiari consuetudine excludatur. mollescit mollioribus tenerior ætas, & sexus illius affectum induit: inde mores imbibit vitiaque, & in feminam iam migrat vir stola dignior, quàm imperio. Durioribus proinde assuescat qui imperare debet. nemo indurescit mollibus. arcendus proinde ab omni familiaritate illarum, ne à meliori sexu in deteriorem degeneret, oblitus sui, discatq; quæ mulierem decent, dediscat quæ virum, quæ Principem.

X. Probatissimis societur; vt nihil videat, nihil audiat non dignum sceptro & purpurâ. viris cingatur bello claris, deinde in varia scientia magnis; in Historia inprimis, Mathesi, Philosophia, maximè Morali: videat facta suorum fortia in cursu, saltu, luctationibus, equitatu, venationibus, aliisq;, vt exemplo in paria excitetur: doctis etiam intersit disputationibus. Arceantur verò magno conatu quicunque vitiis obnoxij, cætera licet magni: nec tam ætatis ratio habeatur, quàm probitatis. satis senex est, quem probitas & cani mores vestiunt. non amo senes pueros, quos cano vertice, viridis crudaque vitiorum iuuentus circumstat. Aliquid hîc legimus in nostram sententiam à Platone: *Sapiens legumlator senibus præcipiat, vt sint circa iuniores verecundi, ac summopere caueant, ne quis iuuenum eos videat aut audiat agentes turpe aliquid vel loquentes. nam vbi senes minùs pudici sunt, necesse est ibi iuuenes impudentissimos esse.* Quod in senibus de verbis factisque minùs castis Plato, ego de vitiis omnibus, omnique ætate dixerim. eliminanda nocitura exempla sunt, à quocunque profecta; magis tamen, non nego, si à senibus, quorum, ob ætatem, & prudentiæ opinionem, fortiùs illabuntur, & imbibuntur altiùs exempla. & imitari cani capitis vitia delectat, cùm virtutum nomen induunt. Quid? quòd ipsa canities virtutis opinionem ingeneret, maximè apud inexpertos rerum, & talium inassuetos. Pulcrum nimirum & decorum iuuenibus, insequi præeuntes senes. ita pro medicamentis venena bibuntur, mors pro vita. nec quidquam facilius, quàm improuidæ iuuen-

uentuti, & per ætatem credulæ & incautæ, perimentia pro sanantibus propinare.

In omni autem educatione, aliquid propensioni dandum, nisi illa degenerauerit à virtute, aut maiorum probata conditione. Nolo Regem citharœdum, nolo comœdum, licet eò natura trahat; nolo cælatorē, pictorem, medicum, quamuis forti ad illa naturæ impulsu rapiatur; nolo peritum Grammaticum, litterarum criticum, aut veteris Poëtæ commentatorem, naturæ licet manibus ad hæc ducatur. quin adeò abduci ab his velim, constanter huic naturæ propensioni obuiàm eundo. Ad magna, & imperio digna erigendus animus qui imperio nascitur, aut paratur. Amare Regium iuuenem artes non liberales modò, sed & honestas omnes volo, sequi nolo: colere in aliis & præmiare etiam, in se nunquam admittere. pudeat ad diademate indigna descendere. In vnoquoque proinde magna semper ratio habenda generis, & maiorum. quòd si quem tamen infima etiam plebe natum ad magna videat properantem, ne retrahat; impellat potiùs, & cum natura manum admoueat, ducatque quò duci videt. In reliquis magna propendentis naturæ ratio habenda. graue enim, hac reluctante, aliquid moliri. & perrarò magna dabit, quem educatoris violenta manus aliorsum à natura rapit, cuius conatus validissimi sunt, & cum qua, teste Philone, *pugnare difficillimum est.* vt audeat Quintilianus: *Illud in primis tenendum, nihil præcepta & artes valere, nisi adiuuante naturâ.* non desperandum tamen, si non omnino præfractè reluctetur. nam si tota, toto natali impetu in opposita rapit, potenti ac præualido opus robore, vt ab ingenito cursu retrahas: Et paucorū omnino est, abducere ab hoc saxeo naturæ torrente, & è præcipiti prolabente. Quare nisi vitiis trahatur, nollem nimio conatu ad naturæ aliena propelli; cui non aliquid tantùm, sed & multum largiendum, quamdiu à bono non abducit. nam si reluctanti obnitaris, tenuia omnino, & humi voluntariâ quadam iniuria serpentia, speranda sunt;

Aliquid dandum propensioni in educatione.

sin

ſin aſſentiaris,magna. Idemq; hîc vſu venit, quod nauiganti. quem curſum naucleru ſperet obluctantibus validè ventis? quem non, ſecundis? nam, vt alia deſint, ipſa oblectatio, quæ naturæ pronitatem comitatur, animos addit, laborem minuit, accendit ad magna, & audere docet ad quod natura protrudit: qua duce ardua leuia, aſpera mollia, inacceſſa peruia, in præcipiti poſita plana, lubrica firma arbitratur; ipſaſque adeò maria fluctus minaſque vomentia, armaq; telaque, quanquam Hercule iaculata, ridet; magna denique omnia infra ſe poſita putat, ſi natura ad illa ducat. Ad quam ſi auxiliaris acceſſerit inſtructoris dextera, ſperari in vnoquoque genere magna poſſunt.

Ingratitudo educatorem terrere non debet. Neque terrere parentes aut inſtructores debet filiorum diſcipulorumq; animus ingratus, impiæ manus. Scio non defuiſſe qui pro benefactis malefacta reponerent. memini filiorum in parentes crudeles manus, Tulliæ in Seruium, *Ingrati in inſtitutores.* Ariſtobuli in Hyrcanum, Selymi in Baiazetem, Sanchij in Iaymem, & illius, qui poſt Clotharium patrem viuus cum vxore prolibuſq; & domo exuritur. Memini diſcipulorum, Herculis in Linum, Anyti in Socratem, Angeli Conſtantinopolitani in Baſilium, Neronis in Senecam, Iuliani in Pigmenium. Crudeles in his impiaſq; in magiſtros manus lego, nec terreor. Nec terrere hi inſtructorem debent. magis verò *Grati in educatores.* animare Magni Alexandri in Ariſtotelem, Catonis in Sarpedonem, Antonini in Frontonem, Proculum, Ruſticum, (quos Roma Conſules vidit) Theodoſij in filiorum magiſtrum, Arcadij in Arſenium, cultus & veneratio; & tot omni retrò ætate millium, quos diſcipulorum amor ſupra fortunam, in qua nati, ſuſtulit. Teſtis mihi Hiſpania & Italia. nec longè quærendi. viuit etiamnum grata multorum in vtraque purpura memoria, viuetque æternùm: neque vlla tam ingrata poſteritas ſilentio premet.

CA-

CAPVT VI.

Quæ vitæ ratio instituenda Superiori?

QVAM omnes imitentur, pauci assequantur; omnes voueant, pauci attingant. adeò supra vulgus Superiorem & Principem esse volo, vt virtute magis, quàm dignitate & purpurâ suis antistet. Est enim Superiorum vita perpetua quædam censura ac linea, ad quam dirigimur; speculum, ad quod cõuertimur. neque enim tam imperio opus, quàm exemplo, cùm infidelis recti magister sit metus. Amari velit, qui præest. amorem virtus dabit. hæc illum supra reliquos vehet, non equi & currus. Sanè nihil maiorem faciet, quàm subditorum pietas & amor. Vtrumque probitas dabit, & recti studium. Et quid pulcrius Superiore ac Principe, inter cuius priuatam fortunam & publicam nihil interest, nisi quòd in publica plus ametur, cùm plures ipse amet? Amari vincere est. vincit enim, qui amandi caussam dedit, animorum victor. amatur, qui amat. mutuò enim amores illigantur. nullus verò potentior amor, quàm qui virtuti innectitur. Superioris maximè: cuius cùm vita, Solis instar, omnium obtutibus obiiciatur, etiam virtutes, quarum radij omnium quaqua oculos repercutiunt. Et frustra se tegit sol. intercurrant ac subterlabantur licèt nubes, manet illi sua lux, & pulsis nubibus, etiam nobis serenitas redit. Nequidquam se etiam resque suas Superior tegit. immergitur fors ac integitur aliqua simulatione, tanquam nube; at manet illi dignitatis suæ lux sua, reiectaq; simulationis nebulâ, totum diffunditur lumen prospectandum omnibus. Est in hanc sententiam illud Claudiani:

Superiorũ vita regula subditorũ.

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse

Superiorũ bona maláque tegi nõ possunt.

L *Facta*

Facta palàm, nec posse dari regalibus vsquam
Secretum vitiis. nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos implorat fama recessus.

Plin. in Traiano. *Habet enim hoc magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: Principum verò non modò domus, sed cubilia ipsa, intimósque recessus recludit, omniáque arcana noscenda proponit famæ.* Vt non immeritò rideat Poëta:

O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora.

Cur Superiori & Principi, virtutibus incumbendum. Quò maiori cura incumbendum Principibus & Superioribus virtuti est, cùm omnium oculis, linguis calamisque etiam cubiculorum abdita proponantur. credas è specula latè in subiectos campos lumen diffundi. magis etiam quòd dicta factaque illorum eant in exemplum, ac propè legis vicem subeant. Hinc illud Sapiētis: Eccli. 10. *Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* & illud Basilij: *Vt plurimùm subiectus populus se solet conformare eorum moribus qui potentiâ præualent, ita vt quales aliquando fuerint qui præstant vitæ ducatum, talis sit necesse sit qui in viam ducitur.* illud etiam Iosephi: *Cum moribus Principum corrumpitur conuersatio subiectorum, & cùm viderint illorum luxurias, suæ castitatis merita respuentes, eorum imitari nituntur illecebras; non enim opera Principum approbare videntur, nisi etiam similia hæc agantur.* Inuitant enim Principum vitia ad paria. *Superiorū vitia trāseunt in inferiores.* & cùm amari à Superiore subditi velint, amorque morum vitæ similitudine crescat, imitari lubet vitia, per quæ crescat amor, cuius exinde manibus, dignitatibus & opibus crescant. amore enim munificentiam Principes metiuntur, vt pro amoris magnitudine munera largiantur. Iam cùm similitudo ferè amorem prouocet, quo quis Principi vitiis similior, plus de honoribus & muneribus, quia plus de amore & affectu, sperare inferior potest. Hinc effuso in vitia Principe, populus ferè in eadem effunditur, maximeq; omnium

nium quos aula nutrit: qui quo consuetudine & contubernio Principi viciniores sunt, hoc etiam moribus esse conantur. certè quorum vnum studium est placere, quâ viâ id assequantur iuxtà habent. Virtute non possunt? vitia amplectentur, etiam scelera, si per placitura Principi scelera via honoribus sternenda est. quo etiam nomine grauiora Principum ac Superiorum delicta sunt. vt audeat Poëta:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Atque hinc illud Nili Abbatis: *Neminem manent certiora supplicia, quàm illum qui multos vitiorum suorum discipulos facit: imitantium enim interitus, pœnarum cumulum facit præceptori.* & illud Anselmi: *Dum prauitatis exempla de se ostendunt, blasphematur plerumque Deus ab imperitis & sæcularibus.* Atque hinc interminationes & pœnæ: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura de omnibus: fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Quomodo fortior in paritate criminis cruciatio, & exiguo misericordia, potentioribus verò tormenta? crescit nimirùm in paritate criminis pusilli & magni, magnitudo huius, quòd pusillorum priuatis claudantur parietibus scelera, nec extra domum scelera; magnorum verò eant ad plures, adeoq; ad omnes, ac in imitationem ducant, & ad paria, & audere doceant exemplo, & præmia etiam sperare: assimilatio enim Superioris ac Principis, cùm à pœna excludat, ad præmium inuitat. Et quis in subdito Superio-

Sap. 6.

Potentes si nequā sint, grauius punientur quàm pusilli.

 rum

rum facta damnet? quis in inferiore Principem? damnat Principem, qui in inferiore facta illius damnat: cuius cùm sacrosancta maiestas sit, etiam facta videntur. quæ nec in alio quidem iudex damnabit, ne Principem damnasse videatur. vt iam non vnum in Principe ac Superiore scelus, sed tot videri possint, quot in vno exempla statuuntur. tubæ enim & tympana quædam Superiorum facta sunt in sequelam. Quid? quòd securitatis cuiusdam in crimine edicta sint, & diuites præmiationum sponsiones. Iam quid non audeant inferiores, & ad quæ non tantis ducibus scelera prosiliant? impunitas ad quæ non impellit? præmia si accedant, quid inausum & intactum erit? quæ sacra? quis Deus? Testes Romano Imperio & orbi, Vitellius, Caligula, Nero, Heliogabalus, & tot vbique portenta Regum, Principum, Superiorum, quorum suis sæculis exempla improbitati pro legibus fuerunt. Bonum nimirùm factum quidquid à Principe natum. Quo maiore studio probitas virtusque colenda Principi & Superiori; à quibus tanquam à fontibus virtutum torrentes fluminaq; in reliquos defluant, rigandis nimirùm longè lateque, fœcundandisq; sterilibus popularium animis. Nam vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur. ita optatissima valetudo, quæ à capite defluit: ab hoc enim neruorum robora, & quidquid corpore circumfertur magnum.

Eccli 32. *Laudata in Superioribus comitas & benignitas.* Optandum deinde in Superiore illud Sapientis: *Rectorem te posuerunt, esto in illis quasi vnus ex ipsis. curam illorum habe, & sic confide, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos.* Talem fuisse Traianum narrat Plinius, nec aliam in illo Imperatoriam, quàm priuatam vitam, mores, comitatem, vestes, mensam. non absimilia habes in Antonino, Hadriano, Seuero, Tito, Augusto. Incredibile dictu, quàm valida benignitas comitasque sint ad animos parandos. Hinc illud:

Deut. 17. *Ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse & filij*

filij eius. Nolo nimiam in Superiore demissionem; moderatam volo, quæ contemptum & neglectum excludat. In qua re maxima personarum ratio habenda. Sunt, quos comitate vincas, & per medios ignes & tormenta ad optata impellas. nulla vis amore maior. Sunt, qui grauitatem deposcant, & aliquid è numine augustum. seueritatem alij, minas & pœnas nonnulli. Hoc certum, ingenuos beneuolētiâ, præmiis, laudibus, amore duci; seruos ac mancipia seueritate, minis, pœnis. Quo fit, vt quo quisque plus ingenuitatis habet, plus amore prouocetur, duritiâ auertatur: quo verò plus seruilis habet animi, hoc plùs terroribus minisque quàm amore impellatur. nescit redamare seruile pectus. timere seruus didicit, non amare: cuius omne obsequium à metu & pretio est. Et ferè ita comparatum, vt comitas ingenuos obsequentiores reddat. plus nimirum beneuolentiæ ostende, plùs sequentur. quo verò benigniorem te seruo præbueris, plùs contemnet. ignorat seruus beneuolentiæ imperia. parêre minis didicit, amorum ignarus. seruum cogita, non filium. frustra proinde filij affectum spera. nescit amare qui seruire didicit. nec cadunt in vnum pectus amor & seruitus. filius sit, aut affectu filius, qui amet, quemq; maiore comitate ad maiora obsequia & venerationem impellas. Circa quos audeo illud Panegyrici: *Non ciuium amplexus ad pedes tuos deprimas, nec osculum manu reddas, ore reddas.* Magni hoc Superioris & Principis magni est, quique filiorum loco suos habet. Nemo pater ad pedum oscula filium admittit. nam & de illo, qui dissipauerat *substantiam suam viuendo luxuriosè*, habes: Luc. 15. *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*, & proferri *stolam primam* iussit, & dari *annulum in manum eius, & calceamenta in pedes, & vitulum saginatũ* occidi. Et hæc de illo, *qui deuorauerat substantiam suam cum meretricibus*. Sed & osculo proditorem dignatus est Dominus. Non damno tamen pedum oscula, cùm legam, *Stans retrò secus pedes eius*, Luc. 7.

Pro varietate personarum diuersimodè se gerat Princeps.

lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. à peccatrice hæc facta, & illi, qui post tam prodigas lacrymas & oscula posset dicere, *Remittuntur tibi peccata tua.* Nec quisquam negauerit, pedum oscula ferè seruorum, oris filiorum esse. manus ferè, aut sceptra victis osculanda præbere, solenne fuit. nec damnem semper in ingenuis, & qui ciuium loco: varia enim in hoc genere populorum consuetudo. quam quis damnet, & gentium in se inuidiam trahat? Laudatissimi tamen Imperatores Traianus, Titus, Augustus, qui non dicam pedum, sed nec manuum in ciuibus oscula admiserunt, nec Domini nomen: patres esse & haberi maluerũt, cùm domini essent. Hæc in altissima gentilitate: quo magis in Christi imitatoribus?

Prima Principis gloria in suorum animis.

Aliud etiam in Principe à Plinio laudatum: *In suorum animis sempiterna Principis gloria: in quo nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus licet. Arcus, statuas, aras obscurat ætas & obliuio; carpit posteritas. ambitionis & infinitæ potestatis domitor ac frænator animus, ipsa vetustate florescit; nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè necesse est.* & illud: *Non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis propagatur fama, quam meritò Principi optandam puto & solam.* Ego Superioribus omnibus maximam gloriam in pectoribus suorum statuo; nobilissimas statuas, quas nulla inimica manus, ætas nulla decoquat, in affectu suorum; augustissimos arcus omni triumpho illustriores, in amore suorum. Hunc comitas, benignitas, munificentia, pacatus animus, misereri, ignoscere, & præmiare facilis, abundè dabit.

Veri Superioris cùm plurimum possit, minimum velle.

Illud etiam optandum, vt meminerit Superior prudentiæ magnæ esse, non omnia velle quæ possit. Hæc illa laudata ab omnibus moderatio est, plurima nolle quæ possis, ac in hoc magnitudinis suæ partem ponere; & prudentiæ, cùm plurima possis, nolle plurima. Et sanè satis ad magnitudinis ostentationem est, potuisse: noluisse verò, modestiæ & sapientiæ est. illud admirationem & venerationem prouocat,

cat,

cat, hoc amorem; maximè cùm clementia ac modeſtia potentiæ imperant, & tanquam generoſiori equo, aut indomito leoni fræna iniiciunt, & miteſcere potentiam docent, & ſubmittere erectas iubas. barbara potentia, quæ impetu fertur, & quantum poteſt tantum ſæuit: illa laudanda, quæ plus manſuetudinis habet, quàm virium & potentiæ; plus prudentiæ, quàm poteſtatis.

Accedit illud Plinij: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora;* & à Cicerone dictum, *Facillimos aditus eſſe ad te*, nulliuſque inopiam *ne domo quidem tua & cubiculo* excludi. ab Auſonio verò: *Faciles præbere aditus, nec de occupationibus cauſſari*, laudatiſſimum in Superiore eſt. Magni in hoc genere Auguſtus, Veſpaſianus, Titus, Traianus, Gratianus, Hadrianus, Antoninus Pius, Conſtantinus, Rudolphus Imperatores. Imitemur: hoc enim demũ ingenuis imperare eſt, eam in adeundo ſubditis facilitatem præbere, quam filiis parentes conſueuerunt. Addit Plinius: *Finem ſermonis ſuus cuique pudor, non faſtus tuus facit.* Alienum à faſtu Principem vult. nec mirum. vult amari, & parentis loco haberi. nemo arrogantem aut amauit, aut pro patre habuit: exoſus faſtus eſt, etiam iis, qui hoc malo tenentur, imò nullis magis quàm illis. ita arrogantem arrogans odit, vitiumque ſuum in alio damnat, ac per alium latus ſuum petit.

Facilitas in Principe laudata.

Ab eodem Plinij calamo illud venit: *Magna Principis gloria eſt, ſi ſæpè vincatur fiſcus; cuius mala cauſſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe.* Audiant monentem Principes, & vinci gaudeant. gloriæ in hac arena pars magna eſt, vinci. O ſæpè vincantur in fiſco ſuo Principes, vt nobilem iuſtitia triumphũ agat! Quis mihi iudices largiatur, qui cauſſæ æquitatem, non purpuram intueantur? magnos omnino viros, qui innocentiam contra vim & potentiam tueantur? Beatum regnum, cùm metus iudiciis abeſt, cùm nihil timere grauius, nihil ſperare minus debet iudex qui abiudicauit, quàm qui adiudicauit cauſſam Principi. Quod de Principe, de omni

Gloria Principis eſt, ſæpè fiſcum vinci.

Supe-

Superiore dico. Magna Superiorum gloria eſt, ſi ſæpè puniantur detractores: quorum mala cauſſa nunquam eſt, niſi ſub bono Superiore. Diſcutiet hic ſingula, nec intentatum quidquam relinquet, & potiorem ſemper partem reo tribuet. vtriuſque perſonam intuebitur, vitam, mores. num quid æmulationis, odij, aut inuidentiæ intercedat; num qua ſpes præmij; num quæ damna data aut accepta. viſa an audita narrentur. num ad ſuſpiciones facilis delator, ad accuſationes celer.

Mendaciũ Principem dedecet. Hoc etiam ab eodem: *Cùm mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ ſuæ Imperator ignorat qui mentitur.* De omni Superiore hæc dicta arbitrare. Et planè ignauæ mentis eſt mentiri: cùm mori ſciat, mentiri neſciat generoſus animus. quid? quòd pulcrum illi per vulnera & ſanguinem ad ardua tendere; mendacio verò commaculari, omni morte deterius. Vt non aberrauerit qui dixerit, vilis & muliebris pectoris eſſe, mentiri. Scio familiare Principum aulis mendacium eſſe. diuites in illis ſponſiones. & verba propè ſingula, tanquã vtero grauida, mentiuntur partum. ne fide. vento, non prole diſtenduntur. credas Sodomæ poma, quæ attactu in cinerem fatiſcunt. ita venuſtatem, honores, opes, amorem, beneuolentiam purpuratorum verba loquuntur: res odia, liuores, æmulationes, fraudes. extollunt verbis, factis præcipites agunt: ore locupletes, reliqua inopes. vt iam fortiter venuſteq; mentiri, aulà dignum cenſeatur; vera dicere, indignũ. ita vt, niſi ſine rubore mentiri ſcias, parum ciuilis habearis: & ille comiſſimus cenſeatur, qui pluribus benè conſutis mendaciis dictionem veſtit; ille ruſticus, qui nullo exornare verba mendacio didicit. Quò rapimur? quaſi nobilis non ſit, qui mentiri neſciat. Procul hæc à Chriſtiano Superiore, cuius omnis ſermo ſacroſanctus eſſe debet, vt tanquam iurato omnes in omnibus credant. Laudem hanc Plinius Traiano tribuit, vt quæ vellet, velle; quæ nollet, nolle ſcirent omnes. magnum hoc eſt, & extra metum

tum positi. Ita generosus animus mendacium pro periurio habet, dolum pro cæde, insidias pro ignominia, vt carere etiam imperio malit, quàm fraudem parare. Et sanè graues in omnem mentientem cælestes minæ sunt: *Perdes omnes, qui loquuntur mendaciũ.* grauis etiam censura Sapientis: *Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis.* Quo magis indignum Superiore vitium? quis Superiorum, fur audire sustineat? mitior fur mendace est. Iam quot orbe toto cædes vnum *Mentiris* dedit? Et cùm mendaciis plena sint omnia, audire nolumus, quod facimus; erubescimus, cùm simus, mendaces dici; & nomen ferro vindicamus, rebus innatantes. facere non pudet, dici pudet. & cùm gloriemur, si cuius candori & simplicitati mendaciis illusimus, ad vindictam decurrimus, si quis, quo gloriamur, *Mentiri* nos dicat. laus nimirùm à mendacio, vindicta à verbo est. ita verba ferro vindicamus, quorum rebus gloriamur. bis stolidi, factis, & vindicta. laudem è rebus captamus, ferrum è verbo.

Psalm. 5. Eccli. 20. *Indignum mentiri velle, & mendacem dici nolle.*

Imperabit deindè Superior omnis, tanquam imperia laturus. certissima hæc, & quæ falli nesciat, regula est. Impera, vt imperari tibi voles. ferre qui imperium potuit, dabit, dare qui potuit, feret. se proinde votaque sua in omni imperio circumspiciat Superior. præsit, vt subesse volet. Ille prudenter imperat, qui, quæ amat imperata, nec alia, imperat. & æternum infixum animo habet, Rege vt regi voles. Illud etiam in omni imperio proponat: Imperari hæc velles tibi? his verbis, auditoribus, testibus, modo, loco, tempore velles? Regula hæc omnis prudentis imperij est. non aberrabit, qui ex alieno votiuo imperio suum statuet, qui suum alieno metietur. videat quid in alio displiceat, quid damnet. fugiat damnanda: nec admittat in se, quod in alio accusat, ne tales patiatur dictorum factorumque iudices, qualem se in aliena caussa præbuit.

Imperandum vt imperari tibi vis.

Quòd si peccandum est (quanquam peccari nolim) clementiâ magis, quàm seueritate peccabit, indulgentiorq; in suorum

Clementior audiri mallet Superior quàm seuerior.

ſuorum delictis, quàm rigidior erit; facilis ad ignoſcendum, tardus ad pœnam; lentus in iram, in manſuetudinem pronus; à verborum acerbitate alienus. nunquam bis delictum vnum puniat. ſi caſtigat verbis, intra verba pœna maneat: ſi rebus, parcior ſit in verbis. quin adeò pœnæ magnitudinem verborum lenitate temperet, vt à patre magis, quàm à iudice pœna proueniat; à paterna nimirùm magis, quàm à iudicis manu & ore: vt ſentiat inferior delictum puniri, non perſonam; & coactum magis, quàm voluntate ſua, ad pœnam Superiorem deſcendere. leuior ſit verborum benignitate pœna; & non inuiti promerita ſubimus, ſi verborum manſuetudine veſtiantur. Ita æger etiam de ignibus, ferro, veneno, medicamenta admittit, certus propinari in medelam, & mites deprædicat ignes, & molle ferrum, & grata venena quæ in ſalutem porrecta.

Aliorum vitiis iraſcendum vt noſtris.

Meminerit etiam moniti viri magni: *Ceteris ita ignoſce tanquam ipſe quotidie pecces; ita peccatis abſtine, tanquam nemini ignoſcas. tibi domi forsſque inexorabilis, exorabilis aliis, etiam illis, qui dare veniam niſi ſibi neſciunt. in aliis temperatus, in te ſeuerus; ſine contemptu facilis, ſine terrore reuerendus.* O quis hæc monentem ſequatur! quis non ſibi indulgens, inexorabilis aliis eſt? Ignoſci volumus nobis, nos nulli; laudari ab omnibus volumus, damnamus omnes: & vt ille: *Sic aliorum vitiis iraſcimur, quaſi inuideamus, grauiſſimeque punimus, quos maximè imitamur & præcurrimus.* ita dum exemplo prouocamus, pœnâ terremus. Non quòd impunita velim ſcelera. ſed quòd nolim ad hæc prouocari Superiorum exemplo. Et turpe, adeoque & crudele, ſua in aliis ſcelera punire: barbarum, in alio caſtigare, quod tibi indulgendum putas. Non quòd in omnes eadem iri pœna velim. audio enim & ſequor monentē: *Imitare medicos; quanquam in aduerſa valetudine nil ſerui à liberis differant, mollius tamen liberos clementiuſque habent:* molliùs etiam parentes in pari delicto filios, quàm ſeruos.

Meminerint etiam Superiores patrum ac filiorum; & imitari

Bonus Superior patris personam induat.

tari non pudeat; maximè cùm è Xenophontis ſententia, *bonus Princeps nihil differat à bono patre:* qui quantum à patre differt, tantum à bono Principe differt. Optanda familia, reſpublica, regnum, in quibus ſubditi filij, Principes ac Superiores patres ſunt. Conſideret proinde bonus Superior bonorum parentum in filios imperium; nec erubeſcat ad hanc regulam ſe componere. videat grauitati, maieſtati, venerationi miſtum amorem, ac tanquam per fauos mella, ſic amorem per illa decurrere; & ſequatur præeuntes patres, vt ſuos ſentiat filios. Conſequetur hunc ſuorum affectum, ſi paternum ipſe prior in ſuos effuderit. imperabit pater? filios habebit. imperabit dominus? ſeruos patietur. imperabit tyrannus? ferrum metuat, & ſuorum odia, & alterius aut vtriuſque partis interitum. Vix enim aliâ viâ, quàm partium internecione tyrannis clauditur.

Magnum in Principe malum, nolle moneri.

Vnum hîc à Principum ferè moribus Superiorumque habemus. *Quod ſemel ſine ratione feciſtis, ne videamini aliquando neſciiſſe, defenditis, meliuſque putatis non vinci, quàm confeſſæ cedere aut annuere veritati.* Grande malum, & ô nimis familiare magnis, nolle doceri, nolle videri erraſſe, aut falli poſſe! arrogantis iuxtà ac imprudentis ingenij malum. prudens gaudebit emendari, moneri, doceri; at, cùm Principes neſcio quid diuinum ſpirent, turpe putant eſſe & Principe indignũ, errare, quia turpe Deo. Ingens faſtus: quare cùm monentes non audiant, errorem errore veſtiunt, vnumq; alteri inædificant. Non quòd ſperem Superiorem aut Principem tam candidi pectoris, vt errorem cum Dauide & Theodoſio palàm agnoſcat. Quis enim nunc doceat purpuram flere? quis reſpergi cinere, ſacco veſtiri? quis templis excludi? vbi nunc Natan Propheta, Ambroſius, Chryſoſtomus, Baſilius, Remigius? quàm multi Ionæ ſceptra fugiunt! quàm pauci Heliæ, Micheæ pauci, qui nec Achab vereantur, nec Iezabel! quàm pauci Ieremiæ, qui non erubeſcant vultum Sedeciæ, Ioakim, Iechoniæ! quàm multi Hananiæ, & filij Chanaana,

qui purpuratis Sedeciis & Achabis, pro veris falsa denunciāt? quàm multi è quadringentis Prophetis prospera spondent, infelici exitu luenda! Hinc illæ in veridicos indignabundæ
3.Reg.22. purpuræ voces: *Non prophetat mihi bonum, sed semper malum.*
Ibidem. &: *Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aquâ angustiæ.* & illæ: *Nolite videre, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, & audiemus.*
Isaiæ 30. Misera omnino conditio, cùm perpetuare errorem, nouoque priorem firmare Superiores Principesq; volunt, ne agnoscere illum cogantur. quanquam non desint modi, quibus & mederi errori, & auctoritatem tueri possint; maximè in magna fortuna, cui nunquam medendi ratio deest. Passus aliquis damnum est? resarcire Superior potest. exilio damnatus? reuocari potest. acerbè habitus, rerumq; honorisque iacturam fecit? maioribus donari potest. mors etiam immerito illata? reddi vita cùm non possit, honor liberis posterisque potest, vt meliore in suis vitâ dignioreq; viuat mortuus, maximè si falsus delator impunitus non transeat. Remedia hæc malorum, & solatia sunt.

Paupertatis & valetudinis suorum curam Princeps habeat. Magnam deindè indigentiæ suorum Superior curam habebit, magnam valetudinis bonæ. factum à Tito, Traiano, Hadriano Imperatoribus, quos tradunt solitos ægros visitare, solatiis fouere, consiliis adesse, ære subleuare. Senes etiam, maximè quorum in Rempublicam domi forisque merita, quique vel toga, vel militia aliquando clari, veneretur, priuatoq; publicoq; ærario, si qua fuerit, egestatē leuet. Incredibile, quantos hæc res reliquis animos ad ardua accendat. leuia enim vulnera, ac mors ipsa, si præmia adsint, & speratus honos & veneratio sanguini.

Fidem datam Princeps seruet. Fidem etiam semel datam, intactam & sacrosanctam seruet. Turpissimum Superiori promissa rescindere, fidem fallere. & indignus munere est, magis sceptro, qui sponsiones vtilitate sua metitur; nec diutiùs illis inhæret, quàm priuata emolumenta deposcunt. Certè, si omnium gentium sententiâ,

tiâ, ignaui & muliebris ingenij eſt promiſſa infringere; quid de Superiore ac Principe cenſendum, qui quo dignitate ac potentia Deo propinquior, hoc etiam promiſſionum conſtantiâ eſſe debet? De bonis mihi verba, aut quibus nulla improbitas permiſta. nam in impiis & ſceleratis reſcindenda, non implenda fides eſt, ne quis duplici ſe crimine maculet, ſceleratam ſponſionem ſceleratiore opere ſignans. Hinc damnatus meritò Herodes, qui ſtolidam inter menſas & pocula promiſſionem, fatuo iuramento firmatam, nouo in innocentis ſanguine ſcelere funeſtauit, cùm impuris oculorum ſcintillis Prophetæ caput, ſaltricæ puellæ merces & ferculum conflabellatur.

Commiſſorum deinde ſibi firmiſſimus ſit cuſtos, vt dici de illo poſſit, *Seruata centum clauibus:* & antè extrema perferat, quàm proditor ſecretorum ſit. Habet hoc omnis generoſus animus purpurâ dignus & ſceptro, vt in altiſſimo cordis abdat commiſſa, nonniſi cum corde ipſo prodenda. eruendum proinde illi cor altè pectori defoſſum, ſi eruenda commiſſa ſunt, vni concredita cordi, non labris, non linguæ, non fronti, non oculis. & quo generoſior quiſque, hoc altiùs recondita iacent: & partem primam prudentis imperij arbitratur, concredita tacendaq; premere; partem primam prodendi perdendiq; imperij, concredita tacendaq; prodere. *Commiſſorum ſibi fidiſſimus ſit cuſtos Superior.*

Deniquè cùm non pauci Superiorum Principumque, ſeriarum laxamenta curarum, vitiorum contentione ſuppleant; nulla niſi honeſta admittat prudens laxamenta, & ad inhoneſti nomen cum Gordiano & Maximiliano Imperatoribus erubeſcat, & indignũ viro Principe arbitretur quidquid meritum ruborem iniiciat. Neque inter laxamenta adnumerari ſcelera debent, cùm grauiſſimè hæc animum fatigent, & mille modis crucient, nec liberas concedant noctes, nec placidos dies; vt in ipſo etiam ſomno mentem delaſſent, & in varias curarum partes incertam dubiamque trahant, ſemper anxiam, nuſquam ſecuram. Honeſtis ergo oblecta- *Laxamenta nonniſi honeſta permittat.*

 tioni-

tionibus, pro dignitatis quam obtinet, varietate, seria temperabit, inambulatione, iucunda doctaq; sermocinatione, cursu, saltu, venatione, aliisque, quæ & corpus roborant, & seria interrumpunt.

Historiarũ lectioni Princeps incumbat. Historiarum etiam lectionibus cuiuscunque æui, è quibus gentium mores, dicta, facta fortiter, clementer, iustè, prudenter, moderatè, magnificè, constanter, munificè, piè, colligat & imitetur: vitia detestetur, damna fugiat, periculis se suosq; subducat.

CAPVT VII.

Quæ ratio tenenda inferiori in Superiorem?

1. Petri 2. PArendum. audi Apostolum: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti; siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Subdit: *Deum timete, Regem honorificate; serui subditi estote in omni timore dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristia patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Maximè si à Superioribus, Principibus, Regibus, etiam à dyscolis. Audi alterum: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* &, *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* &, *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* & alibi: *Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Nihil hîc opus à meo calamo.

Heb. 13. Tit. 3. Ephes. 6. Tit. 2.

Verùm,

Verùm, quid si impium nactus Principem fueris? *Vis non timere potestatem? bonum fac; & habebis laudem ex illo. Dei enim minister est tibi in bonum.* Et si impia imperauerit? nemo dixit sequendam impietatem. tot Martyrum millia sanguinem læti fuderunt, ne impia sequerentur imperia. Verùm, quis vetet armatâ manu impia imperia pellere? non docemur arma à Martyribus. nec euocauit cælestes legiones Christus noster, cùm posset, in Herodem, Pilatum, Iudæos. pati Christianum est. Nunquámne arma? pro Principe arma; contra illum nulla. Moysem qui legit, Iosue, Dauidem, arma legit. imitari hæc arma potes. nulla hîc subditi in Principem sunt. Quid si ducat in communem patriæ hostem Princeps? armatum sequere. Quid, si quis in Principem? quære an etiam in Deum. Audisti Apostolum: *Obedite sicut Christo*. & illud: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* potuit fortius telum intentari? At improbum si quis nactus fuerit? respondet Apostolus: *Non tantùm bonis, sed etiam dyscolis* obsequendum. Quid si vim admoueat? admouit Nero, Domitianus, Diocletianus, Decius, Iulianus, reliquique Neronis de impietate successores. nec Christianorum quisquam ferrum ferro repulit. Et monet Apostolus: *Nulli malum pro malo reddentes*; maximè Principi. addit: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*; maximè in Principe. Et quid vis vindictam? Audi Dominum: *Mihi vindicta, ego retribuam.* Quid facilius Deo Principum Principi? tu innoxium ferrum serua, & virgines in Principe manus; Deo verò caussam committe.

Ferenda Superiorũ, etiam impiorum, morbi.

Rom. 13.

Ephes. 6.

Rom. 13.

1. Petri 2.

Obsequendum Superioribus, etiam dyscolis.

Rom. 12.

Ibidem.

Deut. 32.

Quid si vim pudicitiæ minetur, & inferat? factum in Agnete, Lucia, Agatha, Christina, Susanna, Domitilla. nec vllæ virginem suam armis; ignibus, & carnificis manu tutatæ sunt.

Pudicitia morti præponenda.

Quid si in legiones integras sæuiat? factum sub Gereone, Mauritio, Agathio, aliisq;. nec arma tamen armati ostentarunt: posuerunt ad minas.

Mors à Principe illata ferenda.

Quid si imperet Princeps inimica Deo? quid magnum mori est? mori potes. At durum in caussa bona mori. velles, in mala? Durum, innocentem. velles, nocens? quin adeò iucundum mori in caussa bona. Intuere reposita cælo pręmia, & dulce erit mori. At ignauum mori sine ferro, cùm possis; & quis ignauiâ immortalitatem consecutus est? generosum est, fortiter mori posse, & ferrum contemnere: ac non nisi viri magni est in bona caussa mori velle, & posse, cùm vincere possis. Et non maiori animo credis fuisse Martyres tot millibus gladiatorum, in quorum vili sanguine natare amphitheatra potuerũt? non credis fortiùs illos inuolasse in craticulas, picatos ignes, fornaces, ardentes laminas, clauos, crucem, & quidquid ingeniosa tyrannis inuenit in tormentum, quàm milites in hostile ferrum?

Quocunq; modo sæuiat Princeps, ferendum. Quid si pergat tamen Princeps barbaro sæuire ferro? Saulem cogita & Dauidem. imitari hunc potes in Rege, in hoste. Audi milites: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis.* 1. Reg. 24. Audi Dauidem: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia christus Domini est. Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos vt consurgerent in Saul.* Audi Amalecitem præmia sperantẽ, qui non hostili animo, sed miserantis dominũ, post 2. Reg. 1. cædem fugamque suorum, Saulem occiderat: *Tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum.* Audi Dauidem præmiantem: *Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres christum Domini? vocansque Dauid vnum de pueris suis, ait, Accedens irrue in eum. qui percussit illum, & mortuus est. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci christum Domini.* Quid peccauerat adolescẽs, ad quem illud Saulis: *Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est?* Imperium secutus est. & clementiæ videtur fuisse, ne ludibrio hostibus esset. hinc illa

illa verba: *Percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi.* Et tamen magni Dauidis imperio cęsus est, quòd misisset *manum in christum Domini.* Quid fecisset Dauid, si non imperio Saulis, sed sola voluntate sua, aut vindictæ studio, aut tuitionis etiam sui, ferrum strinxisset *in christum Domini?* Non recedamus à Dauide. Audiamus Rechab & Baana fratres: *Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam; & dedit Dominus domino meo Regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius.* Quanta arbitraris sperasse præmia? audiamus Dauidem: *Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum, qui annunciauerat mihi, & dixerat, Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nunciare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuncio. quanto magis nunc, cùm homines impij interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinē eius de manu vestra, & auferam vos de terra? Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos; præcidentesque manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron.* Hostis erat Isboseth Dauid: *facta* enim erat *concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid.* quid peccauerant fratres hoste cæso? Non damno, si in hostem eat hostis. in dominum, mecum damnat Dauid. nec potuit à iustiore ore sententia ferri. quare nec impunitum proditionis scelus tulerunt. sperauerant pręmia; sceleris in dominum præmia tulerunt, ferrum & crucem. Exemplum huius habes in Alexandro Magno, qui Bessum Darij interfectorem, Oxoatri Darij fratri tradidit, *vt cruci affixum, mutilatis auribus naribusque sagittis configerent barbari.* In Romanis alterum, *cùm medicum venale Regis Pyrrhi caput offerentem* Curius siue Fabricius *remisit.* displicuit Senatui proditor domini seruus, & damnauit in hoste domini venale caput; dubioque armorum euentu fortunam tentare maluit, & Reipublicæ salutem in discrimen coniicere virtutis & fortunæ, quàm alieni medici perfidiâ, vltrò operam spondentis, in certam salutem vti.

1.Reg.31.

2.Reg.4.

2.Reg.3.

Curtius lib. 7.

Ferendus Princeps licet in Rempub. sæuiat. Quid si in Rempub. vniuersam barbarus sæuiat Princeps? Precibus placandum Numen, patientiâ vincenda barbaries, mansuetudine feritas. ita lapidis duritiem faciliùs puluillo, quàm ferro retuderis. Addo illud Apostoli: *In tribulatione* Rom.12. *patientes; benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite male-* Exod.22. *dicere,* maximè Principi. Vnde illud: *Principi populi tui non maledices.* Fuga etiam cum Dauide, si nouus ferociat Saul, vitæ consulendum.

Quid si clausa via omnis? nunquam clausa est generosæ morti, & cadet fortiùs quisquis innocens ceciderit, quàm armabit dexteram. quam nemo pius in Principem armabit; nudabit & exarmabit, quoties de Principe agitur. Et verò ignorare debet ciuis arma, nisi in Principis sui salutem. Hinc ingens in omni gente gloria, pro incolumitate Principis sanguinem fudisse; dignissimaq; omnium calamis mors, quâ stetit vita Principi. *Mors pro Principe obita gloriosissima.* Non cecidit, quisquis vitæ Principis vitam largitus est suam. quære à posteritate; dicet stetisse. Et sanè securus æternitatis est, qui lætus hostile excepit ferrum, ne exciperet Princeps. Verè magnus est, & nescio, an non ipso Principe maior, quisquis mori potuit, ne in impium insurgeret Principem. *Generosius antè mortē deliget, quam in impium insurgat Principē.* nam in pium non surrexisse, non magnum. quæ bellua exsurgat in pium? addo: Impium etiam, in impium Principem insurrexisse. Et quis pius in parentem insurgat, etiam impium? quin adeò, quis non impium dicat filium, qui in impium patrem armauit dexteram? ferenda in patre etiam impietas est: cùm satis ad ferendum sit, patrem esse. Eadem de Principe cogita, qui alter pater, & patre maior pater est. quo magis ferenda illius, si qua est, improbitas, sæuitia, crudelitas? Et, vt impium omne ferrum, quacunque ex caussa est, quod in patrem acuitur; ita impium omne quod in Principem stringitur. Ferre, liberorũ est. benignum facilemq; tulisse patrem, non magnum: magnum, tulisse ferum, improbum, barbarum, immitem, & in verbera pronum. Idem de Principe dico. feremus vt patrem, tuebimur

vt

vt patrẽ; & hilares ante illius genua occumbemus, reddituri quod accepimus, maiori etiam lubentia quàm accepimus.

Infelix exitus illorum qui in Principem insurrexerunt.

Iam vide quâ apud omnem retrò posteritatem famâ fuerint, qui ausi aliquid in Principes. intuere exitum. nimis orbi noti Brutus, Cassius, Chærea, Euocatus, Latamius, Camurius, Sulpicius, Florus, Statius, Phocas, Bessus, Arbogastes, Murzyphilus, Arrius, Andragathius, Zimisces, Odoacer. & de Iulij percussoribus illud Suetonij habemus: *Percussorum autem ferè, neque triennio quisquã ampliùs superuixit, neque sua morte defunctus est. damnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem pugione, quo Cæsarem violauerant, interemerunt.* Hoc Taciti de Galbæ & Pisonis percussoribus: *Plures quàm* C XX. *libellos præmia exposcentium, ob aliquam notabilem eo die operam Vitellius postea inuenit: omnesque conquiri & interfici iussit, non honore Galbæ. sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum vltionem.* A Phoca Mauritius, ab Heraclio Phocas manibus pedibusq; truncatis cadit. Leontius Iustinianum dissectis naribus exilio damnat; nec multò, Iustinianeis calcatus pedibus minutatim conciditur. Et non Maximum, cuius operâ Aëtius & Valentinianus cæsi, membratim concisum Tiberis deuexit? Murzyphilus fœda in frusta dilaceratione Imperatoris Alexij Comneni iunioris cædi parentauit. Nicephoro Constantini V. filio, à Leonis filio Constantino erutos oculos, linguam exsectã accepimus: eademq; hunc anno dieq; vertente passum. Domitiani, Pertinacis, Antonij Bassiani, Heliogabali, Didij Iuliani, Opilij, Macrini, Maximini, Maximi, Balbini, Philippi, Æmiliani, Valeriani, Galieni, Regilliani, Trebelliani, Taciti, Floriani, Probi, Numeriani, Carini, Siluani, Gratiani, Valentiniani, Nicephori, Orestis, Imperatorum Romanorum percussores non diu impunitam cædem tulerunt, neque horum quisquam sicca morte viuere desiit. Ita ferro cadunt quotquot in Principem etiam impium sæuiunt.

Tacit. hist. 1.

Impietas in Principe ferenda. At graue est, impium ferre Principem; & morte grauius est, seruitutem pati. mitius etiam in illam cadere, quàm ire. & non viri est, tenere libertatem, aut mori ante seruitutem? Tene libertatem à Christo edoctam, etiam in compede liberis. nemo Principum claudere tibi cælum potest. Et quid hunc accusas tanquam ereptorem libertatis? te accusa; peccata tua. Hinc enim illud: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Tolle peccata, non deerit populo suo Deus. At peccatum meum nullum est in Principem; nullum etiam in Deum? Quid, si per impium barbarumque Principem peccata tua punire velit Deus? accusabis iudicem? Et quod discrimen, si vario te morborum genere, aut per Principem excruciat Deus? non validiùs sæpè sæuiunt morbi, quàm Principes? Ecquis Christianorum Deum accusauit aut damnauit morborum? Idem de Principe dico. Et, si peccata tua nulla sint in Deum, audes te componere Tobiæ, Iobo, Christo? & non *quem diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi?* Et qui nos, qui præscribamus Domino, quo correptionis genere corripi velimus? Per morbos, hostes, domesticos, Principes id fiat, quid interest? Addam è consilio magni Philosophi. Vis sub improbo Principe vitam securam? *periculosæ te Regum familiaritati celer exime, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat; quæ sicut paullatim à se remota illuminat, ita satis admota sibi comburit.* Quid te admoues huic igni? secede. propiùs accedis, & ambureris? quid ignem damnas? te damna. Si te remoueris, nihil est quod metuas flammas: sin propiùs accesseris, temeritatem tuam accusa. Addo ex eodem: *Amicitias nimio splendore nitentes, & quidquid colitur perspicuum, fugito.* non fugis? tibi imputa, si quæ damna acceperis. Addo tertium: *Sapiens nunquam potentiorum iras prouocabit, imò declinabit, non aliter, quàm in nauigando procellam. temerarius gubernator contemnit Austri minas: ille est, qui Siculum pelagus exasperat, & in vortices agit. at cautior peritos locorum rogat, quis æstus sit,*

Iob 34.

Prou. 3.

Improborũ Principum familiaritas fugienda.

quæ signa dent nubes. Idem facit sapiens, nocituram potentiam vitat. hoc primùm cautus, ne vitare videatur. pars enim securitatis in hoc est, non ex professo eam fugere; quia quisquis fugit, damnat. Quid te Principum familiaritati, & aulicæ tempestati obiicis? vitare potes. quis cogit Oceanum hunc nauigare? quòd si te tuaque fluctibus credas, ne damna ventos; domestici Oceano sunt. te damna, qui tam infido elemento, eademq; horâ ridenti, eâdem sorbenti te tuaque credidisti. At nesciebas, ventorum fluctuumq; ignarus. credere te mari non debuisti. & quæ fatuitas ignoto se credere? credas fortunas ignoto, aut consilium ab ignoto capies? hostémne & amicum, fatuum ac prudentem pro eodem habebis? sanè aut non tentanda maria, aut non damnanda. Idem dico de Principe. tenta antè hoc profundum, prudentiæ bolide; breuiaq; hæc deuita, arenas, scopulos: & sequere, quos non fortuitò vides tenuisse portum. Quamquã quos tales mihi dabis? nam vt non diffitear etiam Oceano scientiam suam esse, & magnam; multa tamen hîc ludit felicitas, & omnem sæpè peritiam subitæ ludunt tempestates. nil securius, quàm non tangere fluctus. quibus cùm vltrò te dederis, ne accusa fortuita, te accusa. Eadem reperies in Principe. Quid de illo dicas, qui cùm tutò terrestri itinere peruenire possit in optatam sibi prouinciam, delegit maria, & naufragium passus vix tabulâ portum tenuit? quem damnabis, maria an vectorem? Quid de illo, qui cùm per plana, & viarum amœna inambulare securus posset, maluit per aspera & pendula præcipitia, incerta & dubia? damnabis saxa? Addo quartum: *Intuere naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate prouectos improuisus turbo perculit. quod enim tam infidum mare, quàm blanditiæ Principum, quibus non rarò, in summa etiam lenitate, fraus maxima? vt facilius sæpè sit iratos illos, quàm propitios habere.* intuere. Quod quidam de balenis Indicis: *Nimbosa alluuie deprimunt plerumque alueos nauigantium*; idem de Principe dictum cogita. Docemur à Parmenione, Philota, Clito, Cleandro,

Aula nemo se credat, & Principum fauori.

Eutropio, Stilicone, Ablauio, Flauio, Cominæo. Vt taceam orbe propè toto, sæculi nostri, posteritati in documentum, præsentibus in terrorem, funesta exempla. Sisto hîc calamum. nolo hunc purpurare sanguine: certius mœrorem atramēto exprimet. & non dolori amicæ tenebræ sunt? Sed neque prudentis est, ætatis suæ scabiem perfricare. veniet posteritas, & liberiore vngue, audentiore nouacula secabit hæc vlcera matura terris cæloq;. ego manum retraho ab hac tragica scena; & obseratâ cortinâ, auditorem dimitto.

Redeo ad ciuem meum; quem non omnem Principem fugere velim, vt destituat illum sibi. sed, si Nerones, Caligulas, Heliogabalos, Domitianos, Vitellios, Physcones, Busirides nactus fuerit, aut tales, de quibus, quod de damnata terræ portione Historicus, *Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliquid accipit, quàm hyemem sempiternam*; dici potest: cùm nil aliud ab his speretur, quàm gelu perpetuum, aut nullo flumine mitigandæ flammæ. Nemo proinde prudens nimiùm se huic frigori aut ignibus credet. Quòd si non tam sæuitiam imbiberit, omni exutâ humanitate, iuuari Principem velim: consilia etiam, si admittat, profutura suggeri, maximè si deposcat. Sed ita, ne docere videaris, ne monere, ne supra Principem sapere, neque vt à te inuenta, sed ab aliorum calamo, aut ore accepta. Et sanè verum hîc illud Philosophi: *Summis imperij moderatoribus pia aut decora suadentes, instrumenta sunt boni sæculi*. nam & *optimos gubernatores mediocriter etiam remigum manus iuuant*. quin & puerorum & imbellium impulsus protrudendis molibus prodest. Multorum nimirùm manus leue onus reddunt. quod in omni re, hoc in Imperio. Magna tamen vbique veneratione manus admouendæ, tanquam si quis sacra pertractet; magna cautione, tanquam si ignem; magna industria, tanquam si ingentia saxa aut trabes.

Quid faciet in contubernium Principis admissus.

Nec obliuisci vnquam inferior debet dignationis & cultus,

tus, licet ad omnia Superior admittat, & consiliis assuescat, maximaque quæque ingenti fiduciâ committat, seque regnumq; vni credat, plurimumq; vnius se virtuti debere palam testetur. beneuolentiæ id esse inferior sibi persuadeat, non prudentiæ suæ: resque has inuidiâ grauidas à se amoueat; timideq; ad suadenda, timidiùs ad commissa accedat. Feliciter res eueniunt? Principis prudentiæ tribuat. infeliciter? infelicitati suæ. nec solus ipse omnia, sed lubens socios, maximè in laudem, admittat: aut vbi spes quæstus & boni. Quod de Principe dixi, de omni Superiore dictum velim; etiam de ætate grandioribus, licet extra imperium. Est in hac re illud Platonis: *Quilibet seniorem re & verbo colat. ac si viginti annis maior est, quasi patrem, si vir fuerit; aut matrem, si mulier, reuereatur.* Et illud Scripturæ: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Quo nomine à veteribus dictum in laudem: *In sola Sparta expedit senescere*, ob prærogatiuam ætatis. Et sanè omnium propè gentium moribus, senectus venerationem promerita. Cecinit in hanc rem Poëta:

Cultus in Principem numquam obliuiscatur inferior, esto ei perfamiliaris sit.

Senectus venerãda.

Leuit. 19.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer, licèt ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque par adeò sacræ lanugo senectæ.

Confirmat Apostolus: *Adolescentes subditi estote senioribus.* 1. Petri 5.
Veneratio ergo debita ætati: maximè Superioribus & parentibus: de quibus illud Sapientis, *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filiis, & in die orationis exaudietur.* & illud: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ; vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* illud etiam: *In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.* & Apostolus: *Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione, vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.*

Parentes colendi.

Eccli. 3.

Prou. 1.

Eccli. 3.

Ephes. 6.

terram. Venerantibus parentes vitam longæuam, diuinam benedictionem, hilaritudinẽ, gratiam, opes, honores spondet. Audi quid sentiat de inhonorantibus. *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem; & dicet omnis populus, Amen.* & alibi: *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix*. alibi etiam: *Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, eius confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore*. fortiùs deinde: *Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius in mediis tenebris*. clariùs: *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*. & fortiùs: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ*. Denique: *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*. Non venerantibus parentes maledictum imprecatur, ignominiam, infelicitatem, confusionem, dedecus, tenebras, homicidij crimen, crucem, mortem. & addit: *Maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Maledictio matris eradicat fundamenta*. Potuit aliquid grauius? nec fundamenta quidem relinquit intacta, ita non solâ ruinâ superstantium ædificiorum contenta Scriptura est. Et verò, quid non mereatur filiorum in parentes improbitas? Prudenter Sapiens: *Memento, quoniam nisi per eos natus non fuisses.* Quid verò maius? quid ergo sceleratius, quàm in vitæ auctores insurgere? quid enim non debet, qui vitam debet? aut quid componi vitæ potest? vt crimen nullum grauius fingi possit, quàm quod committitur in vitæ auctorem. Hinc omniũ & ore & calamis damnati quotquot olim ausi aliquid in parentes. Tullia, Nero, Aristobulus Hyrcani, Selymus Baiazetis, Sanctius Iaymi, & Clotharij filius. taceo in Israele Absalonem. nota historia est, notissimus exitus.

[Margin: Deut. 27. Prou. 19. Eccli. 3. Prou. 20. Prou. 28. Prou. 30. Leuit. 20. Matth. 15. Eccli. 3. Ibidem. Eccli. 7.]

Pij in parentes laudati. Pios contrà accepimus omnium ore laudatos. Cimonem, qui Miltiadis patris sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitauit, pietate quàm gestorum gloriâ maior: quãquam & hanc omninò meruerat pietas. Amphinomum

&

& Anapum: qui per medios Ætnæ ignes, patrem matremq; humeris sublatos portarunt. cessit pietati ignis, & incolumes transmisit, quasi religio esset vel extrema tãtùm pietatis lambere. Coriolanũ: quem non arma, non hostis, sed vnius matris aspectus retroire coëgit, cùm infesta perituræ patriæ inferret signa. & fors Roma iam nulla staret, nisi armis fortior mater, filij fregisset minas. Quid non potuit pietas, quid non mater? cùm vnius matris aspectus bellum atrox salubri pace mutauit; & cadere inglorius inter Volscos Coriolanus maluit, quàm maternas preces negligere. quo solo nomine primis ducibus componendus. Africanum Superiorem: cuius adhuc pueri manibus, grauiter apud Ticinum saucius parens, non minùs fortiter quàm feliciter seruatus. inde via illi ad Africanos triumphos; vt eadem pietas, quæ Hannibali patrem eripuit, Hannibalem filio subdiderit, vt remuneratio sub eodem staret. vt nesciam, an quisquam Scipione, quia nec pietate in patrem, maior. Manlium, L. Manlij Imperiosi filium: qui stricto minitabũdo ense Pomponium plebis Tribunum iurare coëgit, vt à patris accusatione desisteret. audax factum, sacrosanctam tribunitiam potestatem, & in illam diem intactam, etiam Dictatoribus timendam, priuato ferro sistere. è quo exinde, cùm rustico antè opere teneretur, inter Romanorum primos numerari meruit. C. Flaminium nec Senatus auctoritas, nec Romani populi maiestas, nec minitabundus exercitus, ab incepto reuocare potuit; reuocauit pater. cuius priuati imperio, quæ conscenderat, rostra deseruit. Metellum Pium pertinax erga exulem patrem amor magnum fecit; cognomenq; à lacrymis illustrius, quàm aliis à victoriis dedit. Crœsi filium mutum, pietas in periclitantem sub hostili ferro patrem, vocalem reddidit. ita non patitur indonatos suos pietas; patrẽ ferro exemit, filio vocem dedit. Non transeo hîc feminas; laudanda Claudia Vestalis virgo, quæ inter triumphantem patrem, & Tribunum plebis mediam se coniecit, fortior

Tribuno, clarior triumphante patre, & in omnem posteritatem laudata. Magnum, tribunitiæ potestati virginem, in conspectu populi Romani, ausam resistere, nec inuenisse qui damnaret, aut potestatem vindicaret à virgine, inuenisse qui laudarent. Quid faceret Tribunus in virgine? nec arma inferre ausus, nec manum Vestali; cessit, & à patre abstinuit, cùm nihil posset in patrem, nisi mediam repelleret virginem Vestalem, dignissimam triumphatoris patris filiam. felicior tali filiâ, quàm triumpho suo pater. Laudatissima, quæ in vinculis, fame patrem mori iussum vberibus fouit, facta mater patri. quàm pulcro lusit iudicem pietas dolo! sed & flexit, & filiæ iam matri factæ pietas patrem reddidit. Imitabitur hos quisquis victura sperat. & parentes, senes, Principes, Superioresq; omnes venerabitur & colet, honoremque pro dignitatum magnitudine deferet. In quo genere magis probo in honorum exhibitione prodigos inferiores, quàm parcos. nam & parsimoniæ maius delictum, & arrogantiæ cuiusdam ac fastidientis animi signum est. profusiorem esse, inter leuiora delicta numerem; quanquã nec inter delicta, si non ab adulantis, sed venerantis obsequio proficiscatur. Parandis sanè pacandisq; Superiorum animis, plurimum momenti officiosa veneratio adfert. quòd si in paribus beneuolentiâ, comitate, humanitate certasse, in laude semper fuerit; quanto magis omni cultus genere Superiorem venerari, quem Christi loco iubemur habere? Iam, si honor omnium sententiâ exhibentem sequitur, perfacilè videbimus, Superiori exhibitam venerationem fœneraria redhibitione in inferiorem redire: tanquam, si quis dicat, quem defert honorem, fimum esse agro suo fœcundando, aquam horto irrigando, rorem pratis impinguandis, pluuiam segetibus maturandis, nemoribus densandis.

Honor Superiori tribuendus.

Magna deinde verborum modestia, ac submissione etiam vtatur. absit quidquid ostentationē sapit, quidquid fastum; quin & scientiam suam deprimat verbis, & ingenij altitudinem

Modestia, & submissio in inferiore laudata.

nem tegat potiùs quàm extrudat; maximè, si quæ cum Superiore concertatio inciderit, nolit videri vicisse. durum enim Principi, Superiori, parenti, ab inferiore vinci. Quin adeò patiatur non rarò se superari. ac licet improbāda quædam occurrant, non damnet; probet potiùs in iis quædam, sed ita vt saniora exinde proponat, non monendo, sed tanquam in deliberationem adducendo, & vt olim audita, lecta, aut à maioribus tradita, & tanquam ab ea re quam suggerit, aut Principis auctoritas pendeat, aut maiestas crescat, aut reipublicæ, regni, aut familiæ bona sperari maiora possint. vt sentiat Princeps amoris & obseruantiæ consilia esse, non laudis aut vtilitatis propriæ. si enim viderit, nullis priuatis emolumentis, aut prudentiæ opinionibus, sed solis regni commodis studere consulentē; non magno negotio ad meliora descendet, feretq; modestam libertatem studio sui natam Princeps. sin senserit, commodis honoribusq; propriis impelli consulentem, aut aliorum contemptu, laude sua; aut modestiæ oblitum ad liberiora prosilire; repellet consilia etiam regno vtilia, ne quid fastui alterius concessisse videatur. Vt taceam meritò suspecta cōsilia omnia esse, quæ cum consulentis commodo coniuncta sunt. tegat proinde, si valere consilia sua volet, quidquid vtilitatis propriæ suspicionem creare possit, magis etiam quidquid fastum redolet, quidquid iudiciorum consiliorumq; Principis contemptum, ne & se, & rempublicam perdat. Sed neque sibi, virtuti, prudentiæ suæ fortunatos euentus ascribat; ascribat Principi aut Superiori, ingestasque ab aliis laudes à se repellat, in Principem conferat; illius prudentiæ felicitatiq; cuncta tribuat.

Magna cautio in monendo Principe adhibenda.

Temporis verò, lociq; aliarumq; circumstantiarum maximam rationem habeat: neque enim promiscuè omnia omni tempore locoq; pertractanda. Multa priuatim suaderi possint, quæ tutò publicè non possunt. neque aut valetudo, aut Principum affectus eadem semper admittunt. Et certè, alia consilia pacato, alia turbido suggerenda; alia sedato & com-

posito, alia indignabundo, furenti, mœrenti, gaudenti, sæuienti; alia in alta pace, inter arma alia. Et verò plurimùm interest scire quò propendeat is cui consilium datur; maximè si Princeps sit, quò cômmodiùs à nocituris deduci, adduci ad profutura possit. Vniuersim prudentiâ hîc magis opus est quàm robore, modestiâ quàm constantiâ. Suadentem plerique Principes audiunt, cogentem repellunt. orari, non cogi volunt; suaderi, non vinci. & turpe vinci Principi. quare nec consultor se committet huic aleæ, nec inferior præ se vnquam victoriam feret, neque irrumpet in has inuidentiæ voces; Non dixeram? monueram? suaseram? secutus fuisset consilia, res starent; nunc iacent, quia neglecta. Ferè enim hæc, pericula damnaque auctori suo creant: & hostibus, qui nunquam deesse solent, magnam conciliandæ inuidiæ materiam præbent. Deuitabit hos scopulos quisquis sapit, nec allidet fortunæ suæ nauem ad hæc saxa. declinabit potiùs, &, si quid infelicitatis acciderit, tempori tribuet, nunquam Principi. Infortunatiora maximis viris euenisse. neque in vllius vnquam manu dubia incertaq; fortunæ fuisse. plurima intercurrere, quæ nullâ humanâ prudentiâ præcaueri possunt. In Dei deinde voluntatem multa coniicienda, & infortunata quæque populi peccatis tribuenda, aut profundiori diuinæ dispositioni. In spem deinde meliorum prouocandi omnes. Consilia etiam Principis laudanda, sed euentum non respondisse. nec nouum hoc. nulli vnquam maximo viro omnia è voto cessisse. stultorum esse rem prudentiamq; ab euentu metiri. Hæc similiaque dici possunt, quibus & Superiorum auctoritas firmetur, & damnantium iudicia frangantur. Quæ res magnam conciliare beneuolentiam solet, & fiduciam in Superiore prouocat, & mentem ad saniora consilia audienda parat, & animos addit.

Cautè cum Principe versandū. Prudenter deinde & cautè, quisquis honoribus, opibus, nobilitate polles, cum Principe versare. Suspecta enim omnis magnitudo Principi est, & non semel ruinæ caussam dedit.

dit. Senecam ingentes opes mori coëgerunt, Thraseam nimia virtus, & verborum robur, Ostorium Scapulam peritia militaris magna; plures alios sola magnitudo, odiumq; è magnitudine natum perdidit, maximè sub malis Principibus.

Beneficia etiam in Principem collata ne publica. & certiores semper opes, honoresq; gratuiti solo Principis affectu, in immeretem collati, quàm virtuti debiti. graue sceptro obstringi, ac quasi inferiorem inferiori esse. *Beneficia in Principem collata ne diuulga.*

Caue ne ornatu Principem vincas, ne clientium turbâ. in caput enim hæc ferè domini recidunt, & ex æmulatione in ferrum protrudunt, inuidentium maximè linguis, qui nunquam deesse in magna fortuna possunt. *Ne vince Principem ornatu.*

Secretas verò Principum molitiones ne curiosiùs disquire. gaudent ignorari, quæ tegi volunt, & indignantur sciri. è qua re non leuia sæpè damna nata. fuge noxiam curiositatem, nocituramque cognitionem deuita. *Secreta Principum ne scrutare*

Nemo autem prudens continebit Principem aut rempublicam metu. ferè enim Principum ac rerumpublicarum timor in furorem abit & ferrum. O non sensissent hæc vicina nobis regna, fors nec Regio funestata sanguine iacerent! *Ne metu Principem contine.*

Si in inconstantem Principem incideris, verbo rariùs, scripto ferè memento agere; ne concessa verbo concessisse neget, & periculum incurras. Idem dico, si labili sit memoriâ; idemq; de tyranno; ne dicta pro non dictis habeat, & decurrat ad ferrum. *Cum Principe inconstáte, obliuioso, & tyranno scriptis agendum.*

CAPVT VIII.

Qua vitæ ratio tenenda in tractando conciliandóque populo?

NON minor in populari consuetudine prudentia, quàm in Superiorum ac Regum necessaria. nam quò te vertas, in tam dubio ac inconstanti populari Oceano? Vide acclama- *Inconstans populi fauor exemplo comprobatus.*

clamationes factas Galbæ magno Imperatori. nec multò iacet inhumatum cadauer, inglorium, calonum pedibus calcatum. Quàm fœda primò de Ottone sparsa! itum deinde in Ottonem vna voce, omnium laude; inde in Vitellium, exinde in Vespasianum contra Vitellium. Manlium intuere, cuius vnius dexterâ Capitolium stetit. non staret Roma, ni Manlium populo Rom. dedisset Deus. & illius nō multò pòst sanguine Capitolina funestata mœnia. Disce ingratam populi mentem, semper aliam, nunquam diu eamdem. O quis post Scipiones, Lentulum, Metellum, Ahalam, Camillum, & tot magna nomina, fidat populo? quis post Aristidem, Themistoclem, Alcibiadem, Pausaniam, Miltiadem, Cimonem, Periclem, Solonem, Phocionē, Socratem, Lycurgum, Theseum? ne fide quisquis salutem amas, quisquis posteritatem. nam quantos, si vetera recenseas, stetisse in populo arbitraris? omnium gentium ætatumq; historias volue, si è centum, quinque sua morte, aut inter caros suorum amplexus vitam finierint, errare me credas; exilio, ferro, veneno, aut inter tela & secures ingloriam vitam posuerunt.

Pronior in turbas populus.

Nouorum deinde cùm auidissimus sit populus, vetera semper, præsentium desiderio fastidit: oditque adeò vetera, nouorum cupidissimus. ad hæc seu dolo, seu sanguine, seu benignitate perueniat, iuxtà habere consueuit. Scio facilem aliquando in clementiam & humanitatem fuisse; sed in sæuitiam ferè pronior, & propugnatorum etiam suorum exilium, carceres. Ne mirare. impetu fertur, fluminum more, quæ perruptis aggeribus, cæco lapsu, nullo boni maliúe discrimine, in obuia sæuiunt. similis mari, quod modò in se trāquillum, modò leui ventorum appulsu, minas cælo iaculatur; residetque iterum, iterumq; in minas exsurgit; semper infidum, nec vnquam minùs tranquillum, quàm cùm tranquillitatem spondet, mentitur. nam quo momento blandè nauigia suscepit, mergit. Eadem, si vetera nouaque serius inuestigator percurras, in populo reperies, qui audacissimi cuiusque

iusque vocem, inuerecundè ac proteruè inclamantis, vt oraculum cælo datum, sequitur. ita, cùm audacissimus prudentissimus populo habeatur, audacissimi impudentiæ subiaces. Iam verò, vt ad audenda se proiicit, ita seipso inchoata plurimùm deserit & destituit, & quem secutus antè ducem fuerat, negligit; accusatq; non rarò, ac temeritatis damnat, cuius non multò antè vocem nutumque venerabatur.

Sed neque vera à falsis distinguit populus. rapitur ad proposita, non ducitur. & dictum verè, *Vulgus credulum nimis est*, & ad nocitura pronum Hinc fatua illi consilia, & sine delectu in res properat serò pœnitendas, nec futura prospiciens, nec præteritorum memor. Et ferè mendaciis pascitur. vnde vsitatum populi incentoribus, variis hunc libellis è meris mendaciis consutis detinere. Vident nimirum quid populus velit, quid amet; calamosq; votis illius attemperant. Vera an falsa pro eodem habent. satis nimirum ipsis, placitura dedisse. quorum licet falsitates fraudesque tempus aperiat, damna antè dederunt, quàm detegi veritas potuit. Accedit, prima quæque firmiùs plebeiis animis inhærere, quàm vt secutura euertere veritas possit. &, cùm ferè placitura faciliùs credantur, fœcundiusque serpant, fit vt vera, tanquam semina bona, tunc demùm primùm inserantur, cùm animorum ager totus zizaniis occupatus tenetur, serâ nimis prudentiâ. Prima sunt, quæ fortiùs illabuntur & mouent. quicunque proinde primus occupauit, possedit primus, nec ab hac possessione, falsissimarum licet rerum, quisquam illum repellet. tantum valet, vacuos & ad amica sibi pronos, plebeios animos occupasse. Remedium in manu est, vt dolosos scriptores hosce veris scriptis præuenias, aut pro falsis vera reponas; tam calido veritatis, quàm calido illi falsitatis calamo. optimum, si pro libello vno plures reponantur, vt multitudine quadam pondereq; verorum obruantur.

Credulum vulgus, & in mendacia pronũ.

Nihil verò medium in populo: aut enim abiectè seruit, aut superbè imperat. vt verè Tacitus: *Nihil in vulgo modicum,* ter-

Nihil medium aut moderatũ in populo.

terrere, nisi paueant: vbi pertimuerint, impunè cōtemni. Femineum in populo pectus, aut ignauescit, aut sæuit. suspicionibus verò, muliebri more, tanquam fluminibus innatat. minimæ illi res maximæ, & tanquam læsæ maiestatis crimina sunt. tam calidus in ferrum, quàm in minas & suspiciones.

Nunquam fidendum populi fauoribus. Ne fide ingenio, ne eruditioni, opibus, nobilitati, benefactis, non sanguini fuso, non libertati armis & sudoribus partæ: iisdem artibus, quibus fauorem populiq; gratiam parasti, eripietur gratia, & pro benefactis malefacta reponet. Fecit hoc omni sæculo, omni gente. perget facere. ne fide. super fugitiua arena arcem struit, quisquis populari fauori innititur. Quid? quòd plerumq; etiam odio prosequatur libertatis suæ auctores. non vult debere; & quidquid magnum, & supra fortunam suam est, auersatur & odit. pares vult. maiores deprimit, & perditum it quidquid supra togam suam est. Iam si quod fortuitum, vt in humanis assolet, malum euenerit, rectoribus imputat; si quid prosperum, fortunæ suæ. etiam dum imperauerit, si votis imperata non responderint, imprudentiæ eorum quos delegit, ascribit: si responderint, prudentiæ suæ; nihil verò alterius aut felicitati, aut sapientiæ. Ita ingratitudine & inuidentia grauidum circumfert pectus. punire in alio imprudentiam suam vult, præmiare alterius felicitatem non vult.

Modus populo placendi. I. Vis verò placere populo? cùm populare euitare imperium non possis, caue ne aliud spondere te sentiat, sentire aliud.

II. Commodis fortunisq; illorum stude. plus enim his quàm honestate, aut gloriâ mouebis.

III. Beneuolum te præbe, benignum, comem, facilem; læto vultu venientes excipe, læto dimitte; venerabundos perhumaniter venerare, nec cibum potumque, nec mensam illorum fuge, tuæ etiam adhibe; ciuilitate vince omnes, vincaris à nemine; etiam infra genus tuum te abiice, & fortunam tuam. gaudet comitate, ac quasi paritate ac veneratione populus,

pulus, fastum detestatur, & quidquid magnitudinem, eruditionem & prudentiam sapit.

IV. Liberalem te munificumq; præbe. profunde etiam nonnunquam. Non potes rebus? nemo verbis pauper est; profunde verba humanitatis plena. fortiter verò auaritiæ à te suspicionem amolire, ne nimiùm commodorum tuorum te studiosum videant: magis etiam, ne quid detractum populo, arrogatum tibi.

V. Aduersis compatere, mœrorem deterge, laborantibus opem sponde; consilio iuua, blandisque vltrò verbis amicè compella.

VI. Audacissimum quemque beneficiis vince, profusioreque beneuolentia excipias; vbi senseris quibus capiatur, ne parce. sæpiùs tamē memento dare, quàm prodigè semel. rara enim apud inuerecundos beneficiorum memoria est, apud quos vltra beneficium memoria non est. quare repetenda beneficia sunt, ne intercidat memoria.

VII. Ab asperioribus verbis caue, à contumelia, à contemptu. ostende magis magno apud te loco esse, opinione magna. Laudari vult, &, quò vilior est, eo magis laudibus gaudet, & capitur.

VIII. Si aduersandum; ne primo congressu damna, ne reiice tanquam imprudentem, ineruditum, humanarum rerum inexpertum, improuidum. doce potiùs, incommodorum multitudine, sumptuum magnitudine, imminentiumque damnorum grauitate, à re propositaauerte: laudatâ interim tamen voluntate, studio, prudentiâ ac in Rempubl. animo.

IX. Priuilegiorum ac immunitatum veterum popularium, fortem te fortibus verbis propugnatorem ostende. quòd si quid remittendum ex illis Reipublicæ bono putabis, damna accumula, periculorumque pondere preme; commodorumq; varietate ab illorum ardore deducito. mutari posse in melius plurima, factumq; hoc omni gente & sæculo, doce. prudentis esse vtilioribus propositis postrema deligere. Ne-

que tamen hæc tanquam ex te nata propone, ſed vt ab alio accepta, boni communis cauſsâ, publico amore.

X. A feritate ad manſuetudinem populum deducere ſi velis, da operam, vt virtutem & pietatem amet, ſequatur. in quam rem viros, varia virtute, eruditione, pietate magnos delige, quorum monitis ac exemplo paullatim à ferocia deducatur, ad benignitatem componatur. Habebis obſequentes, faciles, ductiles, ſi virtutis ac pietatis amatores nactus fueris. quin & ſola pietas ad omnem vltrò modeſtiam ducet, clementiam, manſuetudinem, humanitatem.

XI. Quòd ſi pergat populus, quorundam (vt fit) improborum impulſu, inſoleſcere, in innocentem ſanguinem & fortunas ruere; delige ex omni numero non inferioris audaciæ, quos tibi concilies: doce, primos illos incentores, commodis ſuis, non populi ſtudere, imperare velle, regnum cogitare, priuatis affectibus & odio duci. vt horum operâ priorum auctoritatem minuas, ſtudia euertas, in imperij denique ſuſpicionem voces.

CAPVT IX.

Quomodo ſe habebit, qui in Iudicem, & conſilium à Principibus adlectus eſt?

Eccli. 7. MONET Sapiens: *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* & Dominus: *Quod iuſtum eſt iudicate; ſiue ciuis ille ſit, ſiue peregrinus. nulla erit diſtantia perſonarum. ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt,* apud quem nulla perſonarum aut dignitatum diſparitas, ſola virtutis & vitiorum eſt. Confirmat Sapiens: *Eris ſine confuſione, & inuenies gratiam in conſpectu omnium hominum. ne accipias perſonam, vt delinquas. De lege Altiſſimi, & teſtamento, & de iudicio iuſtificare impium, de verbo ſociorum & viatorum, & de datione hereditatis amicorum, de*

Deut. 1. *Vitanda Iudici acceptio perſonarum.*

Eccli. 42.

æqua-

æqualitate ſtateræ & ponderum, de acquiſitione multorum & paucorum, de corruptione emptionis, & negotiatorum. & alibi: *Cognoſcere perſonam in iudicio, non eſt bonum.* hinc illud: *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. iuſtè iudica proximo tuo.* Et alibi: *Statera doloſa, abominatio eſt apud Dominum: & pondus æquum, voluntas eius.* In quem locum illud Bedæ: *Qui enim aliter cauſſam potentis, aliter cauſſam pauperis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtaterâ vtique laborat iniquâ.* Adde graue illud in primis monitum: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Grauis interminatio: nec ſolet intra nudas minas ſtare Deus. fortior in vindictam eſt. Explicatè Iacobus: *Si introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hîc benè; pauperi autem dicatis: Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nónne iudicatis apud vosmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?*

Prou. 24. — Leuit. 19. — Prou. 11. — 2. Par. 19. — Iacob. 2.

Ab omni affectu remotus iudex eſſe debet.

Ab omni ergo affectu remotiſſimus iudex erit, ac ſi quem ſenſerit, exuet ſe illo, ſeponetq; perſonam amici, etiam cùm de Republica agitur; cum Iunio Bruto, Caſſio, M. Scauro, A. Fuluio, patris & filij. Eſt in hac re Catholico Rege digniſſima vox Ferdinandi V: In ancipiti iure Regi rem abiudicandam, adiudicandam ſubdito. Fuit hoc etiam Imperatore Traiano, Plinioq; laudatore digniſſimum: *Quæ præcipua gloria tua eſt; ſæpiùs vincitur fiſcus, cuius mala cauſſa nunquam eſt, niſi ſub bono Principe.* Idem habes ſub M. Antonino, Philoſopho dicto, quem narrat Capitolinus nunquam in re pecuniaria fauiſſe fiſco. Reo potiùs aliquid largietur ac indulgebit Iudex, cuius ſemper partes potiores accuſatoris eſſe debent; cùm accuſator ferè in ſæuitiam, in clementiã reus trahat: huic deinde pœna incũbat, illi præmiũ magis quã pœna.

Odia, & æmulatio ponenda in Iudice. Seponet deinde Iudex, M. Æmilium Lepidum, & Fuluium Flaccum, Liuium Salinatorem, & Neronem secutus, quidquid fors animo æmulationum, quidquid odiorum latet, quidquid etiam perturbationũ è quacunque caussa natum. induet verò libertatem æquitate & viro dignam; quam consequetur, si integritas illi & innocentia steterit, quæ securitatis mater esse solet, timorisq; expultrix. Fuit hoc posteritate dignissimum, cùm Ægyptius Senatus, ex Regis sui præscripto, solenni se iuramento obstringeret, se illorum mandatis, si quid cum æquitate pugnaret, non parituros. Est in hanc sententiam laudatissimum illud Antigoni tertij, quem iustitiæ administros monuisse ferunt, si quid scripsisset, signóue firmasset, quod cum legibus pugnaret, ne obsequerentur. Eadem habes in Alfonso Neapolitano magno Rege. Imitentur Principes. Audeant Iudices etiam, non imperantibus Principibus, sed Regum Principumque Rege ac Principe Deo, cuius illud: *Ego iustitias indicabo; &, Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm iudicia eorum iudicabo eos.* Audiant Iudices, è iudiciis suis Dei iudicia expectanda. quâ nimirum mensurâ mensi fuerint, remetietur illis. addit Dominus: *Non transeam, nec parcam, nec placabor; iuxtà vias tuas, & iuxta adinuentiones tuas iudicabo te.*

Psalm. 74

Ezech. 7.

Ezech. 24

Varij modi, quibus Iudices à vero & iusto abducuntur. Quanta exsurgunt Iudicum commenta! Ingeniosus amor & auaritia est: hic affinitate aut sanguine iunctus, ille veteri aut noua amicitia; ille magnis sponsionibus, magis etiam, si donis; illi sæcularibus aut Ecclesiasticis dignitatibus fulgent, quorum manibus quacunque purpura nitentia sperari filio munia possunt, aut maritus filiæ; ille magnorum suffultus litteris venit, armatis etiã non rarò, nescio an non & cataphractis: quæ non minorem metum, quàm spem faciant. Quid? quòd muliebres, non dico formæ, sed accedant preces, & doctæ mentiri lacrymæ, doctæ fallere, etiam coniugis nocturnæ: quæ donis quàm virtute maior, quibus non blanditiis dubium aut amantem maritum flectit! potentiores

tiores feminæ venti maribus ſunt, validiuſque nocturni Fauonij maritalia carbaſa, omni Euro Notoque impellunt. etiam ab ancilla & filia itur in dominam & matrem, inde in maritum; &, quod grauius eſt, coniugi non paruiſſe, non amaſſe eſt.

Nec deſunt exin Iudici rationes, cùm non deſint auctores. quas tam facile eſt amanti inuenire, quàm amare. Iam, ſi affectus, & pronior à quacunque cauſſa animus, pondere ſuo, vnam potiùs quàm alteram partem premat, deeſſe rationes non poſſunt. nam, vt cætera deſint, amor inueniet. Vnde illud vetus, & nouum, *Caſus pro amico*; ſemper erit, ſi ſemper volet Iudex: cùm nulla res ſuo propugnatore & auctore deſtituatur. & in tanta Iuriſconſultorum, quanta propè capitum, varietate quis deeſſe cuiquam ſcriptor poteſt? maximè, cùm benigniſſimus æquitatis interpres affectus accedat. Prodeunt noui indies Iuriſconſulti, ſententiaſq; ſuas vt communes tot auctoribus aſtruunt, vt numero lectorem terreant; credas Syllanam tabulam. inſurgunt alij, & contrarias integro nominum, tanquam Teutonum & Cimbrorum, exercitu firmant. alij etiam, non illepido in ſtuporem & riſum dicto, communes ſe dicunt adferre contrà communes; & prioribus derogatis, ſuas eſſe volunt communes. & tot hîc ſcriptores, vt credas nouum Xerxem incubare Græciæ. Illud quocunque cenſore dignum Theſſalico, eoſdem pro ſe ſinguli, in tam pugnantibus, mutuoque ſe interimentibus adducunt. O quid dicam? deeſſe in hac mutuo aduerſantium turba *caſus* poteſt *pro amico?* Illud mirum, depelli aliquem non raro à re fide optima poſſeſſa, quia *caſus pro amico* eſt. Et non vetus dictum, & verum, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*? aut exui rebus poteſt, quem manifeſta ratio exuendum non euincit? quid enim deturbas in re dubia poſſeſſione, & alteri adiudicas, quem nulla maior æquitas firmat? aut enim æquitatis nomen tollendum eſt, aut poſſeſſori abiudicanda res non eſt. Mirum etiam illud, in re du-

bia vniuersam rem vni parti asscribi. an non quam ratio partitur, partiendam æquitas suadet? cur enim vni rem totam, quam totam illi ratio non tribuit? imò quam ratio dimidiat, cur non dimidias? quid recedis à ratione? nisi Iudicis voluntatem pro ratione velis, illiusq; in hanc potiùs quàm in illam sententiam, personam, scriptores, affectus rationis vicem subeat. Hoc si verum est, sepone æquitatem, & æquitatis animam rationem; Iudex pro ratione erit: quam illi, siue amor, siue munera, siue spes, metusúe, non dico pocula & mensa, & melior vxoria forma, inieceerit, pro eodem erit. satis nimirum placuisse Iudici, vt *casum pro amico* habeat, & sententiã exindè pro amico dicat. Nihil damno, ne tota in hunc scriptorem exsurgant tribunalia, & *casum pro amico*, vel inimico reperiant. Quàm vereor, ne Iudices illi in vltimo tribunali, elementorum collisionibus prænotato, non sortiantur *casum pro amico*. fallar. ita ex animo voueo omnibus qui à consiliis Regum & Principum sunt.

Memor esse sui, & humanæ conditionis debet Iudex.

Sui deinde & conditionis humanæ meminerit Iudex, sequaturque illud M. Tullij: *Sapientis Iudicis est, meminisse se hominem: cogitare sibi tantum à populo esse permissum, quantum commissum & creditum sit: & non solùm sibi potestatem datam, verùm etiam fidem habitam esse, meminisse: posse, quem oderit absoluere, quem non oderit, condemnare: & semper, non quid ipse velit, sed quid lex & religio cogat, cogitare: animaduertere qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cùm hæc sunt videnda, tum verò illud est hominis magni & sapientis, cùm illam iudicandi caussa tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcunque cupierit licere: sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem; libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatesque omnes amouere. maximique existimare conscientiam mentis suæ, quam à Deo accepimus, quæ à nobis diuelli non potest; quæ si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine vllo metu, summa etiam cum honestate viuemus.* Christianè per omnia. Mansuetudinem commendat, legem, reli-

religionem, æquitatem, conſcientiam Iudicis, Deum.

In benignitatem verò pronior ſemper ſit Iudex; erit, ſi meminerit ſe hominem, errare poſſe, labi poſſe; cecidiſſe maiores, & carnificum cruentaſſe manum, & ſecurim, & funes & vncos funeſtaſſe; quin non noxias modò, ſed innoxias etiam ceruices ferro & tortoris dexteræ ſubmiſiſſe. In clementiam proinde ibit, in ſæuitiam nunquam. non quòd velim negligi iuſtitiam; ſed quòd hanc benignitate velim comitatam. nolo illam ire incomitatam; ſociam volo clementiam, & dextrum hanc iuſtitiæ latus claudere. hinc illa Sapientis monita: *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum; & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quàm mater.* De pupillis illi verba, quæ in omnes meritò extendo. quid enim reus ſub Iudice, niſi vt pupillus patre & protectore deſtitutus? *In benignitatem ſit pronior.* Eccli. 4.

Meminerit etiam illius: *Non accipies perſonam, nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.* Dei verba ſunt. Quid cæcitate miſerius? à muneribus cæcitas nata. fuge munera quiſquis oculos amas, cæcitatem auerſaris. Nec plebeios tantùm oculos, ſed ſapientium, excæcant munera. quid facient in aliis? non exoculabunt tantùm, ſed periment. ea vis munerum eſt. nihil his inexpugnatum; nulla robora, propugnacula, arma nulla. iacentq; horum dexterâ, quæcunq; propè omni ſæculo magna & valida, integri exercitus, regna tota, orbiſque quà patet magni imperia. Babylonem cogita, & æquatas nubibus arces, aut ſuperſtantes etiam, & ſuperbo vertice quidquid infra cælum eſt vincentes, aut è ſolida rupe exciſas, aut toto Oceano natantes; ſi qua via auro eſt, viciſti. infra etiam terram conde, & totis montibus tege, totoque adeò aquarum elemento; ſi implucre aurum poteſt, ſi irrepere, iterum dico, viciſti. tanta vis auri eſt. quid? quòd nihil illi inacceſſum, nihil illæſum; non frater, ſoror, pater, mater. Ludit in cognato ſanguine, in vnius vteri. ita nihil illi intactũ, nihil ſacrum: non tha- Deut. 16. *Munera fugienda Iudici.* *Vis munerum.* *Mala munerum.*

thalamus, non vterus, non vbera, non ſacra, non profana, non Deus ipſe in ſanctorum fœderum teſtem vocatus. quid non poteſt aurum? Non venalem habebit vocem & calamum, quiſquis muneribus viam dederit; ſed patrem, matrem, coniugem, filios, animam denique ipſam. Cùm enim, Scripturâ teſte, ſapientem vincat & iuſtum, quæ vis non cedet? Nam quid potentius, quàm iuſtos in fraudem & iniuſtitiam impellere? exoculare ſapientes? Illabuntur ſuauiter munera, non nego. at quis neſciat dulcibus ferè aconita miſceri? nemo abſynthio miſcuit: electibilibus venena temperantur, & ſaporatis plurimùm & dulcibus id malum iniicitur. Ita diabolus lethale, quo conficit animam, rebus Deo gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. At tu fuge ſtillicidia hæc mellis de poculo venenato, nec tanti munera facias, quâti periculum nominis & animæ. Nam munera admittere, nec in munerum partem flecti, cogitari & dici poteſt, credi non poteſt. Et non hunc qui hæc faciat, bis iniuſtum dixeris, bis impudentem, bis ingratum? pretium accipere, rem non exhibere, datamq; fidem fallere; priuatim verbis adiudicare, in ferenda ſententia abiudicare; ibi laudare, hîc damnare, quid eſt, ſi non bis circumuenire, bis ludere, bis iniuſtum eſſe? fuge quiſquis ſalutem tuam amas. Neſciat non tantùm munera manus tua, ſed coniugis, aut cuiuſcunque domeſtici tui dextera. nam, ſiue in manum tuam, ſiue in alterius, à quacunque nube, aurum tibi impluitur, vis eadem eſt. Quid? quòd leuius malum, quia vnum tantùm, cùm in manum tuam aureus hic imber cadit; cùm in vxoris, duplex eſt. nam & auri robur idem eſt, & vxoris nocturnæ maximè preces auro grauidæ quid non poſſunt? quanto verò potentius aurum ſit, blandientis coniugis adiutum precibus, magis etiam ſi fallacibus lotum lacrymis, quis ignorare poteſt? &, cùm ſine alieno adminiculo plurimùm aurum poſſit, quid non poterit tam potentibus auxiliaribus muliebribus copiis, quæ vel ſolæ ferrea virorum emollire pectora conſueuerunt?

uerunt? Docet Adam, Dauid, Salomon, Samſon, virorum miracula. Et certè crimen idem eſt; niſi, quòd creſcant crimina, cùm per noxiam coniugis manum infunduntur: nam & maritus & vxor in pari ſcelere ſunt, cùm vnum tantùm crimen ſit, ſi ſolus maritus, nullâ vxore adminiſtrâ, nullâ iniquitate famulante, admittat dona. Et qua fronte negabit pro donatore ferre ſententiam, qui admiſit dona? aureis cùm teneatur compedibus, quomodo ſe in libertatem vindicabit? Aut leuiora aurea ferreis vincula ſunt? fortiora ſunt. fortiſſimum namque metallorum aurum eſt, vix ignibus lentandum; minùs ſanè ferro, quod fornacibus fluit, cùm aurum medios ſtet inter ignes. Iam ne ingratus audiat, ire cogitur in ſententiam donatoris; ne inuerecundus & impudens, damnare non poteſt. quid ergo faciet, cùm hinc iuſtitia inuitet, inde aurum? ibi irroganda iniuſtitia terreat, hîc iniuſtæ rei pretium prouocet? Nollet iniquus audire, ſed neque dona negligere. Pulſat animum iuſtitia, & fortiter monet. fortiùs etiam aurum ad ſe trahit. Allicit æquitatis decor, nec minùs auri fulgor. Vtrimque premit ſitis, iuſtitiæ & auri. niſi quòd huius plerumque altiùs feriat pectus, & profundiùs in animum demittatur. ita ferè noxia in ſuadelam potentiora ſunt: optima quæque magnis rationibus egent, vt exorent: peſſima nullis calcaribus egent, ornatu nullo; vltrò admittuntur. Pulſare mentem virtus ferè ſolet, & admitti poſtulat: vitio reſerantur vltrò fores, & totis oſtiis excipitur. magno proinde robore opus eſt auro repellendo, cùm vltrò inuolat; magna conſtantia, cùm ſponte ſua venit. Et perpauci ſanè victoriam ex hac aurea lucta retulerũt: iugum paſſi plerique, & duram ſeruitutem, & inglorium terris cæloq; nomen. Quid? quòd ſola munerum ſpes à recto bonoque auertat, & nebula ac nube quadam inuoluat animos, ne videre magnum iuſtitiæ ſolem poſſint, aut non niſi quaſi per obſcurum noctis. non, quòd totum eripiat ſolem; ſplendorem tamen minuit, & obtenebrat luminis illius partem

Iudicis auro corrupti anceps nutatio.

tem maximam. Variæ deinde naſcuntur coniecturæ, acumine magis coacto quàm veritate grauidæ, & iuſtitiæ in omnem partem flexus. quam hic per pedes, ille per capillum, omnes viâ non ſuâ, cogunt in domum ſuam. Munera quid non poſſunt? improba, impia, iniuſta; proba, pia, iuſta ſunt. venena etiam & ferrum, licèt in patriam & parentes, miteſcit, & clementiæ nomen ſortitur, ſi nouus Iupiter nouo ludat & pluat auro. Sepone hanc munerum ſpem, omnis æquitatis amans, & cui virtus altè ſedet animo. nam illud vnum audeo, & finio: Accepiſti? periſti. ſperaſti? pro magnitudine ſpei iuſtitiam exuiſti. Mutant iuſtorum verba, mores, animum accepta & ſperata etiam munera. Non ego hoc, Scriptura monet: mentiri hæc neſcit. neſcit fallere. crede, & digna terris cæloque dabis. Audi ipſam: *Qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum; qui odit munera, viuet*; &, *qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit, & Regem in decore ſuo videbit*. Minæ in his, & præmia. Amplectere hæc Iudex.

Eccli. 27. Prou. 15. Iſaiæ 33.

Mors antè oppetenda Iudici, quàm iniuſtitia committenda.

Verùm, ſi maior vis acceſſerit, ſi Principis imperia in rem iniuſtam, in innocentis oppreſſionem, in Nabutæ ſanguinẽ? Achab cogita, & Iezabel, & canes. Sed imperat Princeps. memento Mathathiæ. Addit ille minas, flãmas, ferrum. intuere Babyloniam fornacem, lacum leonum, Machabæos, Eleazarum. At quis tormenta ferat? tulerunt pro veritate tot millia Martyrum, tot virginum. & quid ſunt ſæculi huius ad tormenta æterna? Durum eſt ſpoliari honoribus, ni parueris imperanti Regi. durius æternis, ni parueris Deo. Sed pergat in fortunas vitamque ſæuire Princeps, ni obſecutus fueris. quid ſunt ſæculi huius opes, ad non morituras? quid vita hęc, ad æternam? Verùm, quis feret iratum Principis vultum? quis iudicantis Dei, tot elementorum colliſionibus prænotandum? At graue eſt excidere Principis gratiâ. non grauius magni Dei, à cuius nutu regna & imperia pendent? Non accreſcent tibi dignitates à Principe. accreſcent à Deo in æterna tuo regno. Excluderis illius colloquio & familiaritate.

tate. donaberis Dei. Ferenda interim multa. leuia hæc, ad alterius vitæ: Epulonem intuere, & audi. Iacebis contemptus? mitius est ab homine, quàm à Deo contemni. & non diuite præmio remuneratur sæculi contemptum Deus, cùm remuneratur æterno? Antoniũ, Paullum, Alexium, Franciscum, & tot millia Religiosorũ intuere, voluntario contemptu diuites. Inglorius interim viues. in magna gloria est, qui Deo placet. & quæ volatica hæc gloria, ad cælorum æternam? Ludibrium eris omnium, & ingens populi fabula. ne time ludibria hominum, time Dei. illa cum vita finiuntur, hæc æterna sunt. & sis sanè humanæ fabulæ pars non postrema, vt expleas huius comœdiæ scenam aliquam; modò cælorum regni pars sis non vltima, & felix portio non moriturę vitæ. Parabis inimicos. non metues homines, si Deum habeas amicum. illorum hostilitas cum vita ponitur; Dei, æternitati commensuratur, finem ignorat. Patieris in omnibus Principem aduersum. meliùs hunc, quàm Deum pati. Negliget familiam tuam, liberos, coniugem, domesticos, & irremuneratos transibit. prudentis est humanum neglectum pati, vt Deum sentias laudatorem; humanaque præmia contemnere, vt Deum habeas præmiatorem, remuneratorem. Acrem tuum tuorumque oppugnatorem experieris Principem. securus viuit, qui Deum habet propugnatorem. & quid hominum possunt consilia si contrà stat Deus? benè tegitur, qui præpotentis Dei dexterâ tegitur. Sæuum ac crudelem fors etiam Principem patieris. benignum contrà & clementem Deum, facilemque in preces, fortem in tutelam. Nunc vide cuius potiores partes sint, cuius præmia magis vouenda, cuius minæ & indignationes magis extimescendæ, Principis an Dei.

CAPVT X.

Quæ vita instituenda viro Nobili?

DIGNA Christiano, nobilissimo Christi sanguine redempto, nobilissimo Deo patre progenito. Nam si ad primam originem prouocemus, à Deo sumus: si ad primum hominem, à ligonibus, aratro & colo sumus. ex splendidis deinde sordidisq; alterna ferè serie profluximus. Hinc audet Plato, neminem Regum non aliquando è seruis, seruorum neminem non aliquando è Regibus prognatum asserere. omnia nimirùm longa ætatum varietas miscuit, & in omnem partem fortuna versauit. Benè Stoicus: *Si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil.* Et sanè nimiam in maiorum seriem disquisitionem non suasero. fors, vbi curiosiùs scrutatus omnia fueris, aliquem in cruce, vel securi reperies. Et quid refert, quibus maioribus progenitus sis, si aut virtutibus illorũ destituaris, aut dedecora fortibus factis lustraueris? Non pares nascimur, pares morimur? licèt dum viuimus, impares dignitatibus & opibus simus, impares post mortem præmiis & pœnis. Et quid deligas, si delectus in manu tua sit; diuitiis & honoribus, an virtute vincere? priora etiam in fatuum & improbum cadunt, virtus in solum prudentem & probum. Et non ferè sceleratissimos quosque beare fortuna solet? gaudet paribus. ornamenta sua denegat bonis, odit dissimiles sibi. Vincere virtute vis? rara virtutis & opum societas est; vt perrara eruditionis ac diuitiarum. Quid? quòd potentissima ferè regna prudentiâ laborent. ignorant hanc felicitatem humana. hinc cùm potentissima quæque regna ruπium instar, mole sua stent, parua plerumque prudentiâ firmantur, vt quod negatum potentiæ, prudentiæ concessum sit. Et magnitudo plerumque securitatem quandam ingenerat, securitas neglectum parit, metum ignorat, aliorumq; con-

Nobilitas omnis à minimis initiis orta

Perrara coniunctio prudentiæ & potentiæ.

contemptum inducit,nec in longum consilia mittit, secura sui. paruitas imbecillitatis suæ conscia, dum potentiæ viribusq; diffidit,industriam, labores, vigilantiam,consilia pro potentia & robore habet.

Idem dicam in nobilitate. rara cum virtute nobilitati sociatio est,vt rara cum eruditione;cùm ferè natura ita dispertiuerit dona, vt nobilitatem vni, virtutem & eruditionem alteri largiatur. supra humanam felicitatem esset, vtraque beari. vni proinde nobilitatem, ingenium & sapientiam alteri mutuatur.Iam vide quid voles. nobilitatem? parentes nimirum viros magnos, factisq; ac virtute claros desideras. Verùm quò tibi fortia maiorum facta? illorum hæc fuerunt; tua non sunt. neque virtutem cum semine parentes transfundunt. Benè ille: *Nemo in gloriam nostram vixit, neque quod ante nos fuit, nostrum est.* Parentum sanè virtus nostra esse non potest,non magis quàm promerita illorum. saluari alioqui parentum virtute filius posset. Et quò mihi robur parentis, si imbellis ego? quò prudentia,si fatuus ego? Idem de virtute cogita. non transit in filios & nepotes,non magis quàm scelera & ignauia.Et quis vnquam eruditionem ire in filios arbitratus est? atqui eadem huius, quæ virtutum fortiumque factorum ratio. Sanè vt perpauci docti doctos, ita perpauci nobiles nobilem progenerant. fiunt docti, non nascuntur. Eadem dico de nobilitate. de vera loquor, non de aliena. nam vt fatuus sit,qui filium doctum patris eruditione dicat; qui fortem, patris robore; industrium,acutum, prouidum, patris industriâ,acumine,prouidentiâ: ita qui nobilem patris nobilitate. Videamus vnde nobilitas parenti. de vera dico, quæ mendacio caret. A virtute nobilitas. ab aliena,an propria? à propria.etiam ab aliena? non magis quàm ab alieno robore & eruditione fortis & doctus, aut ab alienis opibus diues, ab aliena mensa & vestibus splendidus.nescio, an non etiam ab aliena vita mortuus viuat, alienis oculis & pedibus,cæcus & claudus,videat,ambulet.

Nobilitas non à parentum, sed à propria cuiusque virtute metienda.

Virtus & doctrina parentum non transit in filios.

Et vt largiar, nominis aliquid venire à maioribus, non qui primus nomen familiæ ſuæ dedit, omnium ſententiâ primus haberi debet? cauſſam quæris? ſua nimirum, non aliena virtute magnus fuit. Hunc magnum imitemur, & propria, non aliena magnitudine magnam magnitudinẽ amemus. nam quis pygmei filij magnitudinem, à gigantea patris magnitudine metiatur? aut pumilionem magnum dicat, quia magnus illi pater? non magis, quàm ſi quis magnum illum dicat, quòd in magno monte conſiſtat, aut in humeris magni gigantis. Propria ergo, non aliena nobis magnitudine gratulemur. Benè Chryſoſtomus monet: *Melius eſt, vt in te glorientur parentes, quàm vt tu in parentibus glorieris.* Et in eandem ſententiam alius: *Satius eſt me meis rebus geſtis florere, quàm maiorum opinione niti, & ita viuere, vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Hinc illa fortis & vera exprobratio: *Maiores ſuos extollunt, & fortia facta memorando clariores ſe putant. quod contrà eſt: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior. Et profectò ita ſe res habet. maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Ita planè eſt. Laus nulla eſſe poteſt, imbellem ex forti, pauperem è diuite, ignauum è ſtrenuo, fatuum è prudente, indoctum è docto, deiectum è generoſo, factis ignobilem è rerum geſtarum gloria clarum naſci. imò tantum plus dedecoris accedit, quantum à maiorum virtute degenerat. Fuit aliquando tempus cùm, Hiſtorico teſte, *non diuitiis aut ſuperbia, ſed bona fama factiſque fortibus nobilis ignobilem anteibat. apud illos vna Reſpublica erat, ei conſulebant, factio contra hoſtes parabatur. corpus atque ingenium patriæ, non ſua quiſque potentiæ exercitabat. at hoc tempore homines nobiles, quorum animos ſocordia atque ignauia inuaſit, ignari laboris, militiæ, hoſtium, domi factione inſtructi, per ſuperbiam cunctis dominari volunt.* Fuit hoc illâ ætate: non ſit noſtrâ. nam ego, ſi quid votis aſſequi poſſum, malim lectorem meum cum magno Mario *nobilitatem peperiſſe, quàm acceptam corrupiſſe.* malim, ſi delectus

A propria non ab aliena magnitudine quiſque laudandus.

lectus detur, ab ouibus & funda, nullis maiorum imaginibus, cum Dauide in regnum vocari, & victorem omnium in circuitu gentium statui, quàm post tot longa serie Reges, cum Manasse ab Assyriis vinctũ catenis & compedibus duci, aut cum Ioachas vinctum in Ægyptum à Pharaone Nechao mitti, aut cum Ioakim & Sedecia captiuum, effossis oculis, in Babylonem à Nabuchodonosore trahi. Et quis non dicat Dauidem Manasse nobiliorem? vera namque nobilitas, si rationem sequamur ducem, non hereditate, sed laboribus, periculis, virtute paratur. ad hæc omnibus via patet, omnesq; sumus ad illa nobiles. &, vt Stoicus: *Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.* Patricius Socrates non fuit, marmorario genitus; Cleanthes rigando hortulo locauit manum; Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit; Euripidis & Demosthenis parentes ipsa illorum ætas ignorauit; incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium accepit; Tarquinium Priscum mercator genuit; Seruius Tullius à seruo imperium tenuit, protulitque in imperio conditionis suæ nomen; ex taberna macellaria ad Consulatum Varro conscendit; Porcius Cato, ignobile Tusculi nomen, nobilissimum Romæ dedit; plebeiæ fuerũt Deciorum animæ; septies Roma Consulem ab aratro Marium vidit, Arpinatem Ciceronem. Excrescam in volumen, si omnes è plebe Consules enumerauero. pergo ad Imperatores. Augustus equestri se ortum familiâ scribit, Antonius libertinum illi proauum exprobrat; Otto patre equite Romano, matre humili, incertum an ingenua natus; Vitellium plurimi prodiderunt libertinum genere, alij sutorio ac veteramentario; Flauia gens obscura fuit, & sine vllis maiorum imaginibus; libertino patre natum Pertinacem, & Diocletianum accepimus; Macrini parentes Imperium ignorauit; ab ouibus & mercenaria manu ad Imperium Maximinus, Maximianus & Iustinus venerunt, Philippus è latrocinio; Valentinianum & Valentem funarios, porcarium Iustinianum, Notarium Mau-

Vera nobilitas à cuiusque virtute.

Magnorũ Regum & virorum ortus sæpè ignobilis.

Mauritium Imperium admisit. plerosque denique reliquos ex infima plebe Imperium habuit. Quòd si reliquos Imperatores, Reges, Principes ad initia sua deduxero, & si quidquid sæculo magnum, quanti erubescent? verùm contineo manum, & receptui cano. O tamen, si ad originem vocet Deus omnes, quàm multi magnis matribus nati quærant patrem? Taceo, ne fors etiam tandem à patribus deuoluar in Muciam, Fuluiam, Orestillam, Semproniam, Augusti Iuliam filiam & neptem, Cæsoniam Caligulæ, Messallinam Claudij, sorores Caligulæ, Neronis matrem, Domitiani Domitiam.

Maiorum nobilitas factis turpibus non fœdanda.

Verùm, vt veterem tibi nobilitatem concedam, & Hercule te aut Agamemnone natum; quid vis? non indignum te maioribus ostende, nec imitare Africani filium; ne audias, *Quantas tenebras à quo fulmine nasci passi estis dij immortales!* non Q. Fabij Maximi Allobrogici filium, quem indulgentia patris cùm heredem reliquisset, publica seueritas exheredauit: non Q. Hortensij, non Ciceronis filium. Sed adde parentum nobilitati nobilitatem nouam, maiorum nimirùm virtutibus virtutes nouas; vt non tam te ab illis lumẽ accepisse, quàm illos à te lucem mutuatos videamus: vt, cùm omnes maiorum nobilitate vincas, tum tua maiores vincas. Nobilis victoria, quâ virtus de virtute triumphum agit. & cùm virtute maiores viceris, reliquos humanitate, comitate, benignitate, animi submissione, gratitudine, æquitate, clementia, fide, modestia, temperantia continentia, liberalitate, constantia vincas. Hoc est nobilem esse, virtutibus hisce nobilitatum animum circumferre. Lusit more suo in nobilitatem doctè Satyricus:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Et Curios iam dimidios, nasumque minorem
Coruini, & Galbam auriculis nasoque carentem?
Tota licèt veteres exornent vndique ceræ

Atria,

Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.
Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum.

Subdit nimis vera. —— *Quis enim generosum dixerit hunc, qui*
Indignus genere, & praeclaro nomine tantùm
Insignis? Miserum est aliorum incumbere famae,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodò tu sis
Aeacidae similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quàm te Thersitae similem producat Achilles.
Et tamen, vt longè repetas, longeque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus, quisquis fuit ille, tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Eleganter, & verè. O si ad originem suam nobilitatem omnem ducat Deus, quanto rubore multorum tingat genas! Addit Satyricus:

Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocunque venit de sanguine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in aequore puluis.

A robore vnicuique suo, virtute sua, factis nobilibus suis, non ab alienis vera laus venit, vt meritò maiorum virtutibus insolescentem rideat:

—— Tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses.

O fatui! quàm doleo stoliditatem hanc ferè nobilitati adnexam! credas adnatam, & ab vtero venisse. nollem. Sed quis medebitur malo huic Deus? olim semper nimirum haec amentia mortales tenuit. vereor ne frustrà decantem, non ego, sed Deus ipse. ita altè insedit haec fatuitas, vt antè animam ponant, quàm iactationem & amicum hunc fastum

rebus inanem. Et quis non vacuum rebus dicat, cui tota gloria, laus tota ab alio est? vt vacuum eruditione, cuius omnis doctrina in alieno calamo sudat. quis non meritò rideat illum, qui alieno tanquam suo se iactat, alienis fortibus dictis factisque vt à se natis gloriatur? qui Benedicti continentia, Augustini doctrina, Ambrosij eloquentia, Laurētij robore, Stylitæ ieiunio, Francisci paupertate, Antonij vigiliis, Paulli raptibus, diuinis Petri & Ioannis amoribus, Stephani constantia, Salomonis prudentia, Moysis mititate sese effert? Neque enim maiorum virtutes magis in nos migrant, aut cum semine & lacte transeunt, quàm peregrinæ, quas retuli, magnorum virtutes. Finio. ne in calamum hunc traham veterem nobilitatem, indignabundam doceri, impatientem moneri, inassuetam vera audire. addo hîc tamen illud Nazianzeni, & claudo docto illius versu caput:

Nobilis, at grauibus vitiis adopertus, honesto
Non tamen illustri, commemorabat auos:
Risit ad hæc alter, scitéque hoc rettulit: Vt mî
Dedecori genus est, sic quoque tu generi.
Pulchra rudes modulos dedit vni barbytos; vna
Vilis, at egregios edidit icta sonos.
Dic mihi; Quis fidicen melior censendus eorum?
An non qui doctâ barbyton arte ferit?
Ergo animos tollis, quòd (sis licèt improbus) ipse
Diceris auratis patribus esse satus?
—— Par omnibus ortus.
Argilla est. ——
Omnibus est eadem pellis. ——
Omnibus est idem puluis, fictórque; tyrannis,
Non natura, homines sparsit in illa duo.
Quod probrum est mulis, asino fluxisse parente,
Quod mulos asinis est genuisse decus?
Esse probus malo, quamuis ignobilis ortu,
Quàm claros, vitiis plenus, habere patres.

C A-

CAPVT XI.

Quæ vitæ ratio in aula tenenda?

FVIT, cùm ſub non vno Principe dicere liceret: ***Quiſquis capere magiſtratum voles, auri & argenti negligens eſto: nullas oſtiatim potentium ædes obito: nullius pedes, nullius genua complectitor. adhibeto tantùm gratuitas, & facillimas paratu comites, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam.*** vltrò ad te dignitates accedent. Nunc vereor, ne verum illud nimis: ***Seruiendi miſeranda potentia, aſſentandi mira calliditas. miniſtrorum aulæ limina teruntur. ad fores eorum, qui regiis cupiditatibus ſeruiunt, patriciæ gentis viros cerneres ab eiuſmodi dedecore, non imbri, non gelu, non amaritudine ipſius iniuriæ deterreri: demiſſi cadenteſque, vix capita ſupra eorum, quos precantur, genua tollunt.*** Ita neque pudet, neque piget, non animæ tantùm & corporis incommodis, ſed & contumeliis omnibus eniti in cauſſa votorum ſuorum. Quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupantur, idque ob paucorum ſæpè annorum volaticum gaudium!

Iam quid ego dicam de pleriſque Principum aulis? intuere propiùs. caſtitatem ab impudicitia deiectam non vno loco videbis; fidem à perfidia excluſam; miſericordiam à ſæuitia pulſam; modeſtiam à petulantia calcatam; pudorem ab inuerecundia ſuperatũ; temperantiam ab intemperantia proſtratã: vt fidem ſeruaſſe, ſimplicis ſit eſſe ingenij; miſericordiam & modeſtiam, nimiam religionem ſapere; verecundiam & temperantiam, femineæ frontis & oris eſſe, nec virum ſuum redolere. Graues deinde vbique offenſas, ac nulla plurimũ ætate ponendas; leues verò gratias videbis. Lapſus verbo es? æterna memoria eſt. Beneficium contuliſti? non vltra beneficij locum memoria eſt. Gratiâ apud Principem vales? exſurgent æmulationes, oblocutiones, doli, cir- *Aulæ mala & vitia.*

cumuentiones.ſed & tot inuidiâ contabeſcunt,quot ſe munere & gratia excluſos arbitrantur. Quid? quòd ſatis ad odium ſit,eſſe magnum; ſatis ad ſubdolas prauaſque molitiones,placuiſſe Principi;ſatis ad inſidias ſtruendas,competitoribus prælatum.ita ſemper inuidiæ magna patuerunt: humilia intacta iacent, calamorum & linguarum ignara. Datam verò fidem fallere,mille licèt iuramentis firmatam, elegantiæ quoddam genus eſt. ſi quis veris aſſuetus, ſimplicioris ingenij eſt,quàm aulam aulicoſque mores deceat. fallere,ſocium circumuenire,pecuniam malis artibus parare,ſua prodigere,aliena rapere; falſis ſociorum delationibus,ad maiora conſcendere, aliorumq; euerſionibus ſua ſtabilire, ſacra in profanorum ſubſidia euocare, ea demum laus eſt. aliud verò mente condere, aliud ore promere, ita frequentatum, vt,ſi mens ori reſpondeat,inter viros numerari non mereatur. nec aliâ certiùs viâ,pectori concredita ſcies, quàm ſi tacitus tecum cogites quid aduerſetur verbis. Vbi proinde videris prolixè omnia ſpondentem,opulentiſq; verbis promiſſa diuitantem, vltroque operam ſuam deferentem,alia omnia cogita. amicum ore referet,hoſtem circumferet animo. amicos etiam amplexus dabit,& decreſcet infra genua. fuge Iudæ & Ioabi oſcula; factis amicitiam metire, non verbis. nec illis crede qui è libro loquuntur. nam ſi propiùs intuearis,videbis hos aulæ ſectatores certis deſignatiſq; ac fallentibus formulis ſingulos compellantes, vt veteres fœciales arbitreris,aut patres patratos, quibus certis præſcriptiſq; verbis hoſtem compellare ſolenne erat. Aggredere tantùm ſingulos. vide quid eloquantur. ſerui ſunt omnes, manuum oſcula loquuntur, etiam pedum: & mancipia habes in ſingulis, ad omnia etiam calceorum paratos obſequia. dolent indignos ſe haberi, qui opem ſtudiumq; ſuum impendant, qui non adnumerentur primis amicis; dolent,nec eas facultates, nec gratiam, nec potentiam eſſe, vt merita debitaque obſequia præſtent. omnia ſe debere,fortunas,vitam,ſanguinem;

nem; nihil posse: magni scilicet mœroris caussa. vt omnino meritò ignores, quid aut cui credas. tam varius pro temporum, locorum, personarum varietate sermo: tam incerta, pugnantia, mutuoq; se interimentia reperias, vt certius nihil credas quàm aliquid; vt, quod magnus Afer de pauone, dicam de nobilitate hac aulica: *Omni conchylio depressior, quà colla florent; omni petasio inauratior, quà terga fulgent: omni syrmate solutior, quà caudæ iacent: multicolor, discolor; nunquam ipsa, semper alia; etsi semper ipsa, quando alia; toties denique mutanda, quoties mouenda.* Intuere aulicorum mores, eadem reperies; quoties mouentur, toties mutantur. quid? quòd toties propè mutentur, quoties mouentur; semper alij, nunquam ipsi.

De aulicis plerisque mulieribus nihil dico. studium tamen non paucarū nullo vnquam rubore suffundi, ad quemcunque prospectum stare interritas, ad quæcunque verba colorem tenere; nullum deinde amatorem fugere, nullam in quocunque viro solitudinem vereri. Neque discrimen inter matronam multarum prolium matrem, & virginem reperias: par verborum licentia: nec, quæ virorum sunt, minùs virgo nouit, quàm quæ decem prolibus maritum beauit. pudor nimirùm sit, ante matrimonia ignorare, quæ matrimonia & filij docuerunt. Morborum verò verecundissima, matronarum illa an virorum sint, quæ medicorum auribus credere seuerior castitas verecundabatur, puellarum confabulationibus teruntur, vt arbitreris de rosis & violis agi; vt verecundior olim multorum filiorum mater in suo sexu foret, quàm virgo nunc in alieno. *Aulicarum mulierum mores & ingenium.*

Quid faciet adolescens aulæ destinatus inter aulicos fluctus & tempestates? vitabit, si potest, infida hæc aulica maria tantorum naufragiis infamia; si non potest, timore & amore Domini pectus firmabit. beneuolum verò se in primis præbebit omnibus; damnabit neminem, mordebit neminem, ore, calamo, vultu; accusabit neminem, laudabit omnes. contumelias & illata damna feret, & pro malefactis be- *Præcepta adolescenti aulico.*

nefacta rependet. Patitur aduerſarios? non agnoſcet; & pro amicis habebit, omnibuſque beneuolentiæ ſignis præoccupabit, & inſidias muneribus anteuertet.

Plurimum in aulis dona poſſunt minuta & frequentata.

Si pecunioſus fuerit, petentibus mutuabitur. mutuatum, ſi carere poteſt, non repetet; accipiet, ſi vltro dederint, tanquam beneficium. minutioribus menſalibus donis, pro ratione temporum, potentiorum gratiam parabit. Incredibile dictu, quid pecuniæ neglectus, quid munificus inter aulæ ſectatores animus poſſit: vt auſim dicere, Imperare poteſt, qui dare poteſt. etiam vitia ſua teget, qui profundit. Prudentia tamen hîc opus, vt non in omnes eâdem munificentiâ vtaris, ſed in illos potiſſimùm, qui aut obeſſe multùm, aut prodeſſe poſſunt plurimùm. non negligendi alij, ſed magna perſonarum temporiſque ratio habenda. in omnes prodigere, ſtolidum eſt: in quoſdam, prudentis. à prudentia ergo diſcrimina mutuanda ſunt; & plus ſæpè in delectu, quàm in munere difficultatis ac laudis eſt. Quòd ſi fortuna negauerit opes, verbis diues ac munificus quiſque eſſe poteſt. nemo illis pauper fuit, niſi qui voluit; obſequio etiam diues eſſe quilibet poteſt.

Virtuti coniuncta modeſtia plurimum poteſt.

Poſtremas verò vbique partes occupabit, qui primas amat. etiam genere & dignitate inferioribus lubens cedet. de ſe autem ſuiſque demiſſè ſentiet, loquetur etiam demiſſiùs: magna de aliis. ſi quid laude, gloria præmioq; dignum fecerit, ſubmiſſiſſimis verbis facti magnitudinem extenuabit, aliiſque laudem, non ſibi aſcribet. potiora dein aliis, deteriora ſibi tribuet. Nuſquam generis ſui maiorumque nobilitatem, licèt poſſit, attinget. quòd ſi quæ mentio iniecta, aliò ſermonem vertet; ſi omnem auertere non poteſt, quàm modeſtiſſimè de ea loquetur: laudabitque illos, qui virtute ſua viam ſibi ad magna ſtrauerunt. virtuti verò factiſque fortibus modeſtiam miſcebit. Nemo niſi experientiâ doctus credat, quantum coniuncta virtuti modeſtia, liberalitaſque beneuolentiæ permiſta, etiam apud improbos, poſſint.

possint. Demissio in magnitudine, comitas, morum facilitas, facilis aditus, beneuola & amica compellatio, frontis amœnitas, vltronea beneficia, hilarique animo, vultu, manu porrecta, tacita maximè & nullo teste porrecta, siqua potissimùm necessitas premat, magno ad magna incitamento sunt. Obesse nemini, benefacere omnibus, liberalem è suo, parcum ex alieno esse, nullius vnquam æstimationi quidquam derogare, silentio damnanda premere, vulgare laudanda, etiam in hoste, magnam ad prima quæque ianuam aperit. Contumeliam deinde & hostem pati, & gratias pro iniuria tanquam pro beneficio agere, & æmulum laudare, & beneficiis onerare, via ad maxima est. hæc qui fecerit, magna sperare, & imperare magnis potest.

Inter aulica deinde documenta, non postremas simulatio tenet. nolo hac quemquam circumueniri, volo tamē hac pericula à capite arceri. nimius sanè candor, & retectū pectus, & frons animo respondens, non sapiunt aulam. sæpe enim ingens candor consiliis destituitur, nec habet quod reponat, quò pedem figat, quò retrahat, si qui doli aut necessitas occurrerit. Iam, quoties dissimulandus mœror, amor, spes, metus, ira, gaudium, vota, studia, dignitates, aut commoda ambienti! quoties audita, visa, non audisse, non vidisse, ad magna tendenti simulandum est! excidet enim non raro spes manibus, si scire te, quæ ignorata putabantur, æmuli intellexerint: quamdiu verò ignorari putant, nec in fraudes exsurgent, nec in insidias, nec in contraria studia & molitiones. Cogitationes ergo suas, consilia, amicos, facta etiam aulicus, si potest, teget, dictorum interim factorumq; aliorum diligens obseruator. quidquid proinde obesse caussæ suæ potest, quidquid amicis, quidquid sibi, arctissimâ tenebit custodiâ; quidquid prodesse, manumittet, libertate donabit. Hoc verò inter non vltima numerandum, vt, si quis aduersarum partium, propiùs consiliorum nostrorum indagator accesserit, quocunque verborum etiam amicissimorum leno-

Simulatio aulico necessaria.

lenocinio ludat, ignarum dubiumq; rerum nostrarum dimittamus, vt nec apertè negemus, nec fateamur apertè.

Principis sui ingenium ac mores cognoscat aulicus.

Ante omnia interim Principem intueatur; mores illius discat, vitam, ingenium, animique illius in omnem partem propensiones. bella amet an pacem; in pietatē, modestiam, studia, lectionem, scientiarum artiumq; cognitionem, fastum, aliorum contemptum, sæuitiam, clementiam, humanitatem, liberalitatem, auaritiam propensior; nouis an veteribus delectetur, labore an otio, seriis an ludicris, mensis, poculis; alieno insidietur toro, an suo contentus viuat; noua regna cogitet, an suo se contineat.

Acceptam à Principe iniuriam ignoret aulicus.

Pronus in iram est? ne huic rupi illidat pedem. mollibus mitescunt dura, maximè in Principe. Ad contumelias, minas & damna descendit? ignoret se hæc passum qui patitur: & plus etiam obsequij ostendat iniuriâ acceptâ. nolunt videri offendisse Principes. quòd si iniuriam te passum ostenderis, vertuntur in odia, inde in sanguinem. obsequia etiam tua, & in Principem merita silentio preme. nolunt videri debere Principes: debent tamen. at tutiùs hæc premuntur. rogari Principes volunt, & quidquid accipiunt, deberi putant; quidquid quacunque caussa largiuntur, pro gratuito munere cognosci volunt. Tenuia sunt, quæ donant? pro magnis habe. quidquid à magna manu venit, nomen volunt referre magnum. nec meretur magna quisquis à magna manu metiri nescit parua pro magnis. & ferè res paruæ aditum ad magnas faciunt. recusas, aut negligis? indignus maioribus es. nec ferunt Principes neglectum, minùs contemptum. contemni verò se in paruis donis aut muneribus arbitrantur, si neglexeris. at nihil acerbius sceptro contemptu, vt excidat spe omni, qui in tenui munus contempsit. Fertur in superbiam Princeps? demissè de te tuisq; senti; præclarè de ipso; præclariùs etiam loquere. Non patiuntur mores? nemo tam improbus, quin aliquid laudandum habeat: hoc lauda. etiam vxori, seruis ac domesticis fortiter impera, ne quid in

Dona Principis licèt tenuia, pro magnis habeat.

Præclarè de Principe sentiat & loquatur.

Prin-

Principem dicant non laudatum; domesticorum enim dicta, dominorum habentur. Quòd si quis in Principem liberiùs verbis exsurgat; tu Principem tuere. etiam manifesta scelera, extenua; aut laudes alias repone, memor damnatores hosce non tam sensus suos aperire, quàm tuos scrutari. Ita T. Sabinus sub Tiberio, subdolis Latiaris in Imperatorem querimoniis, in pares inducitur, inde in mortem.

Consilium Princeps petit? periculi res plena est, maximè si in sæuitiam pronus. ab euentu enim ferè tales res iudicant. ac licèt, aut fortunæ inconstantia, aut aliorum improbitate, insidiis, fraudibus, aut imprudenti moderatione, aliter res ceciderit; in primi tamen consultoris caput damna cadunt. Quòd si pergat vrgere Princeps, nec effugij locus, rationes in vtramque partem adferat qui consulitur; ea moderatione, vt non intelligat Princeps in quam consultor partem propendeat, quò integra liberaq; electio Principi maneat. In omni denique re graui euentus dubij & incerti, & à qua Reipublicæ felicitas aut ruina pendet; cautè se consultor habeat. nam & in prospero successu laudis ac gratiæ parum est. & quis Principum debere se fateatur? In infelici verò, & è quo popularis aliquis tumultus timeri potest, certum consultoris capiti periculum imminet. nam, vt se apud populum Princeps purget, in consultorem sæuit. & sub non vno Principe consultoris sanguine plebs composita. Ita Commodus Cleandri morte populi motus ponit: Eutropius ab Arcadio hostibus traditur. *Quomodo consilia Principi danda.*

Improba proponit Princeps & iniusta? ne obsequere. certissima te Principemq; perdendi via est prauis illius obsequi affectibus. trahe proinde rem, si potes: primos enim in Principe æstus, nullâ re certiùs, quàm morâ temperabis & franges. Non potes? inscitiam tuam rerumq; imperitiam fatere; nascitura dein incommoda recense, aliorum maximè Principum exemplo. Magnâ tamen hæc modestiâ, vt non videaris docuisse velle. nolunt diademata doceri. turpe nimirum

S

mirum sceptro discere. proponi rationes possunt: sed eâ modestiâ, vt delectus apud Principem sit; nec tuo consilio, sed suo iudicio, optima delegisse videatur. Delegit Princeps, te consultore & auctore aliquid? nunquam euentuum prospera prudentiæ tuæ, sed Principis ascribas. factum ab Agrippa, Cratero, Ioabo, aliisq́;. facta etiam fortia, cæsos hostes, debellata regna, defensam rempublicam, Principis prudentiæ & felicitati tribue, etiam absentis: quidquid verò è manu tua magnum, extenua. non amant alienam magnitudinē Principes: sed & suspiciosa omnis illis magnitudo est, odiis proxima. & ferè potuisse, apud illos manum imperio inijcere, fecisse est.

Quòd si nimia te felicitas ad summa omnia prouehat, retrahe pedem, & vltrò seca felicitatem. Prudens nauclerus subducit nauem, & occurrenti se, dum potest, tempestati subtrahit, & portum legit: stolidus prouocat & exasperat audaciâ fluctus. Quòd si periculum fuerit, ne improbissimus quisque bonorum præsidio destitutum occupet Principem, perfer & obdura, ne improborum consuetudine in pœnitenda labatur, seque ac rempublicam perdat, dum praua suadentibus obsequitur.

Tenax custos commissorum sibi à Principe. Commissorum sibi verò à Principe tenacissimus custos sit; vt antè vitam profundat quàm concredita prodat. multos improuida custodia perdidit. ac nec vxori, nec filio, non amicissimo sibi, non matri, non parenti, commissa sibi à Principe credat; in nullius denique etiam maximi viri sinum fidemque, quæ accepit, deponat, non consilij, non auxilij caussa. nihil enim tam graue esse debet, quod credita cogat prodere. sacrosanctum enim cuique esse debet quidquid silendum premendumq́; Princeps voluit.

Principis consilia non scrutetur. Sed neque curiosior in Principum consiliis indagator sit: nec scire velit, quod ipsi sciri nolunt. noxia non rarò curiositas hæc non vni fuit: & plurima Principum ignorasse melius sæpè quàm sciuisse fuit. Philippides à Lysimacho Rege roga-

rogatus, quarum rerum conſcius eſſe vellet; reſpondiſſe fertur, Omnium quæ tibi Rex placent, præterquam ſecretorum tuorum. prudenter. Fieri enim cõſueuit, vt non vni tantùm ſua Principes committant: quæ ſi vulgata fuerint, in omnes ſuſpicio cadit, ac in innocentiſſimum ſæpè. nec vllâ plerumque hæc nota deleri ſpongiâ poteſt; nimis enim altè Principum pectoribus hæc ſeu facilitas, ſeu leuitas, ſeu infidelitas ſedet.

Cauendum etiam, ne priuata Principum beneuolentia ac amicitia abutaris. Ita Philotas & Clitus, dum nimiũ de Alexandri amore præfidunt, pereunt. accidit idem Aluaro de Luna ſub Ioanne Rege, & in Romano Imperio, Seiano ſub Tiberio. Maternus Commodo in deliciis dum pluſculum ſibi arrogat, doloſo æmulorum ferro cadit. Factum multis. nec vlla ætas fuit, nullus propè Princeps, quem non perfamiliaris alicuius domeſtici cædes funeſtarit. nunquam ſteterunt omnes, nec quam conſecuti fuerant gratiam monumento intulerunt. Mare Principum aula eſt, alternis æſtibus reciprocum, multorumq; aut iactationibus aut naufragiis infame. ne fide. momento, qui ſtetit cecidit, & in altitudinis ſuæ loco præcipitia tulit. Et ferè quo quiſque ſecurior, eo excidio propior eſt. Aman nos docet, & omni æuo, & ſub omni Principe plures. Ita nulla tempeſtas grauior eſt, quàm quæ ſummæ malaciæ incubuit. & prudentiſſimus quiſque nauclerus tranquillo diffidit mari; paratque in alta fluctuum pace, quæ tempeſtati opponat, quæ furentibus ventis, quæ ſæuientibus vndis, quæ infido nimiùm elemento, ac quaſi per ludum claſſes ſorbenti, vrbes, inſulas, prouincias, regna. *Cauẽ vtẽdum Principis beneuolentia.*

Moderandæ etiam apud Principes pro aliis interceſſiones. interceſſoribus enim beneficia adnumerant, & quidquid precibus concedunt, precatori aſcribunt; tanto maioribus hunc vinculis obſtrictũ tenentes, quanto plus illius rogatu aliis conceſſerint. Integrum potiùs Principẽ ſeruet ſibi, quiſquis prudens eſt, nec beneuolentiam illius in alios exhauriat. *Moderatus ſit in aliorum commendationibus.*

Parcus in verbis apud Principem. Verborum dein parcus apud Principem erit. Aristotelis consilium est Callistheni ad Alexandrum proficiscenti, timidè nimirum, perpaucis, venerabundè. Male libertas Platoni apud Syracusanum Dionysium cessit. Quare aut abstinendum aula, aut non nisi rarò ac paucis Princeps conueniendus, ne domesticam quasi quamdam familiaritatem induere velle videaris. Non amant congressus pares sceptra: & venerationem ac cultum deposcit, in cuius manu mors vitaque sita sunt. Sed neque facilè in mediis lusibus interpellandus Princeps. ingrata diademati interpellatio est, quæ gaudia secat. Monendus est? commodiora tempora specta, deliciis vacua.

Moderanda Principis sæuitia. Incidisti in Principem crudelem? ne sæui. Vt plurimùm enim crudelitatis auctores, ferrum passi. accidit Aniceto sub Nerone, Ramiro sub Cæsare Borja, ænei tauri inuentori sub Phalaride, qui primus, submissis ignibus, in boue suo mugiit.

Non foueat Principis auaritiam. Incidisti in auarum? noli caussam dare nouorum vectigalium populo imponendorum. Gallia in exemplum præit. Sub Philippo Pulchro Petrus de la Becche; sub Ludouico Philippi filio Enguerrannus de Marigni; sub Carolo VII. D. de Gyac, & Camus de Beau-lieu, regij ærarij primi quæstores, alieno ferro cadunt. miserum, quòd Regibus auctoribus. Paria propè passus Petrus des Essarts, centum francorum millibus damnatus.

Nunquam exasperandus Princeps in vxorem & filios. Incidisti in exasperatum in filios, in matrem, in agnatos? ne accende iram, ne foue, memor Othonis, qui cùm in matrem Rheni Palatinum incendisset, dignissima sceleribus præmia retulit: cùm pace inter matrem filiumque compositâ, linguâ & oculis exsectis, exemplo posteritati fuit, quàm malè tutò in propinquo sanguine inimicitiæ prouocentur. Idem accidit Gimoneræ, qui sub Francisco & Galeaceo Mediolanensibus Ducibus fortiter feliciterque rem gesserat, cùm à Principis matre Galeacei fratribus inimicissimis sibi traditur.

Labo-

Laborandum deinde ſeriò in cognoſcendis aulicorum ingeniis. Sunt iuuenes, quos ferè videas præfidentes, omnia ſibi ſpondentes, faſtu turgentes, faciles vt in fidem, ita & in iram; incautos in periculis, improuidos, futurorum ignaros, præteritorum immemores, præſentium amantes, liberales, varios, nuſquam certò figentes cogitationem, amicitiarum æquè ac inimicitiarum prodigos. aliquid in his largiendum ætati, aliquid indulgendum. contrariis interim ſtudiis, ſed magna moderatione à vitiis ad virtutem ducendi, vt nec abduci ſe ab illis ſentiant, nec ad hanc adduci. *Aulicorum ingeniis ſe accommodet.*

Sunt ſenes; quos plurimùm deprehendas cautos, ſubdolos, prouidos, incredulos, ſuſpicaces, diffidentes, timidos, auaros, moroſos, inamœnos, duros, nullis niſi ſibi ignoſcẽtes, niſi ſibi indulgentes, in reprehenſionibus ſeueros, acres in monitis, immemores iuuentutis ſuæ. cautè cum his agendum, præmeditatè: ætati etiam veneratio ſua tribuenda.

Sunt nobiles, quos maiorum nomina ſupra reliquos efferunt. hos reperias in perpetua auorum atauorumque narratione, in ſui laudatione, reliquorum contemptu, ambitione tumidos, ac, cùm non infrequenter ignauiſſimi, rerumque propè omnium ignariſſimi ſint, omnibus ſe anteponentes, ſola interim maiorum, non ſua virtute aut gloria magnos. honores his impende, magnificè habe, lauda, venerare.

Sunt diuites; quos inſolentia ferè comitatur ac ſuperbia, diuitiarum comites. omnia hi ſibi perſuadent poſſe. tanta fiducia auri eſt. nihil tamen inſolentius nouis opibus, nihil tenacius, inhumanius nihil, arrogantius nihil. Declina quiſquis ſapis hos ſcopulos, familiaritatem & congreſſus fuge. non potes? animum antè para & arma fortibus cogitationibus. multa hîc inciuilitas intercurret, faſtus multus. perfer, & viciſti.

Sunt externi; cum quibus ferè retractiùs; exporrectiùs cum eiuſdem gentis agendum. & ferè magis coaleſcunt a-

nimi eodem cælo nati, educati similitudine quadam sui: disiunguntur, quos regna & educatio disiunxit.

Sunt quibus imperat aurum. quales aulicorum plerique, qui plerumque tantum affectuum deferunt, quantum tu donorum: amicitias enim cùm pecuniâ metiantur, tantum amicitiarum, quantum tu pecuniarum, afferunt. ne fide. fide incorruptis, & quorum manus munera ignorant, non vxoriæ, non domesticæ, non donorum diuites sponsiones, non præsentium fulgor, non futurorum spes flectit, aut à recto bonoque deducit.

Sunt inter hos omnes, qui plurimùm apud Principem possunt. amicos hos para. per te non potes? per domesticos & familiares illorum para. etiam eme in caussa bona. ita tamen te illis adiunge, vt non offendas æmulos. vtrosque potiùs cole: clàm hosce, illos apertè, si vtrosque apertè sine alterius partis offensione non potes. Nec difficile aliquos sibi domesticorum parare. per hos aditus ad dominos patebit: à quibus plus plerumque, quàm ab ipso Principe sperare potes; maximè, cùm de illo agimus qui regni gubernationem in suos coniicit, cùm per horum ferè manus regia beneficia veniant. Quo maiori studio, quisquis sapit, cauebit ne quem domesticorum Principis offendat. nam licet prodesse non omnes possint, obesse tamen possunt, & solis criminationibus plus euertere, quàm reliquorum omnium studia promouere. Cauebit etiam, ne in dignitatum ambitu cum longè potentioribus in certamen descendat. ferè enim inferiores potentiorum inimicitiis impares sunt, vt plus meritò damni à potentiorum hostilitate metuere, quàm à dignitatibus emolumenti sperare debeamus.

Omnes beneuolentiâ vincat, etiam aulæ infimos. Cùm verò amicos sibi parauerit magnos, non negligat inferiores, etiam aulæ vilissimos: è quibus quosdam beneuolentia, alios comitate, hos humana ac vltronea compellatione, vultus serenitate, illos officio ac muneribus paret. Ac licèt aulica illa complacentia ferè in adulationem degeneret;

ret; vitari tamen vitium poteſt. & non omnibus omnia factus Apoſtolus? Aliorum ergo ſe ingeniis attemperabit aulæ ſectator, tantùm ne improborum. ita Alcibiades Athenis Oratoris ac Philoſophi perſonam induit, ſeuerioris viri apud Lacedæmonas, bellicoſi apud Thraces, otio dediti apud Ionios, faſtuoſi apud Perſas. Imitabitur aulicus, inter lætos hilaris, grauis inter maturos, inter doctos eruditus, inter indoctos eruditionem teget, inter mœrentes gaudia. læta tamen triſtibus miſceri, ſi mœror permittat, probem; magis etiam, ſi pellendo dolori oportuna.

Fugiet verò omni ſtudio improborum conſuetudinem, eorum maximèque quos in pocula & libidinem effuſos viderit, quos in aleam prodigos, in iracundiam celeres, in vindictam præcipites, in contentionem & ferrum faciles, in detractionem pronos deprehenderit; ne iiſdem inuoluatur malis, & diſcat, quod ſerâ poſtmodùm pœnitudine ignoraſſe vellet. vitiorum enim familiaritas, periculorum familiaritatem adducit; & pares delictis ſocios arbitramur: nec eripere ſe facilè crimine & periculo poteſt delinquentium ſocius. & neſcio quis damnandus pudor in delicto pedem referre vetet. & improba aulæ regula eſt, generoſi animi eſſe non deſtituere in quocunque conatu ſocium, & occumbere etiam in mala cauſſa glorioſum. quod in contentionibus & ferro innocentiſſimis non rarò vſu venire ſolet, vt ſanguinis & mortis ſocij ſint, qui delicti non fuerunt. Retrahet ergo pedem, dum licet, vir prudēs, ne, dum velit, non poſſit; & tuta eliget, nec vltrò & gratuitò ſe malis induet, nec tam caro amicitias emet, nec fortunas ſuas, honorem, vitam, alterius temeritati aut libidini committet.

Improborũ conſuetudinem fugiet.

Neque aulæ tamen omnes tales: ſunt minùs improbæ, ſunt probæ. perraras has eſſe ſcio. ſed & Orientis alitem eſſe memini, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, & eo magis portentoſum, quia vnum. Eadem de aulis cogita. Phœnicem fòrs reperias, dabit Belgium in ALBERTO &

& ISABELLA. Fortunatum regnum, beata aula, in qua casti Principes casta ducunt agmina, quæq; plus de Religione redoleat, quàm de aula (vidimus Belgæ:) & in qua Principum vita moresq; in omnem virtutem viam sternunt (factum à magnis ALBERTO & ISABELLA.) Incredibile enim est quid Principis exemplum, in vtramque vitam efformandam possit. ferè enim ex illius moribus finguntur reliquorum. Vt, si Principem dederis virtutibus quaqua parte instructum ac munitum, nihil opus præceptis sit: vltrò ac cæco quodam impetu sequentur, vt filij patrem, referentque mores illius. Probi huius sunt? probos dabunt. improbi? improbos. tantum in vtramque partem momentum Principis mores habent, vt corporis etiam bona malaque domestici imitentur, tanquam si vnius matricis arboris decidua semina cogites, quæ sub illius vmbra latè sparsa arbusta protrudant noua. Et potentiora longè sunt in imitationem facta dictis. & elinguis illorum locutio plus potest in cohortationem.

Principum ferè mores imitantur aulici.

Quòd si sua virtuti præmia steterint, suæ vitiis pœnæ; ad virtutem decurrent omnes. Vt dictum verè sit: *Quis enim virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas?* Addo: Quis non amplectatur, præmia si dones? Ingens incitamentum præmia & pœnæ sunt. neque quisquam facilè tam fatuè malus est, vt, si probitati iungantur præmia, non incumbat illi; si verò improbitati socientur pœnę, non fugiat illam: vt, si non impellat amor, repellat timor; si non inuitent præmia, deterreant damna. ac licèt natura illum ad vitia non ducat, sed rapiat; frænum tamen impotenti huic dominæ iniiciet, & magnis illius conatibus, maioribus occurret. Quòd si dominatum illius excutere nec seriò velit, nec possit; continebit tamẽ vitia, ne erumpant, & tanquam compedibus stringet, & domestico includet carceri. aut, si domi improbus esse pergat, palàm probitatem amplectetur, fietq; paullatim vt probitatis simulatione aliquid illius imbibat, & publica virtutis assuetudo ad priuatos mores transeat: aut sanè metu do-

Magnum calcar ad virtutem præmia sunt.

domesticæ retegendæ improbitatis, intra priuatos etiam parietes se contineat, & bonus esse assuescat, cùm malus esse desierit.

Quòd si improbis moribus Principem nactus fuerit, probitatē tamen colat eo seueriùs, quo Principem plùs in omnia effusum vitia senserit: nam & improbitati probitas admirationi est: & quo remotior ab hac est, eo plus miratur. admiratio verò laudem prouocat, vt amare incipiat, quo carere se videt. Et ferè ita comparatum est, vt, cùm minùs fidas scelerum socio (vereri enim meritò potes, ne crimen in te vertat, quod consueuit in alios) plus certiusque viris probis virtutumq; cultoribus tribuas. facilis enim in probitatem fiducia est, & credere audemus, certi de fide. quæ fiducia eo maior est, quo maior probitas est: quæ dolos fraudesq; cùm ignoret, non facilè diffidentiam in Principe prouocat. Ac licèt improbus Princeps ad internam morum familiaritatē non admittat virtutum studiosos, quòd testes tales delictorum suorum refugiat; arduis tamen ferè, & à quibus regnorum incolumitas pendet, optimos committit, certus de fide & virtute: sceleribus verò eos adhibet, quorum oculos non erubescit. criminum paritas audaciam prouocat, nec veretur oculos pari scelere saucios, pari natantes. Quare si incorruptum, & iustitiæ amantem quemquā suorum Princeps deprehenderit, iuri dicendo præficit; si fortem, militiæ; si doctum, cathedræ aut togæ; si castum, vxoriæ aulæ; si sobrium, epulis & poculis; si parcum & vigilem, ærario; si industrium, vectigalibus; si prudentem, gubernaculis; si solertem, legationibus; si secretorum tenacem, consiliis; si pium, sacris; si constantem & intrepidum, periculis adeundis & repellendis; si candidi pectoris & oris, & concreditorū fidum custodem, epistolis & calamis; si generosi virum animi, arduis quibusque subitò irruentibus. in quacunq; demum arte aut scientia magnum clarumque repererit, iisdem præficiet, non tam dissimilium amore, quàm vt regno rebusque

Probitati studendum etiam sub improbo Principe.

Probitatē in suis Principes amant.

Probißimos quosq; etiam improbi Principes publicis muniis præficiunt.

suis consulat. quanquam inest quædam vt admiratio, ita & amor, & desiderium virtutum quibus caremus & destituimur; vt, licèt in nobis non amemus, in aliis tamē probemus. Quin adeò consule vitiis vndiq; obsessum; quære, quid seposito affectu, ratione consultrice, concedi sibi à Deo optaret, vitia an virtutes: has amplectetur. ita etiam impurus continentes laudat, superbus humiles, intemperans sobrios, mites iracundus, veraces mendax, fortes imbellis, indoctus doctos. ac quamuis æmulatione quadam & inuidiâ non rarò extimulentur; hæc tamē magis inter pares exsurgit, quàm inter dissimilium morum & studiorum.

CAPVT XII.

Quid faciendum iis, qui adlecti sunt in Principum familiaritatem?

Eccli. 13. MEMOR ante omnia Sapientis, *ditiori te ne socius fueris. quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur.* Nil promptius, quàm figlinas ollas, ferreis si illidantur, comminui. Quo magis inuigilandum iis est, qui necessitudine aliquâ ferreis Principum ollis affigulati sunt, ne è vicinitate & contubernio in illas incurrant. Quod ne fiat, documenta hæc in cautelam præscribo.

Non præseferant, se multum gratiâ apud Principem valere. Nunquam præseferant multum se gratiâ & auctoritate apud Reges valere. nimis magnæ inuidiæ ostentatio hæc patet. Et sanè nemo prudens nouę æmulationi, cùm vitare possit, materiam vltro præbebit. quinimò extenuabit gratiam, potentiam deprimet, opes teget. adiacent nimirum his odia, & crescentibus illis, crescunt, in domini caput ruitura.

A regio ornatu abstineãt. A regio vestium cultu cauebunt. Infra Reges sit, qui Regibus paret. Sanè vbi vestis Regem loquitur, animo circumferre Regem arbitramur. ab animo nimirùm vestis, quæ si regia, regiam esse mentem necessum est. & non index animi vestis?

vestis? totum pectus vestes pandunt, nec alia maior odiorum in plebe materia.

Nec augustior mensa Regem testetur. nolo sordidam; sed neque cum regia de splendore certare velim. mediocritas hîc semper laudata. nemo prudens profundit in mensa, inter æmulos promulganda. & crescunt ferè non iam inter manus epulæ, sed inter inuidentium ora. obfutura sapiens vitabit, nec gratuitò inuidiam magno emet. veniet inempta. *A regio apparatu in mensa abstineant.*

Si quid factum laude dignum, nihil prudentiæ aut ingenio suo ascribet: in Regem laudem omnem transferat. contentus ipse fecisse sit, tota dignatio in Regem eat. si quid verò aduersi euenerit, infelicitati suæ tribuat. Nunquam damnasse Regem tutum fuit; laudasse, semper, etiam in non laudandis. Inuidiam proinde in se potiùs transferat, quàm in Regem: neque hanc vnquam excutiat à se, vt Regem oneret. *Omnem laudem in Regem transferãt.*

Regis in primis regniq́ue commodis studeat, profundatq́ue adeò sua, vt publica tueatur. Crescent illa, his crescentibus, & sine inuidia incrementa sument, ac vltrò etiam se ingerent; dignissimumq́; opibus putabunt, quem profundere suas viderint publico bono. Vt ille dignissimus regio contubernio ac familiaritate sit, in quo nullus in Regem amor propriis implexus commodis est. vt verum sit illud Gregorij: *Nullus fidelior tibi ad consulendum esse potest, quàm qui non tua, sed te diligit;* te, non fortunam tuam, non opes, honores, potentiam. Discrimen inter duos regios ministros non indignum relatu refert Stapletonus. *Morus à prima ætate vsque ad annum vitæ quinquagesimum in Republica versatus, in tota vita sua non auxit censum vltra sexaginta aureos annuos, aut paullò amplius.* subdit: *Et viuit iam in Anglia, qui talibus officiis, infra quinque annorum spatium, censum ad sexaginta millia aureorum acquisiuit.* Morus omne studium suum augendis regni regiisq́ue opibus, honoribus, commodis sedulus impendit; alter exhauriendis regni & regiis opibus, suis augendis. *Regiis cõmodis studeant.*

Seriò caueat, ne quam Regi timoris materiam præbeat.

Nullam Regi timẽdi materiã dent.

ferè enim in ferrum regius transuolat timor, ac non nisi sanguine finitur. Et quis amet metum? aut quis se hoc non liberet, si possit? & quid facilius Regi, quàm priuati sanguine metum discutere? laudabit etiam populus ferrum, quo se in libertatẽ Rex vindicauit, & per vnius latus excussit timorem. Nunquã tutò sceptra timẽt, nec sicca morte finiunt metum.

Caueant à clientum turba.

Nunquam magna clientum turba claudi sibi in publico latus permittet. incomitatus potiùs ibit, nec seruorum educet exercitum. sat magnam inuidentiam etiam in summa moderatione experietur. Quid? quòd illi ipsi qui longo agmine latus cingunt, & obsequia mentiuntur, primi odia foueant, primi spargant. & dum gratiam inuidi venantur, nocitura iaculantur. decrescere infra genua vides, animus odio natat. & quem ore, oculis, manibus, pedibus venerantur, totis animis auersantur, & ferrũ pro cultu apprecantur.

Ostentationem vitent.

Fugiat verò cuiuscunque magnitudinis ostentationem, ne quacunq; etiam in re æquari videatur velle Principi suo; cùm omnis magnitudo æqualitatis impatiens, nec superiorem ferat, nec parem, zeloq; quodam impotenti in magnitudinem sui feratur. & licèt ingenti in hos suos Reges amore rapiantur, maior tamen semper amor sui quàm alterius est. Seponit proinde amorẽ alterius, vt consulat suo. &, si aliter non potest, ferro secabit amorẽ. Impellunt dein æmuli, (qui nunquam deesse ad magna properantibus aut prouectis solent) Principem, ex æmulæ magnitudinis metu, in secures & venena, ne vnius magnitudo viam reliquis præcludat, aut Regis minuat; quam cùm lubentes ferant omnes, tanquam à Deo imperatam, tum ascititiam ac adoptiuam non ferunt. cogitant quales antè viderint, quales nunc pati cogantur. nec ferunt supra se tolli, quos natura pariauit, aut infrà etiam posuit, solusque regius fauor supra reliquos extulit.

Insolentiã fugiant.

Ab omni deinde insolentia remotissimus sit, quisquis perpetuare exoptat. Zelotypiâ plurimùm Reges laborant. non ferunt æmulum sceptra; &, cùm timoribus ferè natent,

cunt

eunt à ſuſpicionibus & metu in ſanguinem. Intactam proinde regiam auctoritatem tranſeat. tetigiſſe hanc, periculi ſemper plenum fuit. nemo inambuſtus tetigit. ignis eſt. ne fide ignibus, etiam de longinquo amburũt. Fugiat ergo omnem vanam oſtentationem, iactantiam omnem. quo modeſtior ſubmiſſiorq; quiſque fuit, fuit tutior. ſecuritas à modeſtia, periculum ſemper ab inſolenti faſtu fuit. De Hephæſtione Alexandri Magni Curtius: *Secretorum omnium arbiter, libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat; quod tamen ita vſurpabat, vt magis à Rege permiſſum, quàm vendicatum ab eo videretur*. imitare modeſtiam.

Nunquam proinde ſe ſupra reliquos efferat, memor prioris fortunæ ſuæ, veterumque amicorum. Imitetur figulo natum patre Agathoclem. aurea hic & figlina pocula iuxtim ponere ſolitus, vt præteritorum memoriâ præſentium fortunam temperaret. Quid? quòd ferè maiora quiſque vouere ſoleat illi, quem in magnis modeſtum ſenſerit. tantum modeſtiá comitaſq; conciliandis animis valet. etiam hoſtes in admirationem ſui rapit, & odia ponere cogit, & imperia ferre ab aratro nata, ſi aratrum ſuum redoleant, prioris nimirùm fortunæ memoriam, ac moderationem. *Submiſſionem ſectētur.*

Primas autem partes vltrò aliis offerat. Nulli dignitatem ſuam adimit comitas, nulli decus ſuum humanitas. quin adeò, addidit ſemper aliquid honoris ſpontanea honorum oblatio. ſed & inuidiam modeſtia minuit, & odia comitas extinguit: nec prærogatiua grauis eſt, ſi ſociata benignitati fuerit. Arrogantiam aſpernamur in omnibus, etiam in Regibus: comitatẽ amamus, & ferimus etiam ab inferiore huius manu doceri, moneri. Nullum verò ſalutatus inſalutatum tranſeat; præueniat etiam plurimùm. Incredibile quantum hæc comitas vitiorum tegat, quantum odiorum ponat, quantos laudatores inueniat. *Primas partes aliis deferant.*

Faciles etiam aditus accedentibus præbeat, ex infima licèt plebe ſint: quorum ferè vt liberiores voces ſunt, ita plus *Faciles aditus aliis præbeant.*

Nullam Regi timēdi materiā dent. ferè enim in ferrum regius transuolat timor, ac non nisi sanguine finitur. Et quis amet metum? aut quis se hoc non liberet, si possit? & quid facilius Regi, quàm priuati sanguine metum discutere? laudabit etiam populus ferrum, quo se in libertatē Rex vindicauit, & per vnius latus excussit timorem. Nunquā tutò sceptra timēt, nec sicca morte finiunt metum.

Caueant à clientum turba. Nunquam magna clientum turba claudi sibi in publico latus permittet. incomitatus potiùs ibit, nec seruorum educet exercitum. sat magnam inuidentiam etiam in summa moderatione experietur. Quid? quòd illi ipsi qui longo agmine latus cingunt, & obsequia mentiuntur, primi odia foueant, primi spargant. & dum gratiam inuidi venantur, nocitura iaculantur. decrescere infra genua vides, animus odio natat. & quem ore, oculis, manibus, pedibus venerantur, totis animis auersantur, & ferrū pro cultu apprecantur.

Ostentationem vitent. Fugiat verò cuiuscunque magnitudinis ostentationem, ne quacunq; etiam in re æquari videatur velle Principi suo; cùm omnis magnitudo æqualitatis impatiens, nec superiorem ferat, nec parem, zeloq; quodam impotenti in magnitudinem sui feratur. & licèt ingenti in hos suos Reges amore rapiantur, maior tamen semper amor sui quàm alterius est. Seponit proinde amorē alterius, vt consulat suo. &, si aliter non potest, ferro secabit amorē. Impellunt dein æmuli, (qui nunquam deesse ad magna properantibus aut prouectis solent) Principem, ex æmulæ magnitudinis metu, in secures & venena, ne vnius magnitudo viam reliquis præcludat, aut Regis minuat; quam cùm lubentes ferant omnes, tanquam à Deo imperatam, tum ascititiam ac adoptiuam non ferunt. cogitant quales antè viderint, quales nunc pati cogantur. nec ferunt supra se tolli, quos natura pariauit, aut infra etiam posuit, solusque regius fauor supra reliquos extulit.

Insolentiā fugiant. Ab omni deinde insolentia remotissimus sit, quisquis perpetuare exoptat. Zelotypiâ plurimùm Reges laborant. non ferunt æmulum sceptra; &, cùm timoribus ferè natent,

eunt

eunt à ſuſpicionibus & metu in ſanguinem. Intactam proinde regiam auctoritatem tranſeat. tetigiſſe hanc, periculi ſemper plenum fuit. nemo inambuſtus tetigit. ignis eſt. ne fide ignibus, etiam de longinquo amburũt. Fugiat ergo omnem vanam oſtentationem, iactantiam omnem. quo modeſtior ſubmiſſiorq; quiſque fuit, fuit tutior. ſecuritas à modeſtia, periculum ſemper ab inſolenti faſtu fuit. De Hephæſtione Alexandri Magni Curtius: *Secretorum omnium arbiter, libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat; quod tamen ita vſurpabat, vt magis à Rege permiſſum, quàm vendicatum ab eo videretur*. imitare modeſtiam.

Nunquam proinde ſe ſupra reliquos efferat, memor prioris fortunæ ſuæ, veterumq́ue amicorum. Imitetur figulo natum patre Agathoclem. aurea hic & figlina pocula iuxtim ponere ſolitus, vt præteritorum memoriâ præſentium fortunam temperaret. Quid? quòd ferè maiora quiſque vouere ſoleat illi, quem in magnis modeſtum ſenſerit. tantum modeſtiá comitaſq; conciliandis animis valet. etiam hoſtes in admirationem ſui rapit, & odia ponere cogit, & imperia ferre ab aratro nata, ſi aratrum ſuum redoleant, prioris nimirùm fortunæ memoriam, ac moderationem. *Submiſſionem ſectetur.*

Primas autem partes vltrò aliis offerat. Nulli dignitatem ſuam adimit comitas, nulli decus ſuum humanitas. quin adeò, addidit ſemper aliquid honoris ſpontanea honorum oblatio. ſed & inuidiam modeſtia minuit, & odia comitas extinguit: nec prærogatiua grauis eſt, ſi ſociata benignitati fuerit. Arrogantiam aſpernamur in omnibus, etiam in Regibus: comitatẽ amamus, & ferimus etiam ab inferiore huius manu doceri, moneri. Nullum verò ſalutatus inſalutatum tranſeat; præueniat etiam plurimùm. Incredibile quantum hæc comitas vitiorum tegat, quantum odiorum ponat, quantos laudatores inueniat. *Primas partes aliis deferant.*

Faciles etiam aditus accedentibus præbeat, ex infima licèt plebe ſint: quorum ferè vt liberiores voces ſunt, ita plus *Faciles aditus aliis præbeant.*

aut nociturae, aut profuturae. soletur moerentes, erigat iacentes, placet indignantes, medicamque vbique malis manum admoueat. nunquam haec auctori suo mala pepererunt, pepererunt profutura & bona. Nec interim alat spe longâ, trahatque in annos. disertè potiùs rem omnem, spemq; omnem aperiat; sed ea benignorum verborum comitate, vt ab amico pectore nata videantur. inter beneficia ponent negata, si negata citò. inanis spei lactatio, in odia vertitur.

Caueant nequid aduersi in commissa sibi gubernatione eueniat.

Quòd si Principis sui beneuolentiâ, ad prouinciarum aut locorum gubernacula prouecti fuerint, caueant studiosè, ne quid aduersi eueniat. siue enim culpâ aliquâ, siue nullâ suâ, inter tot aemulantium de potentia linguas, accusationem nunquam effugient, damnationem perrarò. & vt non omni Principis gratiâ excidant, sentient luxatam. cùm ex euentu ferè res non vulgò tantùm, sed & Principes metiantur. vt etiam, si è temerario & fatuo consilio & ausu, res fortuitò feliciter successerit, prudentiam admiremur, laudemus: sin prudenti consilio, & fortibus ausis euentus non responderit; rem totam damnemus, non tam infelicis euentus caussam, quàm infortunatum successum considerantes, qui ex iis euenire plurimùm solet, quae nec humanâ auerti, nec praeueniri prudentiâ aut arte possunt. Quo magis omni conatu incumbendum, ne displicitura Principi eueniant, cuius ferè vt ob fortunatissimas res leuis gratia, ita ob infelices grauis indignatio est: neque vllae magis voluntates, in vtramque partem, quàm Principum, mobiles, vt quae è summis fauoribus, ad summa odia, inde in ferrum transeant.

Liberalitatem ament.

Liberalitatem ante omnia colat, quae vna potenter inuidiam perimit, amorem prouocat. Nescit indignari beneficio obstrictus, aut sanè non audet: &, vt animus adsit indignabundus, pudor retrahit, & vel hoc solo nomine ne ingratus audiat, premit nocitura. Valida sanè spongia munificentia est; quâ solâ, quidquid propè damnandorum, aut deletur aut integitur. & nescio quo modo etiam hostem amemus muni-

munificum. Cùm verò liberalitatem in omnes, tum in plebeios probem, qui & tueri audent, & palàm laudare etiam damnanda. audacissimus quisque egentissimus est. nullus hunc pudor retrahit. accepta beneficia cogitat, non cogitat reliqua; tantumq; virtutis habere arbitratur, quantũ beneficiorum contulerit. Virtutũ nimirùm apud hos mensura beneficia sunt, vt ille optimus illis sit qui beneficentissimus est.

Meminerit in secundo fortunæ suæ cursu amicos parare, in aduersis præsidium. prudentissimus sanè quisque in copia seponit, quo egestatem tueatur. futura sapiens prospicit: solis præsentibus temerarius insistit. laudatus à Domino villicus iniquitatis. imitetur quisquis omni sæculo fortunæ in magnis ludibria intuetur. Nec difficile amicos magnâ fortunâ parare, cùm ferè amicitiam beneficiis metiamur; benefacere autem in illa fortuna facillimum sit. certè si veri amici non fuerint (quales esse non possunt qui suis cõmodis amorem metiuntur) hostes non erunt. non laudabũt? non damnabunt. non propugnabunt? non depriment. nam vel sola eos verecundia continebit, &, si amica non reddent, inimica non inferent. non dabunt oscula? sed nec venena propinabunt. non erigent labentes? sed nec altiùs depriment pudore reluctante. *Amicos parent.*

Metum denique nunquam deponant. Securè vixit, qui timuit: securitatis enim magister timor est; periculorum, nimia fiducia sui. nam vt rarissimus in plano, frequens per præcipitia lapsus: ita timidè per abrupta gradienti securitas adiacet, temere procurrentibus pericula. Meminerit verò illud Scripturæ: *Rex Assuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag; & posuit solium eius super omnes Principes quos habebat. cunctique serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebãt genua, & adorabãt Aman.* nec multò, *suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo,* & *decem filij Aman suspensi sunt.* Eadem reperies sub primis Imperatoribus, Regibus, Principibus. & nescio an vlla funesto hoc nostro fæcundiora *Nunquam metum deponant.* Esther 3. Esther 7. Esther 9.

malo-

malorum sęcula fuerint. nullum propè Europâ totâ regnum sine priuatorum horum sanguine. O nimis fertilis sanguinũ ætas, quàm ludis in purpura bis tinctam, cocco & sanguine, nec saturari tamẽ, nec expleri sitim, sed nouo semper auctu crescere quis credat? imò quis non post Germaniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Angliam, Belgium, retrò ferat pedem? O reprime audaces gressus quisquis coniunctior Principibus es. time quisquis quacunque caussa adlectus, ne oriare posteritati in exemplum, tuis in mœrorem, inimicis in gaudium. alieno cautior sanguine fige pedem. ne fide purpuræ bis tingendæ. quid vltrò ruis in secures? exempla te terreant Lysimachi regis in Telesphoro Rhodio, quem ex amico, truncatis auribus, naribus, in cauea, bestiarum more pauit; Claudij in Narcisso, Commodi in Perennio, Seueri in Plautiano, Constantini in Ablauio, Frederici II. in Vinea, Ioannis II. Aragonum in Aluaro de Luna, Petri Aragonum in Cabrera, Philippi in Broca, Henrici VIII. in Thoma. Taceo Craterum, Stiliconem, Flauium, Eutropium, Belisarium, Petrum Laudois, Gauerstonum, Essexiæ Comitem, aliosq; innumeros. & ô nimis orbi notus Tiberij Seianus!

—— Sed quo occidit crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probauit?
Nil horum. verbosa & grandis epistola venit
A Capreis. bene habet. nil amplius interrogo.

Adsentior Poëtæ. & quis damnet Reges, aut post Seianum fidat? ô aulas sphæristeria! & ô quotquot in illis regiæ pilæ! Scribebam hæc, cùm venit in manus Seianus alter: nec totus venit, qui nusquam erat. venerunt tamen hæc fragmenta ab æmulo primorum orbe calamo. & nescio an quidquam debeat veteri Satyrico. sanè nec Romani sermonis elegantiâ vincitur, nec acutè, prudenter, fortiter dictis. ô quis inuidit totum? nunc de frustati corporis frusta lego & trado.

Eheu rerum vices!
Gallicum Seianum

Regno

Regno propinquum, Regi proximum,
Pœnitens aut fatigata
Fortuna destituit.

Et ego destituor sequentibus. ô quis inuidit mihi & orbi corporis medium? Sequitur:

Tracto, discerpto, nullibi, aut vbique sepulto.
Eheu quàm dissimili
Exitu clauditur aulicorum fabula!
O rerum vices! ô fata!

Quid potuit doctius? & hîc iterum lacuna. accusat dein fortunam si quid coniicio:

Crudelior in morte, quàm liberalis in vita,
Auro quem operuerat,
Humo negauit contegere.
Nec membra, viator,
Fas insepulta spectare.
Trucidati vasta macellum ciuitas facta est.
Cruorem reperies,
Ossa si quæris.

Iterum inuidit chartæ meæ fortuna. defrustata hîc aliqua. nisi pœnituisse illam credam etiam horum. Quò ruis doctæ posteritatis æmula, quæ nobilitare hanc chartam noluisti tam docto calamo? quid dicam? ô, veriùs, nimis ingeniosa! quæcunque enim dedit fortuna, imitari corpus voluit Seiani noui; miseriq; adeò corporis, & ô infelicis! vestigia sequi. ô docta nimis vmbra, & infortunati corporis felix vmbra! qua vna post laniatus & cineres, coalescere in fortunatum corpus potest, & viuere, meliore magni huius calami vitâ, quàm suâ. suâ infortunata, hac felix. ô multa ab hac manu, nulli veterum cessura! Redeo ad Tiberium. *E viginti, quos sibi supra veteres amicos ac familiares depoposcerat, velut consiliarios in negotiis publicis, vix duos aut tres incolumes præstitit. ceteros, alium alia de caussa perculit, interquos Ælium Seianũ, quem ad summam potentiam prouexerat, collegámque sibi in consulatu assumpse-*

rat, ſpeque affinitatis & tribunitiæ poteſtatis deceptum, aſtu & dolo ſubuertit. Seiani dein notos & familiares perſecutus. Hæc Suetonius. De Cleandro verò Commodi Herodianus: *Iuſſu Commodi occiditur, & quotquot illius amici erant, ad vnum omnes contrucidati, tractaque per vrbem cadauera, & in cloacas abiecta. Hic finis Cleandri fatorum fuit: quaſi in vno illo velut ambitioſius oſtentaret natura (vt ſic dixerim) humana, poſſe ex infimo loco ad ſupremum faſtigium euehi hominem, atque euectum dein rurſum deturbari, quamlibet exiguo atque inſperato fortunæ momento.* De Magno Alexandro Curtius ſub nomine Hermolai: *Attalus, Philotas, Parmenio, Lynceſtes, Clitus, quantum ad hoſtes pertinet, viuunt: ſtant in acie, te clypeis ſuis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria vulnera excipiunt. alius menſam tuam ſanguine ſuo aſperſit. alius ne ſimplici quidem morte defunctus. Parmenio indicta cauſſa trucidatus eſt, per quem Attalum occideras.* Caliſthenem verò *optimis moribus artibuſq; virum, à quo reuocatus ad vitam erat, non tantùm occidit, ſed etiam torſit. quam crudelitatem ſera pœnitentia conſecuta eſt.* Parmenio dum *traditas à Polydamante regias litteras cœpit legere, lætaturque de aduentu amici, vti imperatum erat,* à Cleandro occiditur, *cæteri exanimẽ quoque confodiũt.* O quid fidis regnis, & ô nimis longam regiam manum, nimis propinquam! pro accuſatore, teſte, iudice, ferro & flamma eſt. ô fuge hos ignes, fulmina, de longinquo nocitura. quid facient de vicino? ô nimis fugitiuam, ſimilem nubibus! inter binas roſas mille ſpinas, bina inter oſcula mille ſicas, pro tenui mellis fauo plena fellis dolia, pro viola vna vrticas mille, pro rore ſaxa pluunt. pro modico vino prodiga propinant toxica. ne fide, vt prudenter Sidonius Hecdicio viro magno: *Si quid noſtratium precatibus acquieſcis, actutum in patriam receptui canere feſtina, & aſſiduitatem tuam pericuſoſa Regum familiaritati celer exime: quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ bene comparat; quæ ſicut paullulùm à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi comburunt.*

Sed vnus aut alter inter carorum amplexus depoſuit animam.

mam. plures in inimico, aut carnificis ferro. Quid circumspicis paucos? plures time. ex illis esse potes? magis è pluribus. quid tam dubiæ rati salutem credis? tutiora prudens elige. Sed magna speras. æterna cogita, & illi famulare, à cuius dextera nullum ferrum, nullæ Anglicanæ secures; nulli Gallici sclopi, crux & ignes; nulla Germanica vincula; nulli Iberici cultri, nulla exilia; nulla Hungarica venena; nullus carnifex Batauus; nulla Italica theatra sanguine purpurata. Et quid post hæc speras? è viginti vix vnus, omni sæculo, omni regno, integrum corpus monumento intulit. audeo, è triginta vix vnus liberam viâ suâ animam emisit. Quid ergo tot funestis diues omnium ætatum exemplis, fatuâ spe luderis? ô inanes cogitationes nostræ! effugia speramus inimico vndique ferro, & magnis cadaueribus cincti, & nudo iugulo nouaculam excutere paramus; bis infelices, temeritate in præsenti, exemplo in posteros.

CAPVT XIII.

An simulatione aliquando vtendum?

Simulatione non raro opus; vt nec videre te, nec audire, quæ vides, quæque audis, sentiant. Factum à Senatoribus Romanis, ne profundas Tiberij simulationes, fraudes, insidias, scire viderentur, damno suo, emolumento nullo alieno, néue exasperarent commotos Imperatoris animos, & occasionem darent ad deteriora flectendi. Factum à Germanico, æmulatione metuq; à Tiberio reuocato, crescere volebat, & in spem regni venire, quem fortia bello facta, clariq; in manu triumphi, dignissimum sceptro pronunciabant. ergo reuocare placuit tanquam in honorem. venit Germanicus, caussam simulauit. Factum etiam à Demetrio Philippi Regis filio; parêre maluit, quàm paternas simulationes augere, aut retegere. Illud verò dignissimum Liuiæ ingenio, *Simulatio nonnunquam adhibenda.*

cùm rogata, quibus modis Augusti animos parasset, *Nec curiosiùs*, ait, *mariti consilia resque perquirendo, cognitasque dissimulando*. Ab eadem prudentia vetus illud: *Principum secreta ne curiosiùs scrutare: si scias, nescire finge*. Fuit illud simulationis genus nobile, quo M. Claudius Marcellus nobilem Nolanum Bantium seditionem parantem, re simulatâ, laude retraxit, & fidum sibi populoque Rom. fecit. Nec illud minùs laudatum; cùm Datames Persarum Dux fugam parantes equites, simulatâ fugâ, animat, laudatque, solaq; verecundiâ in hostem ducit, fortiterq; pugnare docet, & vincere. Nunquam verò magis simulatione opus, quàm cùm apud illos agis, in quorum manibus vita salusq; tua est; vt etiam iniuriam accepisse iniuriam esse neges, contumeliam non agnoscas, ignores dolos tanquam insidiarum nescius: nisi quòd clàm mederi his malis prudentis sit. hoc qui potest, magna sperare à Principibus potest. qui cùm nec redargui à subditis, nec doceri velint, nec fraudes suas retegi, lubentes benefaciunt, si quos senserint magnâ hac moderatione tulisse, quòd obstrictos se talibus videant: ac licèt palàm non agnoscant, beneficiis tamen medentur, quæ Principibus semper ad manum sunt.

Simulatio prudentia facienda. Magna tamen in omni hoc genere opus prudentia. neque enim semper simulatio probanda. Peccauit in hoc genere Vitellius, qui insigni ignauia Vespasianças copias viresque dissimulauit, nec antè aperuit, quàm oppressus ab iis iacuit. Sed neque semper crimina dissimulanda, ne audere deteriora discant, cùm impunita transiri scelera viderint. quare non semper eundum in sanguinem, nec ignoscendum semper. Si peccatum vniuersim à populo, & dissimulari potest, dissimulatione prætereundum delictum. si transiri non potest, in paucissimos eat pœna, terror in plures, nec tamen vltra metum quidquam in omnes.

Mendacium omne fugiendum. Cùm verò dissimulare virum prudentem putem aliquando posse, aliquando debere, cùm aut priuatum, aut publicum

cum bonum simulationem deposcit; tum mentiri nunquam puto debere, nunquam posse. Et sanè mendacium omne libero ac ingenuo indignum Romani putabant, seruileque vitium esse, nec cadere in generosum pectus posse, non debere: quod antè vitam proiiciet, quàm illam mendacio commaculet. O quis mihi Deus largiatur omnes tales! quàm vereor, ne de raritate sua audiant. procul, & de vltimis terrarum finibus pretium eorum. Illud verò quàm fatuum in hac mentiendi licentia, nolle videri mentiri cùm palàm mentiaris? mentiri volumus, dici nolumus. erubescimus audire, facere pro decoro est. in opere gloria, in audito probrum est. nam & gloriamur de subdolè, per mendacium, hoste, aut etiam eiusdem contubernij socio, circumuento; & ridemus, quòd se passus sit circumueniri. & simplex deinde audit, qui mendacio lusus est: audire non vult mendax, qui dolo malo lusit. dicis? exsurgit in ensem, vt mendacium suum sanguine tuo lauet. Quid orbe stolidius toto? gloriari de mendacio, & laudari etiam velle de ęmulo per mendacium euerso; nolle tamen audire magnum hoc verbum *Mendacium*, nolle audire, *Mentiris*. Olim crimen apud Iudæos capite luendum erat, sancta Sanctorum ingressum fuisse: nunc, cùm laudi detur mendacij adyta, non per superficiem, sed totâ, vt dici solet, animâ ingressum; dixisse tamen perduellionis quoddam crimen est, solo ferro medicandum, solo sanguine. ô fatue! quid de mendacio complaces tibi, quod ferro vindicas? te damna, in te sæui, crimen tuum est. sceleratius enim factum, verbo est. vt adulterium & furtum grauius est, si expleueris, quàm si dixeris. atque hinc etiam meditata scelera, factis minora sunt. ac licet quædam puniantur sicca licet & adhuc innocua & virgine manu; grauiùs tamen puniuntur, cùm cruentæ manus animorum imperia expleuerunt. Et, quid commeritus est, qui vera dixit? qui album album, amarum amarum esse? vis dicat album nigrum, amarum dulce? & ferro vis sæuire, ni mentitus fuerit? vlla ne fatuitas vllo sæculo

Vita antè ponenda, quàm mēdacio maculanda.

maior? Idem dico de mendacio. vis dicam verum falsum, aut mentientem vera dixisse? quid dicas de illo, qui ense vindicandum putet, si cùm vera dixit, vera dixisse dicas? Eadem fatuitas illius, qui post mendacium, & sæpè quo gloriatur, verax audire vult: mendax non vult. vult nimirum te mentiri, ne mendaci socio destituatur. & tamen, si mentiris, contemnit te & damnat, nec se suaque mentienti credit. ita nec verum audire vult, nec falsum. verum ense vindicat, falsum diffidentiâ & probro. quid agas in hac sæculi nostri insolentia? simulatione hîc opus. taciturnitas pro clypeo sit. nam cùm locutũ esse pro ferro sit, siluisse pro propugnaculo erit.

Perpetua simulatio damnãda.

Quod de mendacio dixi, de simulatione dictum volo, cùm simulationis quoddam genus mendacium sit. reperies verò non paucos, qui cùm palàm mentiri nolunt, simulationibus tamen frequentibus vtuntur: vt nihil certi promittere tibi ab illorum candore possis, adeoq; nescias sentiant quod dicunt, an secùs. Virtutem hi palàm laudant, remotissimi ab illa. amorem loquuntur, odia intus non moritura fouent. spondent operam prodigè: ne fide; latet plerumque in diuite sponsione dolus. equum Troianum cogita, Deæ donum, sed vtero armatis grauidum. Ostentant dein se velle, quod nolunt; nolle, quod volunt; ambire, quod auersantur; auersari, quod ambiunt. damnant improbos, ipsi improbissimi: laudant probos, probitatis ignari: pietatem vultu præferunt, omnis impietatis serui. Videbis hos frequentes in templis, vt arbitreris vni Deo calidè supplices; at nunquam minùs in templis sunt, quàm cùm ibi sunt. ita alia omnia, quàm sacra cogitant. senties dein venerabundos, ore ridente, oculis ad hilaritatem compositis, ad genua etiam tua decrescentes, & infra illa; corda felle & mœrore plena sunt. Si quid illis aduersi occurrerit, infra feminas sunt; si prospera, supra homines videas. ita nihil ipsis, si deprimas, submissius; nihil, si sustuleris, elatius. omnium amicitias ambiunt deiecti, omniũ aspernantur erecti. Monstra narro. sed timenda, sed fugienda.

Simulantium mores.

da. probissimos omnino & oculatissimos in fraudem inducent. nulli verò fidos inuenies, cùm nec cuiquam fidant, ac vix ipsi sibi. perpetuis autem innatant timoribus, cùm omnium diffidentià laborent, omnium æmuli, inuidi. Nullus illis sanguis, vt fruantur optatis, non frater, soror, pater, mater; adeoq; omnis illis pater, mater hostis est, siquæ audacibus aut improbis votis impedimenta obiecerint. nec verebuntur cum Tullia per paternum corpus carpentum & refugos equos agere, si per illud ad imperium conscendant: nec cum Nerone ferro materna viscera secare, & verecunda vteri claustra securibus reserare, si per illa ad purpuram via sit. Quòd si per templa & sacra, & quidquid magnis abditum Ecclesiæ Sacramentis est, aditus ad magna pateat, sacratis perpetuò allisos limitibus videbis. Sin per sacrorũ contemptum via pateat, contererẽt etiam quidquid vndique sanctum pedibus, si per calcata sacra semita ad optata sit. omnis enim his religio, sacra, pietas, Deus, administri votorum illorum sunt. Fuge quisquis sapis horum consuetudinem. fallent, si admiseris. nec anni toti viginti noscendos dabunt. ne crede annis. nulli hæc pectora recludent seruata centum clauibus. quos cùm tenere te arbitraberis, elabentur; quoq; strinxeris magis, elabentur magis; & dum longo contubernio amicos parasse arbitraberis, senties hostes; dum vicisse beneficiis credes, falleris. nulli vincuntur. amicas pro benefactis voces reddent: facta non reddent amica. deuita. Hyænas experieris, si propiùs accesseris. venenaq; iaculabũtur, vt primùm commoditatem nacti fuerint. ne fide mentitæ huic beneuolentiæ, non verbis pietatem probitatemque spirantibus. Et memento veteris dicti: *Bonitatis verba imitari maior malitia est.* & illius: *Malus vbi se bonum simulat, tunc est pessimus.* Nec certiùs virus suum, quàm in incautos, mittunt hi scorpij, quibus vnicum studium de cauda nocere, & de postumo corporis improuidos verberare. caue. quà vulnus figunt, virus ostendunt. In remediis plurima. mihi diffidentia præsidium.

Simulata pietas improba & crudelis.

Simulatoribus non fidendum.

fidium. vicit qui diffidit: qui nec se, nec sua credidit. qui soli Deo & virtuti innixus humanos ridet conatus, præmiumq; ab vna probitate expectat: nec dignitates alias, quàm à virtutis manu. veniunt ab hac? amplexabitur. non veniunt ab illa? repellet. eodemque vultu secunda aduersaque excipiet, eodem serenam fortunam nubilamque: & post tempestates malaciam sperabit, post hanc illas expectabit. Ita fiet, vt nihil illum imparatum offendat, & verum in ipso sit: Præcogitati mali mollis ictus venit.

Politici fugiendi. Fugiendi dein seriò simulatores hi, quos vulgò Politicos vocamus, qui aliud ore produnt, aliud mente recondũt: ferè namque sæuiunt, & in crudelitatem abeunt, vbi imperium nacti fuerint. multa habes huius rei documenta apud Tacitum in Tiberio. agendi illius modum tradit. *Tiberio etiam in rebus quas non occuleret, seu natura, siue consuetudine, suspensa semper & obscura verba. quantóque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius seruitium.* & alibi: *Occultum ac subdolum fingendis virtutibus* illi ingenium, *intestabilis sæuitia. postremò in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore ac metu, suo tantùm ingenio vtebatur*; mortuis Augusto, Germanico, Druso. quanquam nec sic dissimulationes posuit; adeoque vix cum vita. hinc illa: *Iam Tiberium corpus & vires, necdum dissimulatio deserebat.* Sæuitiam omnibus retrò sæculis inauditam agnosce. *Feminæ ob lacrymas incusabantur, necatáque est Fusij Gemini mater, quòd filij mortem fleuisset.* nec maior illi voluptas, quàm vndantẽ per domos maximè clarorum sanguinem videre, & manum carnificis. satisque illi ad cædem erat, opibus, nobilitate, ingenio, rerum gestarum gloria, virtutibus magnos esse. De Septimio Seuero Herodianus: *Quidam è maioribus natu prædicebant reliquis, versipellem hunc esse hominem, nihil non astu & arte tractantem, simulatorem, dissimulatorémque idoneum. nihil pensi habuit, dum id efficeret quod vsui sibi aut emolumento crederet fore. quod seniorum iudicium haud ita multò pòst euentus comprobauit.* addit, *immitem suapte natura & sangui-*

guinarium, perfidiosum, plenum fraudis & insidiarum. eximium quemque è senatu, tum vt quisque in prouinciis genere aut opibus excelleret, omnes sine discrimine supplicio afficiebat. De quo illud etiam Spartianus: *De sua clementia disseruit, cùm crudelissimus fuerit. occidit autem sine caussæ dictione hos nobiles.* enumeratis quatuor supra quadraginta, addit: *Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum (nam multi ex his consulares, multi prætorij, omnes certè summi viri fuere) interfector.* In quo hoc etiam perfidia plenum, cùm per filios quos captos Romæ detinebat, ducibus Nigri Imperatoris persuasisset, vt Cęsaris sui consilia proderent, *postquam eorum opera abusus est, suaque omnia ex sententia composuerat, ipsos liberosq; necauit.* Potuit aliquid sceleratius excogitari? Hos verò similesque perpetuis iactari animorum tempestatibus reperies. vnde istud in Tiberio Taciti: *Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus. quin vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malè consultis animus dilaceratur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.* Nil mirum. nunquam doli securam mentem dederunt, nunquam crudelitas animum pacatum, nunquam vtrumque sine metu & iactatione fuit. fraus & sæuitia ferocissimi ventorum sunt, quibus pacata animorum maria insano concutiuntur murmure, & modò cælo superba minantur, modò inferorùm incutiunt horrorem; & tanquam pilas, sursum deorsum iaculantur, quidquid dorso suo fastidioso, infido, crudeli deuehunt. fuge quisquis securam vitam amas, & tanquam perimentia declina toxica. non potes? perfer, & animum obdura, & quidquid euenerit in colorem tuum muta, è malis bona eliciendo. non potes fortunis, honori, corpori mederi? potes animo. huius prima tibi cura sit. & cùm nulla prudentia, probitate nulla, insidias effugere aut crudelitatē potes, maximè in Principe; potes fortiter occumbere. nulli doli & sæuitia imperare animo possunt. & plus laudis & gloriæ è forti morte, quàm ex ignaua vita, adulationibus emendica-

X ta.

ta. nam quod in Antonium de Cicerone Paterculus, *Famam gloriámque factorum ac dictorum adeò non abstulisti, vt auxeris: omnis posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur*; hoc de omnibus qui generosâ mente fraudes crudelitatemq́; improborum tulerūt, dici potest. iacent inferentibus maiores, nullaque adeò re, quàm exilio aut morte pro veritate & virtute obita, nobiliores.

Interdum simulandum.

Neque interim rigorem illum probo Stoicum, qui nusquam, qui nunquam simulandum viro esse putant; non si de fortunis, honore, vita agatur, priuata publicaque. Magnos certè viros prudenter simulatione vsos, omnis retrò docet Historia. simulasse Moysem in fratre & sorore, Abrahamum in coniuge sororem; simulasse Dauidem stultitiam, necem Abner in Ioab, maledicta Semei; Saulem, neglectum suorum; Iacobum matris imperio, fratrem Esau, vetus tradit

Luc. 24.

Historia. sed & Christus ipse *se finxit longiùs ire.* simulatione etiam Paullus & Petrus non semel vsi; feliciter etiam magnus Athanasius, aliiq́; sanctitate & rerum gestarum gloriâ magni.

Imprudentia est omnia effundere.

Et quis aut imperet prudenter, aut viuat hîc beatus, si quidquid occurrerit effundere cogatur, quacunque fortunarum, gloriæ aut sanguinis iacturâ? quis, cùm de vniuersâ republica agitur, cùm de coniugum, liberorum, opum incolumitate, non putet nocitura tegi posse? aut reipublicæ familiæq́; suæ proditor cogetur esse, si aut tyrannus, aut hostis scrutetur illa, à quibus salus illorum pendet? Iam, si quis ferrum in alium paret, prodere cogar rogatus latentem, aut extrahere è latebris iugulandum? quid, si quis patriæ hostis ea petat, à quibus regni vniuersi salus pendet, aperire sine scelere concredita mihi potero? & pius in patriam ero patriæ proditor? Idem de coniuge, liberis, parentibus, amicis dico.

Aliquando simulandū in vitiis.

Iam in emendandis suorum vitiis, quàm prudenter sæpè Superior dissimulat, & cognita pro ignoratis habet, vt mitius cer-

certiusque medeatur, vtque beneuolentia potius, quàm terroribus in officio contineat? aliquando etiam commodius fructuosiusque monendi tempus expectat, vitatque non rarò exacerbatiores mentes, monitaque in pacatiores animos seruat.

Multò etiam magis Superiorum suorum vitia erroresque inferior tanquam inobseruatos transit, & ad preces Deumq; decurrit. Et, vt agrorum sterilitatem, aliaque terrarum incommoda ferimus, nec Deum aut naturam accusamus, nisi impij audire velimus; sic Superiorum ac Principum vitia toleramus. & vt in illis fœcundiores annos, sic in his morum in melius mutationes vouemus & speramus. *Dissimulanda Superiorum vitia.*

In acceptis verò à paribus iniuriis, monent prudentes, nobilissimum victoriæ genus esse contemnere, aut tanquam non acceptas transire, aut vt indignas habere ob quas animorum pacem exuamus. Ita quo generosior equus est, hoc adlatrantium canum minas magis contemnit. feminarum, & vilissimarum è plebe animarum est, conuicia conuiciis repellere, & illum habere victorem, qui violentiùs conuicia iaculatus est. Ferro verò iniuriam vindicare, quid nisi belluarum est, quæ laniatu sæuiunt, cùm ratione tueri se non possint? his enim pro ferro dentes, pro telo calces sunt. quanquam decentiùs hæ, quàm homines: domesticis enim illæ se tuentur armis; ascititiis, & extraneis, & aliunde mutuatis, homines. Prudenter sanè ille, qui conuicium passus & sputa, non magis retulit, quàm si asini calces passus esset, aut præteruolantium auium sordes; laudemq; retulit & admirationem, & conuiciator pro asino habitus: maiusq; conuicium conuiciator è contemptu, quàm à ferro retulit. neque poterat grauius quidquam in hominem dici, quàm aut asino componi, aut infra asinum poni. *Iniuriæ contemnere nobilissimum victoriæ genus est.*

CAPVT XIV.

De studiis & scriptione.

Perpauci ad scriptionem idonei.

NON omnes voco. nihil stolidius. quis enim stiuam velit eruditam? quis eloquentem fullonem? quis carminantem funarium? quis verborũ violis multicoloribus horrea lassantem? quin adeò, perpaucos voco. breuis, qua fruimur, ætas est, raraque studiis cognata ingenia. Iam eloquentiæ in plerisq; parum, sapientiæ minus est. & quò mihi illa, si hac destituatur? naufraga omnis dictio est prudentiæ velis remisq; nudata: nec quidquam ab illa speres, quàm breuia & scopulos. temeraria enim nuda eloquentia est, & dum solâ audaciâ armatur, in pœnitenda ferè ruit: seque oratoremque suum, ac non rarò rempublicam, eâdem ruinâ opprimit, iisdemq; fluctibus inuoluit. Sapientem ergo eloquẽtiam volo. aut, si alterutra carendum, ineloquentem prudentiam, quàm imprudentem eloquentiam malo. Quid? quòd plurimùm, quæ virtuti ac veritati dat operam oratio, incomposita sit & simplex: parcit enim verbis lenocinantibus, & fuco oblitis, & ad gratiam compositis, & venustatẽ mentientibus. cùm contrà popularis oratio nihil propè habeat veri: mouere enim vult turbam, & inconsultas aures impetu rapere: quare tractandam non se præbet; aufert. plus proindè sonat, quàm valeat: vt meritò, omnem talem, bracteatam eloquentiam non vnus dixerit; quæ omne suum studium in verborum luminibus ac stellis ponit, & in pompa quadam vernantium dictionũ; tanquã si qua mulier inuenustã se arbitretur, nisi longo syrmate terram verrat, plus sordium collectura, quo se latiùs sparserit. at illa, quæ sanandis adhibetur mentibus, minus ostentationis & tumoris, plus roboris habet: descẽdere in animos vult, non velare, nõ fucare. Et quis medicinam laudet, quæ superficiẽ radit? nemo peritus

Imprudens eloquentia damnãda.

Rara mistura prudentiæ & eloquentiæ est.

tus ægros in transitu curat: incumbit malo, & radici manum admouet. Facit idem vir prudens: qui non quâ amœnitate prouocet aures, sed quæ emolumenta audientibus adferat, tacitus secum cogitat. Atque hinc plerique sapientiæ dediti, cultum omnem sermonis abiecerunt, & cùm possent ornatiùs loqui, noluerunt. humilem proinde dictionem elegerunt, ne corrumperent grauitatis rigorem. Et verò dissoluti omnino pectoris est quærere in feriis voluptatem; &, cùm mederi vis animis, sonis tantùm aures perfundere mollioribus, non medicinam vulneribus admouere. & quis prudens non præferat, si potest, peritum medicum, eloquentiâ destitutum, eloquenti imperito? carpitur tamen mortalium pars maxima verborum pruritu; & delectatur etiam vinculis, non ignara vinculorum. tantum insidiæ possunt, vt nec præmoniti quidem vitemus. Quid? quòd vltrò induamur illis. tanquam si quis præscius venena bibat in voluptatem, quæ scit ire in mortem. Et abducunt ferè ludibunda verba à vero, & bono. Hinc fit, vt sine delectu assentiamur omnibus, nec à certis falsa discernamus; ignari inesse incredibilibus verum, & verisimilibus mendacium. quo fit, vt non vni verum illud visum: *Quo imperitior sermo, hoc illustrior; quoniam non firmatur pompâ facundiæ & gratiæ, sed recti regulâ sustinetur.* Non quòd infantia semper illustris, aut vera sit imperitia: sed quòd ab inculta dictione absint plerumque doli & fraudes. Non didicit mentiri simplicitas, & sua candori veritas annexa est: credas hanc indissociabili nexu maritatam.

Neque interim damno eloquentiam. probo, & laudo. sed ex illius mente, *beati, quibus concessum scribere legenda; magis, facere scribenda; beatissimi, quibus vtrumque.* & voto illius: *vt tibi sermone pulcro vita sit pulcrior.* Nam solam sermonum purpuram, quam improbi mores decolorant, quis paullò prudentior probet? Est tamen & sua dictioni laus magna, licet vita non respondeat. quam pro ingeniorum varietate variam videbis: non dico sæculi alterius, sed eiusdem ætatis. omnes

verò ſuadeo vt legat litterarum amans. deligat deinde quem imitetur, cuius aut dictionem ſequatur, aut mutuetur, vt ad vnum proximè accedat: aut ſanè pro ingenij ſui magnitudine, propriam ſibi è variis dictionem paret. nam ad vnam omnes cogere, imprudentiæ maximæ eſt. & quis non fatuum dicat, qui omnium pedibus, capiti, corpori, calceos, pileos, veſtes eaſdem aptet? Idem dico de ingeniis, quorum non minor, quàm corporum varietas.

Imprudentia eſt omnes ad idē dicendi genus cogere.

Dictio ferè ingenium ſequitur.

Iam pro ingeniorum varietate varia ferè exſurgit dictio, cæſuratim ſuccincta, profluens; ſubſtructa, laxa; tenera, fortis; mollis, ſeuera; breuis, ampla; flore ſuo delectans, plus docens quàm dicens; picta, neglecta; mellea & lepore ſuo recreans, aut piperatâ quadam facundiâ mordicans; laſciuiens, maſcula; muſicos reſonans ſonos, inamœna; grandis, humilis; lacertoſa & robore plena, elumbata & eneruis; acuta, obtuſior; erecta, ſerpens; vrbana, incompta; ornata & ad ſpeculum compoſita, inculta; nobilis, ruſtica; milleq; aliis modis varia. & ineſt tamen ſingulis ſua venuſtas. Ita non tantùm montes & horti delectant, ſed nemora & valles, & ſuus etiam in neglecto ornatu decor eſt. & non aliter vineta, aliter ſegetes, flores; & inter hos aliter lilia, roſæ, violæ delectant? aliter roſmarinus, laurus, thymus, quercus, tilia, fagus, pinus, platanus? aliter pirus, pomus, ceraſus? & ſingulæ tamen delectant. Idem dico in dictione. &, vt non omnis fert omnia tellus, ita nec omnia ingenia dictionem eandem. Cùm verò multum in hac tribuam imitationi, tum naturæ plurimum. Magnus Cicero, Cæſar, Terentius. non minores Salluſtius, Plautus, Plinius. Magnus Liuius. quis inferiores dicat Curtium, Tacitum? & cui ex omnibus cedat Tertullianus? elegans, grandis, acer Hieronymus: & Leoni tamen & Ambroſio laus ſua eſt. Eadem in Græcis Oratoribus, Poëtis, Patribus reperies. Quis verò ad vnius dictionē omnium ingenia vocet? Nec minùs peccabit, qui Poëtas omnes in vnius cogat Virgilij iurare nomen. an minor in genere ſuo Seneca, Martialis,

Natura plurimum tribuendū in dictione.

tialis, Horatius? Aut damnandæ Siluæ Statij, Persij & Iuuenalis Satyræ, quòd à Virgilio recedant? Et quis neget in dictione soluta tantum esse varietatis, quantum in vincta? & non peccet, qui adolescentem Tragicum velit Comœdum? qui in Satyram toto naturæ impetu raptatum, cogat in Elegiam? qui Lyricum vocet in Eclogas? Largiendum aliquid naturæ, quæ singulos manu sua ducit ad optata. Fatebor tamen teneriorem ætatem ad lenius molliusque dicendi genus ducendam. neque enim ætas illa robori adhuc nata. Ciceroni proinde assuescat, Cæsari, Terentio. inde ad grandiora iter erit. Quid? quòd ipsum Ciceronem alium videamus in Oratore, perfecto Oratore, alium in Officiis, de Senectute & Amicitia aliû, alium in Paradoxis, in Epistolis ad familiares alium, alium in Epistolis ad Atticum. Neque omnes naturâ Asiaticos reperies: Attici sunt plures, Lacones non pauci. Quod etiam in feminis & pueris, & in infima plebe reperies, & seruorum turba.

Et certè pro rei conditione alia atque alia non raró dictione opus. grauia maturè, quædam seuerè, vrbanè alia tractanda. in quibusdam mollibus & lenibus, saccaroque & melle condítis, lacertosis in aliis opus. nam & aliud sibi genus delectatio, aliud commiserationes & lacrymæ deposcunt, figuras alias, tropos alios, dictionemq; totam aliam, non minùs quàm elocutionem, vultusque ac oculorum dispositionem. Magnus ille, qui in omnem partem vertere dictionem potest; nunc serpere, nunc montium vertices pedibus calcare: nunc per plana, nunc per præcipitia decurrere: spargere hîc rosas & violas, ibi saxa & rupes: lilia hîc legere, & camomillo inuolui aut gramini, ibi cedrorum ramis insidere, & nubes etiam vincere suauiter alibi tanquam secundo flumine labi, decumanos alibi fluctus audaci carinâ scindere, & mare in rupes & vortices cogere: mulcere nonnunquam, cæstibus & molaribus aliàs pugnare: amica dein basia infigere, & lacrymas osculis siccare, eademq; manu ferire, & sangui-

Dictio rebus accommodanda.

guinem haurire: molli hîc ſpongiâ tergere, ibi ferro & ſecuribus ſæuire: dulcibus aliquando mederi, nouaculâ aliquando & ignibus. Paucorum hoc eſt, fateor. Quis enim in tam varias ſe vertat formas? quis in tam pugnantia cogat calamum? velle autem in omni genere eâdem dictione vti, error maximus eſt; nec minor, ſi quis, vt dixi, omnes ad eandem dictionem cogat. vt, ſi quis omnes pictores, aut textores eſſe velit; omnes eodem cibo delectari, eodem vitæ genere, exercitationibus iiſdem. naturę aliquid in ſingulis concedendum. quin adeò, iuuanda naturæ pronitas, vt, ad quæ illa ducit, amico ad ea inuitatu protrudatur, propoſitis iis qui in hoc genere plurimùm valuerunt.

Non ſunt ingenia vnius auctoris terminis arctanda.

Denique laxanda ingeniis fræna, nec vnius auctoris, licet doctiſſimi, anguſtiſſimo gyro naturæ impetus infringendus. Et quis prudens euntem in Salluſtium, cogat in Ciceronem? eiuſdem æui ſcriptores ſunt, & diſcrimina tanta, quanta in nullis omnis ætatis ſcriptoribus. aut adeò amens erit quiſquam, qui Salluſtium damnet? aut eâ fiduciâ ſui, vt alterum alteri præferat? Quis verò currentem in Plinium ſeniorem, in iuniorem pellat, & vim naturæ faciat? quis in Curtium vel Tacitum properantem, in Cæſarem rapiat, & ſapiens audiet? quis in Arnobium, Sidonium, Apuleium, Tertullianum proniorem, in Minutium, Gellium, Symmachum, Lactantium, reluctantem ducat? tanquam ſi quis in Martialē, Horatium, Iuuenalem, Perſium, Senecam procliuiorem, in Ouidium, Catullum, Tibullum, Propertium, Gallum, Terentium propellat. Suade nimirum timido militiam, præfidenti metum, otium præferoci, ſtudia ignauo, aurigæ maria, nobili ſtiuam, mulieri bella, mulieralia viro. & quam laudem ſperes, aut quid magnum ab hoc conatu, niſi vt vtroque fruſtreris? nam & fructu illius cares, à quo abducis; & ſpe illius, ad quæ ducis. fruſtra enim refugâ naturâ expectabis victura. moritura cogita & ingloria, & ante dominum ſepelienda, aut cum illo. Ignorant æternitatem coacta. ami-

ca

ca naturæ ſint, quæ vitam ſepulto domino ſpondeant, quæ largiantur, quæque adeò nobiliore illum vita donent, & viuere cineres doceant.

In milite verò plus fortium factorum, quàm eloquentiæ velim. facere militis, dicere oratoris eſt. Iam, ſi facta dictis in exemplum & imitationem potiora ſunt, quis non videat, facta in milite deligenda? & ſanè rebus militia omnis conſtat, ferro, dextera, vigiliis, ſudoribus, animis, ſanguine dando & hauriendo, ferenda fame, ſiti, commeatuum, locorum, neceſſariarumq; rerum prouidentia: poſtrema verba ſunt. nam ferè, quibus verborum plurimum, rei minimum eſt. fortis, parcus verborum, factorum diues: ignauus, ditiſſimus verborum, egentiſſimus rerum eſt. Non, quòd eloquentiam omnem abeſſe à duce velim. non amo in illo tamen ornatam nimis & cultam, & tanquam calamiſtris inuſtam, & criſpam; quòd illa ferè virile pectus diſcingat, multumq; ſecum trahat inanitatis, & vani & muliebris ingenij. nec poteſt mollis dictio à virili mente & robore profluere. fontium naturam flumina teſtantur. ſic, ſi quem videris oratione Mæcenatem, etiam animo cogita. inlatentium index oratio eſt. Fortem proinde in milite dictionem concedo, & ſaxa veriùs & rupes iaculantem, quàm roſas aut violas; fulminantem tela, non ſpargentem lilia. veram deinde, & manu præeuntem & ferro, à qua fucus omnis abſit & purpura, & quidquid vultum mentitur. Quòd ſi tamen robori adnexa eloquentia ſit, non illa tenera, & virginem ſuam loquens, ſed viro & prudenti digna, in qua tantum propè ſententiarum, quantum verborum ſit; non damno. probo. nec improbo tamen militem, qui illa deſtituitur, modò factorum opibus orationis pauperiem tegat.

Facta in milite dictione potiora.

De Poëſi nihil dico. laudo, ſi adſit; magnum omnino eruditioni ornamentum. non damno tamen, ſi abſit. & pauciſſimorum planè illa eſt. ad quam nos ſola propè natura ducit. non quòd labor nihil poſſit: ſed, ſi illa deſtituaris, ne-

Poëſis laudata.

quidquam speres: illa si adsit, non magno molimine magna spera. Et certè vixerunt hac vna, viuentq; æternùm, non magnis voluminibus, sed verborum, rerumq; ac sententiarum elegantia, pondere, acumine, Virgilius, Ouidius, Horatius, Martialis, Seneca, Iuuenalis, Persius, Catullus, Tibullus, Propertius, Gallus, Statius, Lucanus, aliiq;: nec pauciores in Græcis. In qua re omni naturæ cuiusque, iam inde à prima iuuentute, pronitas dispicienda: & concedenda puero libertas, vt, vbi per omnium libros inambulauerit, genus deligat in quo desudet. quin imò, vt primùm naturæ illius pronitatem senserit magister, protrudendum in illud ingenium, ac propellendum etiam erit, animusque addendus laude, ignominia, præmio, ęmulo sociorum conatu, pœna denique. Neque vllum propè litterarum genus est, quod certiùs cultorem suum ornet, materiamq; copiosiorem ad reliquarum scientiarum ornatum, admirationem laudemque suggerat. Hinc enim in omni narratione, scriptione, illa mutuamur, quibus vt lucidissimis gemmis, singularum scientiarum vertices, tanquam cæli, inoculantur stellanturque. quibusque si destituantur, mortuos, aut cæcos scientiarum orbes arbitreris, oculis nimirùm suis animaq; viduatos: aut, vt modestissimè dicam, cultu omni naufragos. Et vt singulis natiuum quemdam largiar decorem, Poësis tamen vna est, qua omnium gemmantur frontes. Et certè quidquid propè vbique historiarum, quidquid reconditæ eruditionis, acuminis, facetiarum & fabularum, quidquid eruditarum sententiarum, ad mores animumq; formandum, ab vnius Poësios locuplete penu hauriendum est.

Dandum aliquid in Poesi naturæ propensioni.

Historiæ commendatio.

De Historia dicam, an silebo? Paucissimi in hanc nati, quia pauci in prudentiam. &, quia rara prudentiæ & elegantis dictionis mistio, perdifficilis Historiæ scriptio est, quæ prudentiæ plurimum deposcit; cùm prima Historici virtus prudentia sit veritati innixa, altera constantia, tertia animus in neutrã partem degenerans. eliminanda verò adulatio,

tio, indulgentior gentis suæ amor, odia, æmulationes, beneficiorum & iniuriarum memoria. Nescit calamus vera scribere, cuius animus mendaciis obuoluitur. & non mentiuntur amor, & odia. fuge quisquis Historiam cogitas, has omnes veri inimicas. Neque hîc simplex nudaq; instituenda narratio: sed vestienda prudentibus sententiis. consilia, & consiliorum caussæ, prudenter etiam iuxtà ac imprudenter, temereq; ac prouidè dicta factaq; aperienda. quæ dein imitanda, fugienda; quę laudanda, & damnanda. pericula etiam, fortuiti, fortunati, infelicesq; euentus; remediaq; in minùs prosperis consiliis & successibus aperienda. Dictio autem sit grauis, seria, matura, sententiis variegata prudentibus, quæ sequenda & fugienda doceant. Imitari verò, qui in Historicam scriptionem propendet, illud genus debebit, in quod magis natura fertur. vniuersim tamen Liuium sibi proponat, Curtium, Tacitum, Sallustium; & in his ferè vnum: aut ex omnibus nouam sibi dictionem naturæ suæ amicam fingat: decerpatque placitum maximè à singulis, grauitatem à Liuio, elegantiam à Curtio, prudentiam à Tacito, robur à Sallustio. nullam verò vim naturæ adhibeat, nec calamum cogat, nec refugientem aliorsum impetu, ac tanquam iniectâ manu trahat. carent genio & decore suo coacta. & vbicunque vis est, venustas exulat, & quidquid lectorem delectat, animumq; illius allicit in amorem & sequelam. Sit denique dictio, quæ lectorem suspensum teneat, quæ cùm placeat, non expleat, semperque nouæ aliquid expectationis ostentet; vt nusquam deposuisse calamum sentiat, nusquam finisse, nisi opere vniuerso expleto: &, quod in mensis assolet magnorum, proritamenta vbique interspargat nouæ famis & sitis, vt, quo altiùs lector fertur, hoc auidiùs ad reliqua suspiret.

Qualis esse debeat Historia.

Historica dictio qualis esse debeat.

O quis mihi Historiam pro dignitate, & ex vero scribat! Audita referet? quàm dubia ferè ex his narratio! quàm referta partium affectu! Visa? quàm multi cæcutiunt videntes,

& vera putant, quæ amant! nam quàm pauci Principum norunt abditos recessus seruatos centum clauibus! à quibus tamen non vltima Historiæ pars pendet. pauciores etiam vtrarumque partium consilia. Iam ipsi partium duces si scribant, quis credat illaudanda, damnanda scripturos? quis improbos animorum suorum affectus altùm reconditos? quis fastum, odia, reliqua vitia? quis verò imprudentiam suam aperiat, consilia damnet? quis errores vana suspicione natos, & nimiùm credulos animos? Dices fòrs eos, qui ab arcanis Principum sunt, multum hîc posse. fateor: sed neque hi Principum suorum omnia norunt. ab aduersarum verò partium consilijs, molitionibus, studiis absunt longissimè. Iam si gentis suæ facta scribant, quis credat non lusisse in his affectum, pessimum veri venenum? in gentis verò alienæ, quis non mille sæpè erroribus implexos arbitrabitur? paucissimi sua norunt. aliena velle nosse stoliditatis quoddam genus videtur. O qui temporis nostri legat Historicos, non rideat, & simul indignetur? vbi nunc veteres Satyri? vbi meriti calamorum dentes? & illorum quisquã Historici mereatur nomen? quantæ mixtæ veris fabulæ! nec sua sciuere, nec aliena. quid? quòd tam densè in suis, quàm mentiantur in alienis. quos non Historicos, sed perpetuos rerum suarum laudatores reperies, tam plenos adulationum quàm verborum, tam confertos mendaciis quàm sententiis: & cùm aliena damnant omnia, sua probant omnia: & quocunque capillo trahunt in id, quod volunt, non quod fuit. Alij tam minutis dictis, factis, amoribus, odiis, adeoq; & cogitatis, Historiam implent, vt nec Historicos, nec morum scriptores, nec laudatores, nec accusatores, sed mistum quoddam genus, Æsopi graculum, enasci videas. & dici tamen, & haberi volunt Historici. Quid agas cum hac impudenti sæculi nostri scabie? in omnium oculis tam apertè mentiri quemquam? Ego sanè veriora mihi à Plauti, Terentij, Senecæ Tragici, quàm ab illorum calamis spondere possum. vt non semel in illis.
Appu-

Appuleij Asinum legere me arbitrarer. Et nescio, qui propiores vero sint. Vbi ætatis nostræ verecundia, cænatum iuisse credo ad Æthiopas. & non semel cœpi dubitare, an non assiduâ mentiendi licentiâ eò venissent, vt nec si vellent vera dicere possent; & fortuitò vera dicerent, si quando dicerent, præmeditatò falsa: eoque mentiendi consuetudine venisse, vt falsa pro veris haberent, & haberi ab omnibus vellent. Et omnium propè linguis lubuit scribere, vt omnium linguis liceret mentiri. O quis mihi Deus scriptores hos omnes, cum trabalibus voluminibus suis, immergat mari rubro Ægyptiaco sepulcro! Scio quædam in veteribus desiderata. nimis orbi noti Historici Latini, Græci. verùm si hos cum nostris componas, etiam dum mentiuntur, laudes illos, damnes nostros. ita verecundior illos affectus, & nescio quæ spes, aut metus quasi reluctantes aliorsum traxit: nostri prono calamo, cælo terrisque reluctantibus, in aperta, continuo propè orationis filo, procurrunt mendacia: vt laudem ex his videantur venari. Sed & extra omnes omninò Historiæ leges vagantur; omnium aut ignari, aut insita animis improbitate, spontanei præuaricatores; bis scelesti, mente & calamo; bis naufragi, veritatis & probitatis; bis impij, in Deum & patriam; bis impudentes, ore & manu, idque tam coæuis, quàm posteris. Verùm quid mireris nullis Historiæ legibus teneri, cùm nullo pudore teneantur? Sed difficilis omninò Historica scriptio est. non nego: neque enim vllam puto maioribus vndique difficultatibus, tanquam perpetuis spinis, aut peracutis rupium crustis, implexam. & tamen ad hanc etiam proxenetæ, vilissimum hominum genus, illoto decurrunt ore, calamo, manibus. Quid facient viri magni? scribent? & res sui temporis scribent, viuentibus etiamnum Regibus, aut Regum filiis? At cuius calamo hoc robur, si vera scribenda sint, & exulare adulatio debeat? Scribent in ipso regno, aut extra illud? in ipso? Stephani expectent exitum, aut Paulli. extra illud? miserum, vt vera scribas, exi-

lium deligendum esse. hoc nimirum, sudorum & prudentiæ in magno viro præmium. Mediâ incedes viâ? vtrimque damnaberis. Amplecteris alteram? grauiùs incumbet aduersa,& vulnera sua sanguine medebitur tuo. Vera narrabis in neutram partem pronior? ô quis hunc virum dabit! quanquam & vera dixisse auctori non semel exitio fuerit, falsa dixisse præmio. Nobilitatis ducumque errores deteges? ante Historiam moriendum tibi erit,ne quater cogaris mori,opibus, calumniis, ferro, calamo. Nemo ergo scribet? scribet. sed quem ætas,& longa rerum experientia,& pertractatæ res manibus, & oculis lustratæ docuerunt; qui nec damna timeat,nec honores, opes, gratiam à calamo speret; & quem nullus affectus in transuersum rapiat, nullæq; secures à vero deducant,cùm omnibus sit minis & ferro maior: vt cui cum Socrate, Thrasea, aliisque, pro vero mori etiam iucundum. Da mihi hunc virum supra spem metumque positum, prudentem,fortem, doctum; & audebo in scriptionem inhortari:etiam in scriptorum vulgationem,cùm capulo iam propior quàm vitæ, non veritus fuerit in herede damnari, vt veritati sua stet integritas,sua laus,sua fortibus,piis,prudentibus in posteris præmia;sua imbellibus, impiis, imprudentibus damnatio.

Delectus in scientiis esse debet.

De Mathesi,Philosophia,Medicina,Iuris prudentia,Theologia,reliquisq; scientiis, taceo. sequatur quisque naturam ducem. vnam tamen deligat ex omnibus,in quam totus incumbat: nam ex omnibus præmia sperare frustra adlabores. neque enim aut vita hæc tam breuibus circumscripta, aut ingenij nostri arctitudo tam latè se spatgit, vt ingentem singulorum latitudinem complectamur, tam angusto tam magna. Addo, sparsim per multa euntem, carpere aliquid ex singulis fòrs posse non pœnitendum; omnia vniuersim amplecti, non est humanarum virium. Quisquis proinde magna sperare debet, magnaque prudenter audet, vni alicui scientiarum se totum tradat, & quidquid vbique habet virium

rium profundat vni, è qua non morituram gloriam in posteros transmittat. Et experientiâ rerum magistrâ docemur, in vno fere tantùm genere sudasse, quicunque æternatura dederunt. adeò vt Poëtarum vix vllus in vario carminum genere magna dederit. degenerarunt ab elegantia, qui aliud amplexi genus quàm ad quod nati. & verò non nisi in vno aliquo genere singuli laudem tulerunt. Sed neque magna à singulis volumina habemus: quasi in paruis plus luxurietur gloria, denseturq; fortiùs in pusillo honor corpore, quàm in latè diffuso. Quanta gloria Iuuenalis & Persij est! quanta Horatij, Martialis, Senecæ, reliquorumque veterum Poëtarum! mole tamen sua nulla propè sunt; vt, quod olim Poëta,

Laus ferè scriptoribus in vno genere stetit.

Maior in exiguo regnabat corpore virtus,

in scriptione videamus. Et illi ipsi, qui latissimè se profuderunt, in non magno ferè volumine gloriam retulerunt. Magnus Augustinus; sed in libellis de Ciuitate Dei se ipso maior. magnus Tertullianus, & nescio an nō vnus in omnibus magnus; in Pallio tamē & Apologetico & se vicit, & omnes. Origenes magnus; sed in paucis quibusdam victor stetit. Idē de Hieronymo, Ambrosio, Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo dico. quasi negatum esset in magnis magnum esse, aut nefas in multis magnum esse. Eadem in omni videbis rerum genere. In militia quanti duces? & tamen ab vna ferè aut altera pugna honos venit. Alexandro Darius Magni nomen dedit; in reliquis plus ferè felicitati, quàm prudentiæ debet. Scipionem Hannibal nobilitauit, Hannibalem Cannæ & Trasimenus lacus, Lucullum & Pompeium Mithridates, Cimbri & Teutones Marium, Syllam Marius, Cæsarem Belgæ; nam Pharsalici & Iberici campi fortunam magis Cæsaris loquuntur. Camillum Brennus, Æmilium Paullum Perseus, Syracusæ Marcellū, Themistoclem Salaminia naualis pugna, Leuctrica victoria Pelopidā & Epaminondā, Persicum nauale prælium Cimonem, Marathonia pugna Miltiadem. ita plerisque ab vna aut altera victoria nomen

magnum..

magnum. Idem in artibus reperies, in pictoribus, sculptoribus ære marmoreúe nobilitatis, ac in reliquis propè omnibus. in vno singuli genere illustres. plura qui attigerunt, tenue ferè è singulis nomen retulere; nec aliud. Eadem in omnium sæculorum scriptoribus reperies. Vni proinde insudabit, quicunque victurum aliquando nomen sperabit.

Incumbendum serio vni rei, à qua laudē speres.

Sed neque leuiter, quodcunque genus sibi proposuerit, extremisq; aut digitis, aut calamis saltuatim tanget. totum se dabit, si parandum nomen est. audiat Philosophum, & imitetur: *Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium studiis vendico. non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigiliâ fatigatos cadentesque in opere detineo.* Dignus labor viro eruditionem, litterasq; & posteritatem amanti. Et certè nulla res alia longiorem vitam possessori suo dabit, non opes, non purpura, non sceptra, non bella. Nam quàm paucos opulentos, sæculum non alterum, sed suum nouit! & non cum vita purpura ponitur? quis hanc annalem faciat post mortem? aut quæ memoria huius, vbi posueris? Et non sceptra cum corpore integuntur terræ, vt fuisse nescias? quantorum Regum nec nota terris nomina? è millibus vix vnum alterumúe ex historia eruas, vt dicere possimus fuisse, nec aliud· & de perpaucis, imperasse. reliquorum non magis nota nomina, quàm vrnæ quibus integuntur. & quod discrimen inter Regum cinerem, & vilissimæ plebis? De bello claris quid dicam? quàm paucos fama extulit, aut doctior calamus? & è tot bellatorum millibus quanti viuunt? intuere quà patet Oriens, quà Occidens, & bella iam inde à nato cælo. quis annus, & quæ regna, suorum exterorumq; non natarūt sanguine? Ex his omnium sæculorum, ætatum, gentium victis victoribusque, quàm pauci viuunt! imò, quàm pauci victores non funestarunt tandem triumphos infelici suo sanguine, exilio, vinculis, veneno, securibus, ferro suo! Intuere primos orbe toto, Alexandrum Macedonem, Pyrrhum, Hannibalem, Pompeium, Cæsarem, Marium, Scipiones, Themistoclem, Epa-

Longissima vita à scriptione venit.

Epaminondam, Miltiadem, vt non tangam reliquos. & intuere exitum. non quantum gloriæ, infelicitatis tantum? Et quis non eruditorum ſcriptorum memoriâ viuit æternâ? non vnus in paucis pagellis Minutius Felix, vnus in paucis verſibus Iuuenalis, in paucioribus etiam Perſius, ſæpiùs in ore & doctorum calamis, quàm mille per regna ſparſi exercituum ductores? vt plus proinde meritò à litteris ſperare quiſque debeat & poſſit, quàm ex illuſtribus triumphis. Accedit, incruentam doctorum gloriam eſſe, & in alta pace, hilaritudine magna, omnium ore laudatam, omnium votis optatam: cùm bellatorum cruenta ferè gloria, è turbido parta, mutuo ſanguine empta, ingentibus curis circumſeſſa, æmulantium odiis grauida, inuidentium criminationibus inſepulta, plus damnationis plurimùm referat quàm laudis, infortunato ferè fine ſignanda. Docemur hoc vernaculis omnium gentium hiſtoriis. Tranquillitas proinde è ſtudiis, quàm ex vlla re alia certior, pax altior, pacatior animus, gloria maior. Videtur hoc ſenſiſſe Heluidius Priſcus, de quo illud Stoici: *Ingenium illuſtre altioribus ſtudiis dedit, non, vt plerique, vt nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quò firmior aduerſus fortuita rempublicam capeſſeret: doctores ſapientiæ ſecutus, qui ſola bona, quæ honeſta; mala tantùm, quæ turpia; potentiam, nobilitatem, ceteráque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant.* factus hinc *opum contemptor peruicax, conſtans aduerſus metus*, adeoque inter minas & tormenta infractus. Litteræ hunc talem dederunt. Idem in Socrate, Solone, Lycurgo, Thraſea, Seneca reperies. cuius ad rem noſtram illud: *Mihi certius videtur, ingenij quàm virium opibus gloriam quærere. &, quoniam vita, qua fruimur, breuis eſt, memoriam noſtri quàm maximè longam efficere.* Nulla res longiorem litteris dabit, vt etiam audeat illud: *Vnus dies hominis eruditi plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas.* cùm litterarum vnius non rarò diei monumenta latiùs ſe in poſteritatem diffundant, quàm multorum Regum purpurata canities. Iam, ſi variarum ſcientiarum au-

Aeternitatem quamdam ſcriptio præbet.

Tranquillitas è ſtudiis ſperanda.

Magnos animos ſtudia perere.

ctores cultoresque intueamur, quanti post tot sæcula etiamnum viuunt! cùm, vt antè dixi, primorum orbe Imperatorum Regumq; ignorata nunc nomina, & æterno obliuionis sepulcro recondita. Habes in Litteris, Poësi, Historia, Philosophia, Medicina, Iurisprudentia, Theologia, ingentia nomina: Varronem, Ciceronem, Plinium vtrumque; Terentium, Plautum, Senecam, Virgilium, Ouidium, Catullum, Tibullum, Propertium, Statium, Lucanum, Martialem, Horatium, Iuuenalem, Persium; Sallustiū, Tacitum, Curtium, Liuium; Socratem, Senecam Stoicum, Platonem, Aristotelem; Hippocratem, Galenum, Auicennam, Auerroem; Iustinianeos Codices; Patres Græcos & Latinos, Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Augustinum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Nazianzenum, Chrysostomum, Basilium, Hilarium, Hieronymum, Gregorium, Dionysium Areopagitam, Sidonium Apollinarem, Thomam, Scotum, Bonauenturam, aliosque omnium propè gentium ac ordinum innumeros, orbe toto clarissimos: vt taceam Oratores, Poëtas, Historicos Græcos, Latinis non inferiores. quorum nomina, omnium calamis oreque laudata, memoriâ viuent æternâ, densissimo quaquà Regibus silentio obuolutis. è quibus nemo nunc viueret, nisi scientiarum lumen accessisset: iacerent insepulti cineribus, densâ sæculorum nocte oppressi. vitam litteræ dederunt, & ab altissima obliuionum morte vendicarunt.

Sola propè littera posteritatem norunt.

Scriptioni materia deligenda, ad quam naturâ ducimur.

Quod verò ad scriptionis materiam attinet, hoc dico. singuli amicam naturæ suæ deligant, si victura cogitant. nam si vis adsit, & alienior animus, nihil magni speres. amor magna dabit: qui & laborem mitigat, & aspera leuigat, & dura mollit, & amara dulcorat, & ardua planat, & quidquid propè inaccessum homini, & ingenti penduloq; præcipitio horridum, ad humilem deducit arenam, & calcandum præbet, manibusque calamoq; legendum. Proderit verò plurimùm, quidquid quisque à prima adolescentia scriptione & memoria

In aduersaria referendum,

moria dignum legerit, in aduersaria vt redigat; eaque maximè, quæ genio suo, & cogitatæ aliquando scriptioni commodissima. quidquid in primis virtutes vitiaq; tangit, quidquid nouum, reconditum, veteris eruditionis, historiarum, quidquid admirationem laudemq; meretur; damnanda etiam; denique quidquid calamo in quacunque re dignum: vt singula ad sua referat capita, è quibus pro meditata scriptione, nullo postea negotio profutura mutuetur. Facillima scriptio est, cui labor ille viam strauit. In quam rem necessum erit, quidquid vbique veteris monetæ doctum, seria lectione percurrere, Poëtas, Oratores, Historicos varios, Græcos iuxtà ac Latinos; nec vllum indiscussum transire: nec res tantùm in indicem referre, sed & sententias, & si quid in epithetis elegans & proprium, si quid in figuris vrbanum & grande, si quod pondus in sensibus, si quæ metaphoræ nobiliores, verba denique singula illustriora. Ita cùm maxima è magnis capita defrustauerit, transferre in calamum chartamque, tanquam horrea sua, poterit, quidquid à varia eruditionum area collegerit, vt aliorum opibus, non magno molimine, domum suam locupletet, felix labore non suo, diuesque audiat ærario alieno, omniumque retrò sæculorum fortunis fortunas augeat suas.

quidquid in quocunque genere elegans in scriptoribus.

De fructu, & sperata è scriptionibus opinione, quid dicam? incerta hæc. nec tamen idcircò animus deponendus; firmandus magis, & generoso ausu ad magna accendendus. nihil sperare potest ignauus calamus. audacia sæpè pro eruditione est; & voluisse etiam, in magnis magnũ est. Respondet optatis euentus? benè est. Non respondet? conatus semper in laude fuit: neque tam tenuis scriptio, quæ non aliquam referat laudem. Non placet omnibus? ne Deus quidem. Displicet multis? factum maximis viris. Placet paucis? maximum laboris speique suæ fructum retulit, si vel vni prudenti doctoque placuit: satis enim magnum theatrum doctus docto, prudens prudenti est. Non placet patriæ?

Animus scriptoribus addendus.

Conatus in omni scriptore laudandus.

placebit exteris, & latiùs nomen diffundet. Non placet suis? placebit alienis: & mirari discent, quos domestici negligunt. Non placet ætati suæ? placebit secuturæ. Patitur obtrectatores? nullum magnum factum sine criminatione fuit: mutuò innectuntur virtus & æmulatio, eruditio & obtrectatio. ne metue. crescunt laudanda aduersis: & clarior scriptio est, quæ æmulum patitur. Inuidia virtutis sol est. iaceret hæc sine illa densâ obtenebrata nocte: in lucem illa æmulam protrudit. Non viuerent quorumdam scripta, si inuida manus & lingua defuissent. vitam inuidia dedit. Aliorum etiam non viuerent, si persecutor non fuisset. fuit, vixerunt. Quid? quòd ab ignibus non vni vita, & à tortoris manu. nemo legisset, ni tortor accessisset. desiderium carnifex prouocauit: sitim etiam & famem. Iam, quoties persecutor gladius sæuiit, non vitâ vixerunt meliore? Non deponat ergo scriptor animum, neque abiiciat metu. Quid, si nulli placeat? placeat sibi. vel hoc solo beatus, quòd horas bonas expleuerit benè. fors malè expleturus, si scriptio defuisset. Et sanè hac vnâ plurimorum scelerum occasionem præcisam negare nemo potest. hac enim vnâ, vitiis depulsis, virtutes succrescere sciunt omnes. Displiceat ergo licet liber, sat digna labori merces, vt virtus sibi, sic scriptio auctori suo est: vt vel sola otij, quod criminum propè omnium mater esse consueuit, fuga sat ampliter scriptorem suum remuneretur.

CAPVT XV.

De vestitu: qualis esse debeat?

Vestis indicium animi est.

RES parua; & tamen indicium de hac magnum, vt index animi vestis sit. hinc illud Clementis: *Amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio.* ita de moribus habitus pronuntiat, & dominum suum vestis prodit. De molli veste Chry-

Chryſoſtomus more ſuo fortiter: *Mollis veſtis diſſoluit rigidam animam, &, ſi frigidum corpus aſſumat & aſperum, facilè per eiuſmodi molliciem, delicatum reddit & fragile*. Confirmat hoc Tertullianus in Magno Alexandro: *Vicerat Medicam gentem, & victus eſt Medica veſte. triumphalem cataphractem amolitus, in captiua ſarabara deceſſit: pectus ſquamarū ſignaculis diſculptum, textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere belli, & vt mollius ventilante ſerico extinxit*. Generosè, & validè; Tertullianeo nimirum calamo. Ridet idem Achillem, dum ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere, ſpeculum conſulere, collum demulcere, aurem foratu effeminare, atque in his omnibus ancillare libidini diſcit: Herculem etiam poſitâ leoninâ pelle, Omphalem in theriſtro mentientem, poſt cuigoratas, mollitas & exodoratas ſcapulas, & pectinem etiam in leonina ceruice paſſum. Tantos viros, & humani nominis robora, molli & feminea ludi veſte! Nec multùm ab his cadit magnus Samſon orbis miraculum. Quò ruimus? à tam inualido primi cadunt. Non homo nudus & inueſtis figulo ſuo ſtetit? non à delicto veſtis folia, & exinde pellis? quis nos docuit tunicas pangere, & ſerere? quis piſcari veſtitum? quis conchas comere? quis animatas ſtamine aluo bombyces necare? quis herbarum ſuccis & concharū alueis incoquere lanas? exciderat nimirùm Deo, purpureas & coccineas oues condere. quò non libido nos traxit? etiam poſt ſcrupoſa aurium vulnera, calliblepharum vellerumque tincturas docet, patriamq; capillo vertere, acum etiam crinibus diſtinguendis, puluerem dentibus elimandis, & biſulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repaſtinandis. Neſcio dein quid ficti nitoris, coactique ruboris genis & labris admoueatur: & quidem in viris. quàm vellem æterna lege mutare cogerētur ſexum, quotquot placendi ſtudium per veſtium quærunt decorem, quotquot de gemmarum peregrinitate mulierum ſtuporem ædificare conantur! inde ignes, & non caſta fulmina. O nimis dignos feminâ viros! nec vno colore contenti, mil-

le in vno corpore ludunt, toties mutandi quoties mouentur. Quem credas animum in tanta varietate? vnum, an plures? Sanè cùm ab animorum imperio hæc proueniant, necessum illos non paucioribus votis, quàm vestes variegatas coloribus. In tanta verò varietate quæ constantia?

Crinium varius ornatus. Intuere capillum. quis credat in vno capite tot manus inerrare, tot ludere? quis ab vna tonsoris dextra tam variè effigiari? hic in verticem capillum reiicit, ille in frontem; iste in aures, in tempora alius; circumtonsum ille ostentat caput, assurgit in cristam alius; protenduntur in humeros non vni crines, vnaque interdùm auris vni integitur, caluescit altera, vtraque nonnunquam obducitur; post aurem deinde coguntur capilli; & in non paucis ante aures ludunt ventorum materies. sed & nihil propè in quibusdam capillorum, ita ad cutem rasi, vt nouaculam passos arbitrere, nisi quòd in fronte cristatos videas, reliqua capitis detonsi.

Numidas hîc videbis, veteres Sicambros, Germanos, Gallos, Afros, Dacos, Scythas, Longobardos, Gothos, Wandalos, Alanos, Parthos, Persas barba. non & Macedonas, Maurusios, Thraces, Hunnos, Abaros, Arabes, & quidquid vllo *Barbæ cultura.* sæculo è gente in barba lusit barbarũ, quidquid vbique stetit cultum? nam & plus nunc in barba, quàm in capillis luditur, forcipe, nouacula, pectine, speculo, calamistris, manibus, balneis, odoratis vnguentis. Huic labrum superius siluescit, huic hortescit & colitur. illi sub naribus ludunt capilli, erecti, vtrimque protensi, remissi, crispi, neglecti, in se reflexi & retorti, substernunturq; naribus tanquam prata rorem sitientia, inde os & labra integunt; quasi non satis sit semel bibisse, bibitur à barba. Prominet hæc aliis, vel in latum sparsa, vel in acumen coacta, vel in orbem tonsa; bifurcata aliis, aliis vt in ligonem acta. ad cutem non paucis derasa, vt radant etiam quidquid vbique in vultu capillorum est. credas nolle videri viros; ita inueste illis mentum, inuestes genæ, & feminâ dignæ. Nonnullis in solo superiore labro, aliis in mento

etiam

etiam tenues rarique ludunt capilli, vt ætatem mentiantur. Prolixior aliis barba in pectus fluit. nescio an non tota in barbam delapsa prudentia sit; adeò augustè spargitur. Et venerationem aliquam, fatebor promittere barbam, veterum Vrbis Senatorum exemplo. luxuriantes has barbarum segetes, messibus maturas & nouaculis meritò dixeris, nisi falcibus magis egere putes aut securibus, in tam densa silua & segete. Nulla dein dies abit aliis sine forcipe, speculo, pectine. quem etiam circumferunt nonnulli, vt si quid minùs compositum, aut à via deflexerit, docto reducant pectine. Miramur mulieres in crinali acu; magis viros in barbali pectine. nam & frequentiùs hi inerrant barbæ, quàm illæ vertici. adeò vt vix momentũ quibusdã liberum à barba; defatigatur hæc manibus, delassatq; manus. O nimis eruditos digitos! quot modis ludũt in re modica! mille si videas barbas, mille videas formas. ô nimiùm doctos figuli-barbos! & plura iam discrimina barbarum à forcipe, nouacula, manibus, quàm frontis & oris sunt. Vide dein impexos & intonsos, & veterem Chironem fingentes, aut illutibarbũ Marsyam. quibus omne propè cum Samsone robur in crine & barba, terror omnis, minæ omnes, veneratio omnis, prudentia denique omnis. nam mente omnes hi plerumque destituuntur. Nec contenti gentem suam imitari, per omnium eunt gentium barbas, vt in vna nunc gentes videas omnes. Barbatum ô nimis sæculum! quàm vereor, ne tota sæculi nostri sapientia defluat in barbas, ingenium omne, mens tota. Neque ego desiderari hîc quidquam posse video, quàm vt crinali muliebri puluere, virorum niuescant aut cinerescant barbæ, aut à veteri Roma volsellam mutuemur: quanquam nec ille, nec hæc desit in non paucis. Felices barbas tot modis studiisq; cultas! beati, si tantum venerationis, temporis, sudorumq; in Deum conferamus, quantum in has barbas. O vbi in Christiano nomine Christiana facta? qui tot frictiones, pectinationes, protrusiones, crispationes, flexiones, figu-

figulationes videat, non arbitretur totam horum Christianorum salutem in barba esse? Misera salus, quæ non vltrà barbam protenditur! infortunata fatuaque prudentia, quam sola barba nutrit, sola nouit, vt meritò è Satyra aliquis exclamet: O nimis barbatam prudentiam, nimis prudentem barbationem! nimis tenuibus circumscriptam terminis prudentiam, vnâ barbâ arctatam! quàm metuo, ne, si quis pectinem & forcipes admoueat, prudentes capras videat, prudentes inueniat.

Capitis integumentum varium.

Intuere dein capitis integumentum. quàm colore varium & formâ! largum, repandum; acutum, retusum; villosum, scabrum; leue, densum; tenue, molle, rigidum; limbis latè se spargentibus, recisis, mediis. inde quàm neglecto fune, quàm nullo, quàm diuite stringitur! integræ vrbes rarò ab vno fune pendent.

Iam quibus colla cinguntur laciniis! quàm variè ars in vna ceruice ludit! ô nimis doctæ acus libidini ancillantes! quantum vna circumfert ceruix! tegendo non rarò puero satis reperies, si explices. nunc arctantur, ac tanquam in contemptum artis implicãtur, ac quasi mutuò opes insepeliuntur. quàm variè dein exsurgunt, quàm variè iacent, quàm flectuntur in orbem scitè, quàm neglectim aliquãdo deuoluuntur, & in pectus cadunt, aut in humeros, aut magnam capitis partem tegunt, & subtrahunt oculis! nunc colli nuda protrudunt; nunc integram ceruicem nudant, humeros etiam & pectus prospectandũ tradunt. quasi non sat ignium frons, oculi, vultus iaculetur, petenda noua à ceruice, humeris, pectore fulmina & flammæ.

Vestis varia.

Vestes verò reliquæ nescio an tegant, sæpè ne pudorem quidem. discingunt thoracem, validè firmant; vbera ostentant, ventrem deprimunt, protrudunt, demittunt infra vmbilicum; vix pectus claudunt, ac nunc in orbem, nunc in acutum finiunt. claudunt vndique, secant vndique, quo validiùs ventum excludant, hauriant, & emittant; frigus arceant,

ceant, admittant; calorem emittant, hauriant. quanta manicarum deinde diſcrimina! laxæ, ſtrictæ, arcuatæ, in manum proiectæ, in brachium, tot nodis ſæpè fulgentibus, vt mutuò ſe fatigent; tot etiam liciis aſtrictæ, tot reflexis retortiſque, & in ſe recurrentibus ſuperſtructis, vt quaſi ad indignationem inuicem incumbentia videas, credas quærere quî prodigant.

Iam caligas ſi intuearis, videbis nunc infra genua pēdulas, nunc ſupra aſtrictas; nunc vix coxendicē tegentes, nunc implentes; non rarò autē fluidas, & ad inuidiam materiæ cōtuberatas, quæ corpori vniuerſo tegendo ſufficiant, vt totam braccatam Galliam in vnas migraſſe caligas Iuuenalis aliquis dicere non vereatur. nunc adeò tenaciter affixas, vt pudorem omnem proſtituant, nunc verò in ſummo protuberantes, nunc pari vtrimque laxitate, nunc etiam in innumera propè ſegmina diſſectas, diuite vbique ſubſtratâ materiâ tanquam per feneſtras ſpectatorem ſui in admirationem prouocante. in orbem deinde actas videbis, tot vndique in circuitum limbis pendulis varia arte intextis, vt dubitare poſſis perdere opes artifices voluerint, an contemptum illarum oſtentare, an onerare. tot verò etiam nodatas non infrequenter nodis, vt nodum vnum caligas credas, mutuò ſe interimentibus, totque gyrorum flexibus reflexibuſq; inuicem ſe ſecantibus, ac quaſi fugientibus, vt hortorum labyrinthos migraſſe in caligas credas; quin & mutuis ſuperſtructuris, tanquam ſi gemma gemmæ incumbat, ſe tam densè prementes, vt in mutuum interitum inædificatas arbitreris. Taceo aurum, quo tam fatuè ſæpè onerantur ac integuntur, vt inſepultas auro meritò dixeris. Quærimus nimirum, non quo inuoluamur, ſed quo opes proiiciamus. vſque adeò fortunas perdere magnum eſt. *Caligarum varietas.*

Subſtruuntur deinde tibialia tam variè, vt nullus calamus ſufficiat. Videbis ad tibias coacta, alibi neglectim pendula, tanquam in contemptum decoris; laxique adeò ambitus, vt *Tibialia varia.*

non tibiam vnam, ſed totum Caligulam induant; bina, ternaque etiam mutuò integentia, colorumq; varietate de venuſtate pugnantia. Subſtringuntur denique illa tam variè, tam nouè, vt quæ dixi nulla ſint ad hæc diſcrimina, tot ludentibus inter ſe nodis; nunc prementibus, nunc vltra etiam medias tibias pendulis, vt alas credas in volatum pedibus adnexas, aut admota molliora calcaria, aut amica ventis vela longè lateq; ſparſa: idque tam densè ſæpè, vt non vnam, ſed vtramque tibiam vincant; nec rarò tanto ſtudio neglecta, vt aut incurios arbitreris, aut fatuos, aut in riſum & cachinnum facta.

Calceorum varietas. Quid dicam de calceis? ô quales! cothurnos vincunt ſcenicos. eriguntur in poſteriore parte, & tenui orbiculo terram calcant. ita pudet pigetque integro calcare pede. vngue vix toto non rarò calcant: & aſſurgit cuique calcaneus pro voto mentiendæ ſtaturæ. ita ſe lubet & alios fallere. Variè deinde ſecantur, quo faciliùs aquam hauriant, effundant hauſtam. diſplicent nimirùm integri, & quo citiùs terantur, ſecare placet. faſtidio integritas eſt, & ad nouos parantur. Mirum ſi non gemmas cum Poppæa calcamus: nam argentum vile nunc feminarum calceis eſt, aurum expectamus. Auritos deinde vbi calceos videris, nihil vides, niſi innectantur aures mendaci roſa, quæ quo latiùs ſe diffundit, hoc gratior eſt.

Crepidæ, ocrea, calcaria in ornatum. Accedunt crepidæ medios nunc pedes tegentes, calceos medios. nefas ſit totos integere. iuuat à maioribus diſcedere, qui integros tegebant. Quid? quòd ocreatos habeas, & calcaribus armatos etiam in curribus & nauibus, & dum plateatim inambulant; nec equos cogitant, niſi lapides illis maria, & rhedæ pro equis ſint, vt calcaribus agantur. Iam etiam crepidas ſuas ocreæ repererunt, ſed & caligulas in nitorem & oſtentationem.

O viueret Perſius, quàm luderet in hos troſſulos! ô vanii quouſque tenetis miſeras mentes? quamdiu hæc fatua? tegendo

gendo vestis est, frigori pellendo. nos gloriæ & libidini vestimur. inuestes Paradiso viximus. vestiuit peccatum. quid extollimur pœnâ? aut quousque in honorem pœna? Induendi tamen sumus, sed castè, sed iniuriis pellendis. At quò mihi vestis nihil celatura? qua non dico vllum corpori auxilium, sed nullum pudori est? quò depexa arboribus vellera, mundatis aquarum aspergine foliis, in publicum vsum seueritatis damno admissum, ex quo ostententur potiùs corpora, quàm vestiantur? quæ primò feminis, nunc etiam viris, persuasit luxuriæ libido? quò tenera lanugo liquoris adminiculo depexa, iniuriis propulsandis? quò tot modis variegata, vt nulla auis tot ludat coloribus, quot vnius corporis vestis vna? quò tot in vno corpore spoliorum, quæ & æmulationem & odia prouocent? aut quæ gloria est plus de peccati pœna circumferre? Benè D. Thomas: *Qui gloriatur de veste, similis est glorianti de cauteriis: quia per peccatum Adæ vsus vestium introductus est.* Cauteria pellendis morbis, vestis pudori tegendo. ignorabat hanc innocentia, docuit peccatum. nam & nuditatem illa nesciebat, & vestem illi tegendæ repertam. Monet verò Sapiens: *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Altissimi.* Et quid magis fatuum, quàm in veste gloriari? quis laudãdum putet equum à diuite sella? quis asinum à frænis aureis? quis vitem à purpureis vinculis? Idem in homine cogita: nam quid corpori, quid animo largiantur vestes? vires, decorem, valetudinem bonam? acuuntne ingenium? maturant iudicium? firmant memoriam? inserunt virtutes, eruditionem, industriam, prudentiam? aut quid demum donant animo? minor sub paupere quàm sub diuite veste est, sanctior, benignior, fortior? aut maior animus in gemma, auro, purpura, quàm in sago & tenui lacerna est? Aut sapientiam largiuntur vestes, mentem castam, piam in Deum, in patriam, parentes; infractam in aduersis, moderatam in prosperis; in tristibus lætam, in lætis temperatam; in iniuriis patientem, remissam in vindi-

Vestis peccati pœna.

Fatua vestium gloriatio.

Eccli. 11.

cta, in beneficijs gratam? Quòd si nec corpori quidquam nec animo vestis donet, quid stultius, quàm illa gloriari, qua plures fatui, imbelles, timidi, ignaui, & sceleribus omnibus immersi, quàm prudentes, validi, generosi ac probi induuntur? ornatus ille extra hominem suum est; non tangit mentem, non ornat: sed & extra corpus suum est. Quod si decus omne suum à veste mutuetur, nullo domestico diues, miserum & infortunatum est, alieno non suo laudandum, tanquam si quis alienis se iactet opibus, viribus, eruditione.

Vana vestium gloriatio delicto non caret.

Quid? quòd vana hæc vestium cultura non absit à delicto. Gregorij verba sunt: *Nemo existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum non esse. quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset.* multò verò minùs de vestium splendore diuitem damnasset. non sequitur innocentiam damnatio. aliquid necessum mali sit, quod à Domino damnatur, cuius iudicia falli non possunt, non magis quàm fallere & mentiri. & de purpura tamen, & bysso, & de splendidioribus epulis diues damnatur. Ego si damnarem, quanti in hunc calamum insurgerent purpurati! damnat Dominus, non ego. & tamen, nisi nos purpura vestiat, aut pretiosior purpurâ vestis, negligi nos arbitramur, & inglorios viuere. Quàm pugnant inter se humana & diuina iudicia! &, cùm de æternitate agitur, quem sequemur præeuntem, monentem, minitantem, præmiantem? aut mendaciora diuina sunt iudicia, sponsiones, præmia? ditiora & certiora humana? Audiamus in re tota Cyprianum: *Ornamentorum & vestium insignia, & lenocinia fucorum, non nisi prostitutis & impudicis feminis congruunt.* Quod ille de feminis, ego magis etiam de viris, quibus minus in his omnibus licentiæ, periculum non minus, non inferiora damna.

A gentium variarum veste, ferè vitia sumuntur.

Et vt æterna seponam, quid sperat ille omnium propè gentium veste ornatus? aut quid præter earum vitia, sibi ab illa promittit? Prudentiæ opinionem? moderata vestis prudenden-

dentiam ſpondet: illa mille modis variegata, variegatum ingenium & varium, nec vlli certò affixum. Sperat conſtantię famam? non in tanto colorum rerumque luſu, ludibundum denunciat ingenium? & quid ſolidi firmique ſperes ab hac mente, quæ ſtare neſcit in vna veſte? mutabit nimirum cum veſte mentem, vt quot veſtium genera, tot illi animorum ſint: nec magis in reliquis illa ſtabit, quàm in veſte. Sperat fortitudinis nomen? imbellis & mollis animi ſignum mollior veſtis eſt. non ſolent mollibus veſtiri fortes, nec lenibus delectantur. fortia ſint neceſſum, quæ delectent fortes. in arduis, difficilibus, duris, aſperis, aduerſis ſedem ſibi fortitudo, per quæ creſceret, poſuit. Nemo roboratur mollibus. nec miles è puluillo & lecto generoſior ſurrexit. ex arboris trunco, ex ſuffoſſa rupe, è ſaxo puluinari, è ſpiſſatis pro tecto ramalibus, è frondibus pro cælatis laquearibus, è nuda denique humo validior exſurgit miles, qui victorias promittat & regna. Sperat fors è veſtium elegantia & nitore, compoſitæ & magnæ mentis opinionem? fallitur. nemo è capſula & ſpeculo prodeuntibus, nemo nitidis & lucentibus, quibus omnis feſtuca & puluis grauis eſt & moleſtus, ingenij magni laudem adſcribet. aliquid ſemper in veſte neglectus ingenia magna oſtendunt. tenuia tenuibus occupantur, magna magnis. Et feminam ſuam nimius nitor redolet, nimiaq; illa in veſte religioſitas ingenij quamdam maciem arguit. neque enim deſcendunt ad tam leuia, magna. delectatio à paribus venit. magnæ magnorum cogitationes ſunt, exiguæ paruorum. Sed & vilis cuiuſdam animi eſt, multas horas vilibus his dare, & magnam mentem, vno minorem Deo, tam leuibus detinere. Nihil de viro occupationes illæ habent, de femina plurimum, cuius ferè prudentia omnis in veſte eſt. Vbi ergo videris in nitore ſupra mediocritatem curioſum, & quaſi ad faſtidium elegantē, totum ingeniū in veſte cogita. habitat illud in curioſo illo nitore totum, minimum in capite eſt. effudit nimirum omnē ſapientiam in veſtem. alibi ne quære.

Mollis veſtis non dabit fortes viros.

Maxima ingenia feré veſtem negligunt.

Feminei ingenij, veſtium ornatus eſt.

Vestium sordes damnandæ, nisi in pœnam vltrò assumpta à virtute.

Non quòd sordes amem. ignauorum hæ sunt. & ferè animorum sordibus, nimiæ hæ vestium sordes. non sunt genuæ mentis, seruilis animi sunt. nec sunt erecti pectoris, sunt abiecti. nisi fòrs quis se ad has abiiciat, vt offenso Numini faciat satis; vt prodactæ per scelera saluti reformetur inlotus, sordulentus, in asperitudine sacci cum Ezechia, in cineris horrore cum Dauide, in castigatione victus cum Daniele. Nam quis in coccino & Tyrio pro delictis supplices tendat manus? in sacco & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, magnorum exemplis docemur; vt quæ peccauit anima, ieiuniis, lacrymis, suspiriis pœnas eluat sæculi alterius. ita Niniue peccatum inedia diluit, & exitium auertit: Achab etiam post necem Nabuthæ, in ieiunio & sacco minas & læsuram abduxit à diebus suis: & magnus ille Rex, dum potum fletu, panem cinere miscet, post ieiunia & humicubationes, audiri meruit. At nulla mihi mentio de voluntariis his corporis castigationibus, & spontaneis in delictorum expiationem sordibus, quibus nobilissimos Eremi cultores ad summa conscendisse sanctitatis fastigia accepimus. de veste mihi sermo, qua singuli vulgò vtimur: in qua moderatio semper & modestia laudata, ac infra etiam genus aut maiorum nomina, vestium pompa. moderati enim animi, serij, sedati, compositi, prouidi signa è modesto ac modico cultu elicimus. solet enim ille hominem suum loqui. ita ferè, quo quisque maior, prudentior, maturior, hoc in veste modestior est. Laudatus in hac re Augustus, de quo illud Suetonij: *Nunquam thoro cubuisse, nisi humili, & modicè strato: veste non alia, quàm domestica vsus est, ab vxore, sorore, filia, neptibúsque confecta*. De Epaminonda illud proditum: *Vnica veste contentus, si quando vetustate collapsam resarcire opus foret, domi clausum se tenebat*. De Lysandro verò, submissam sibi à Dionysio Siculo pretiosam vestem, non admisisse. De Seuero Spartianus: *Tam exiguis vestibus vsus est, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, cùm hirta chlamyde humeros velaret.*

De

De Tacito Vopiscus, *Togis & tunicis iisdem est vsus quibus priuatus.* & quod magis mireris in Imperatore, *vxorem gemmis vti non est passus.* Magnum, sustulisse in vxore muliebris gloriæ instrumenta, quæ feminarum stuporem inædificare consueuerunt. viderat in non vnius Imperatricis vertice saltus & insulas ludentes, ab alterius auribus integrum imperatoriũ kalendarium dependisse, in digitis etiam & pedibus prouincias & regna integra inerrasse. damnauit in vxore hæc prodiga regnorum dispendia, libidinumque incitamenta, quæ de propinquo luxuriæ curant negotium, obstrepunt pudicitiæ disciplinis, castimoniam prostituunt. nam dum tenera ceruix, frons, capilli, aures per gemmas ignes iaculantur, incalescunt animi, mutuisque concidunt vulneribus. Et quæ non mulier mutuo hoc formæ & gemmarum lenocinio periclitari doceat viros? quæ verò non periclitetur, cùm tot fulminibus, quot virorum percutitur oculis? Sustulit pericula, & vxoria hæc naufragia Imperator, cùm gemmarum omnem ornatum vetuit. magis etiam sibi inornatam placituram, quia soli, quàm ornatam, quia multis. putabatque non esse prudentis viri, ea vxori concedere quæ alienos prouocarent oculos. sat ignium inornatam circumferre. stultum esse ab aliis nouos mutuari, ni prostituere vltrò cum gemmis vxorem voles, aut tanquam suspensâ hederâ venalitiam castimoniam prodere. Addit ad superiora Vopiscus: *Holosericam vestem viris omnibus interdixit.* idemque de Aureliano: *Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri vtendam dedit.*

Scio non defuisse Principes Regesque, qui regna propè vestibus circumferrent. Deerat illis, quo suorum in se venerationem excitarent; deerant virtutes, quæ admirationem elicerent; deerant facta fortia, quæ laudem prouocarent; deerat prudentia, qua in amorem raperent; deerat potentia, qua timerentur. à vestium magnifico splendore, ab auro & gemmis mutuare hæc voluerunt, & illarum luce ac opibus, suo-

A vestibus venerationem venantur, qui à virtute non possunt.

ſuorum aliorumq; animos admirabundos & venerabundos tenere. ita ferè imbellia fortiùs armamus, inuenuſta auguſtiùs ornamus, inſipida denſiùs dulcoramus. at quæ decorem ex ſe habent, fruſtra ab aliis mutuantur, nequidquam ſapida dulcorem ab aliis, fortia vires ab aliis, domeſtico decore, dulcore, viribus contenta. Signum proinde puſilli eſt, & internis ornamentis deſtitui, è veſtium vario ornatu cultum & obſequia ſperare. & neſcio quid barbarum ſonet. Romani ſanè veteres, & à quibus omnis illi vrbi gloria, modeſtiſſimè induebantur. tenuit hic modus in Auguſtum vſque. inde veſtium luxus, & in illo Reipublicæ illius magnæ ruina. Nazianzenus in hac re benè: *Nos mollibus & circumfluentibus veſtibus, panniſque ex tenuiſſimo lino & ſerico contextis deliciamur, in quibus ineptimus potiùs, quàm ſplendorem nobis conciliamus.* In omnem ætatem & ſæculum dixit. propiùs etiam in noſtram, in qua nullus opulentiæ modus, nulla dignitatum à veſte diſcrimina, nulla annorum.

Veſtium odoramenta mollis animi ſigna. Nec contenti quidam veſtium apparatu, odoramenta addunt, ab vltimis terrarum delata. de quibus illud Chryſoſtomi: *Corporis fragrantia arguit intus latere animum graueolentem & immundum.* & illud Hieronymi: *Odoris ſuauitas, & diuerſa thymiamata, & amomum, & muſcus, & peregrini muris pellicula, quòd diſſolutis & amatoribus conueniant, nemo niſi diſſolutus negat.* Ego ſanè peregrinorum horum odoramentorum cauſſam nullam reperio, niſi pædorum & ſordium. Hinc, quibus anima grauis, aut purulentum corpus, aut feminea contagio, pro medicamento odor eſt, & eo potentior, quò malum grauius, quò maiore mendacio ægritudinē tegant: ne fide, quin magis ſuſpectas has habe odoratas alieni corporis exuuias. metue etiam, ne quid allabatur malignitatis. Vt enim ferè venena ſub electibilibus propinantur, ita ſub odoratis noxia afflantur. Nec in ſolis minis ſtat hoc malum, effunditur in alium, & de vicinitate pericula creat & damna, nulla ſæpè arte reparanda.

C A-

CAPVT XVI.

Quis modus in secundis, quis in aduersis tenendus?

SECVNDÆ res atrocioribus longè stimulis, quàm aduersæ explorant: miserias enim toleranius, felicitate corrumpimur. quot enim magnos cetera exercituum ductores, cùm victoriis orbem lustrassent, secunda insolescere docuerunt! Vt non vereatur prorumpere in hæc Stoicus: *Magnum exemplum Mæcenas Romanæ eloquentiæ daturus, nisi eum eneruasset felicitas, imò castrasset*. Vt ausim dicere, illũ, qui prosperis fractus non est, non frangendum aduersis. ita faciliùs indurescimus in arduis: secunda rectum auferunt. sic aues & pisces spe aliqua oblectante decipimus, mentimur pabulum & fraudem. Facit idem fortuna: munera ostentat, insidiæ sunt. vt benè monuerit, qui dixit: *Quisquis nostrûm tutam agere vitam volet, quàm plurimùm potest viscata fortunæ beneficia deuitet. in quibus hoc miserrimum, fallimur; habere putamus, habemur.* & in præcipitia deducimur, imò per illa. Ne fide, adeoq; suspecta habe hæc. nouacula sub hac spongia latet, vincula sub hoc reti. Quanti è summa felicitate, è purpura & sceptro, ad vltima miseriarum deuenerint, ignorare non possumus. Vbi proinde videris vota fortunam superare, aduersa cogita; cùm indiuiduo ferè hæc nexu iuncta sint; animumque secundis obsessum, aduersantibus para. Neque longa plurimùm mora, cùm felicitatis ferè vestigiis hostilia insistant: vt in perpetuo esse metu debeat nimia felicitas. Non securus ergo hac fruetur, cui obuenerit: sed timidè pertractabit; nec aliter, quàm electibiles cibos veneno temperatos. occurret vetus illud: *Timeo Danaos, & dona ferentes*: magis etiam fortunę vicissitudines & ludos in opibus, vita, sanguine. Fontem narrant, qui ter in die statis auctibus diminutionibusq; magno fidentium damno mutatur. ac minùs fidendum fortunæ,

Non est fidendum secundis.

Timidè per prospera cundũ.

quæ non certis dimenſiſq; momentis, deprimitur, & extollitur; ſubtrahitur, & oſtentatur; ſed nullo propè momento, pedem ſtabili loco figit. Hîc ſpargit honores, opes, gratiam; ibi excutit. è quibus quædam inter diripientium manus pereunt, quædam infida ſocietate diuiduntur, alia non ſine ſanguine parantur, quædam etiam poſſeſſore carent. Hinc illud Stoici: *Prudentiſſimus quiſque cùm primùm induci videt munuſcula, à theatro fugit, ſcit magno parua conſtare.* Quid aliud hic mundus, quàm magnum quoddam theatrum, in cuius proſcenio fortuna actores inducit; Reges, Principes, diuites, nobiles, ſeruos, ignobiles, pauperes, & genus omne hominum? reducit eadem, quæ deduxit cortinam fortuna, & ad primam conditionem redeunt omnes, ad primum parentem Deum, nulla prærogatiua theatralis diadematis & purpuræ, nullo præiudicio ſagi & paſtoralis peræ. Luſit in hanc rem Petronius:

Grex agit in ſcena mimum, Pater ille vocatur,
Filius hic; nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Quid faciet ergo vir fortis in tam dubiis? initia eorum omnium, non exitum ſpectabit. illa in poteſtate noſtra ſunt; de euentu ferè fortuna iudicat. in illis prudentia & cautione opus, & conſilio maturo: euentus non rarò à fortuitis pendet, quæ nullâ prudentiâ præcaueri poſſunt: vt non niſi ſtolidum ſit, de prudentia ab euentu iudicium ferre. neque ideò minùs ſapiens eſt, quòd euentus initijs minùs reſpondeant; minùs felix eſſe poteſt, cùm felicitas plus ferè imprudentiæ, quàm prudentiæ famuletur.

Neutri fortunæ ſe credet vir fortis.

Neutri verò fortunæ ſe ſubmittet vir fortis, vtrâque maior, vtrâque valentior; vt vtramque in partem ſuam deducat, in colorem ſuum vertat; cùm beatæ ac miſeræ vitæ vnuſquiſque ſibi cauſſa ſit. Intrepidus proinde ac imperturbatus inter vtramque ſtabit, nec attolli ſe ab illis permittet, nec deprimi,

primi, asperis blandisque iuxtà inuictus. Si arriserit illa, memor erit minarum, & sollicitus missilia expectabit: si in sinum quasi dormienti dona effuderit, excipiet cum tremore, & discet pari facilitate sinum effundere, qua expandere. scit enim solutam legibus fortunam, humanis imperare. Arbusta frugifera, seges cana, temulenta vindemia, fortuito imbri cæduntur, grandine corrumpuntur. Et non in tempestates, hibernis maiores, agitur æstiua tranquillitas? & non sine hoste sæpè patimur hostilia, & cladis caussas, si aliæ deficiát, nimia sibi felicitas inuenit? Iam, quoties nox vna, hora vna interfuit inter vrbem maximam, & nullam; audeo dicere, inter validissimum regnum, & nullum? vt longam moram dederit, qui diem dedit medium inter sceptrum & aliena genua, purpuram & securim. hora vna mutationi huic suffecit. inter Seianum & vncum quantum interfuit? Esset fors aliquid solatij in tanta fortunæ volubilitate, si ea celeritate repararentur perdita, qua perduntur: nunc incrementa lentè exeunt, properatur in damnum. & fors ferenda lentitudo, si sperari meliora possent; nunc ferè damna æterna sunt: quæ si præuideas, consiliis auertas. at tam volubili orbe circumagimur, vt deliberationi plerumque locus nullus sit.

Firmabis verò inter hæc animum, si in plenum fortunam cogitaueris, si quidquid vllo sæculo aliis, euenire posse tibi cogitaueris: si ad omnem illius ictum pectus armaueris: si nautarum more, quo maior malacia, hoc te maior venturæ tempestatis cura tenuerit: si quo plùs illa te extulerit, hoc te depresseris magis: quoque ad maiora & supra reliquos euexerit, hoc te infra reliquos demiseris. Venerantur alij in te magnitudinem, & clarum terris nomen? tu tanto submissiùs te habe, quanto illi te efferunt magis. Laudant? damnare crede. nemo prudens in os laudat. Damnant? tu etiam magis. Quoq; plùs tibi blandita fortuna fuerit, hoc plus aliis indulge. amicitias ac beneuolentias illorum vltrò venare, ac

In prosperis aduersa cogitanda.

Quomodò se habere debeat in secundis vir prudens.

vbicunque potes beneficiis tibi obstrictos tene:&,cùm maximè deuinxeris,non agnosce. Mentionem illi iniiciunt? tu surda aure transi,aut magnitudinem deprime, maioraq; beneficiis merita illorum extolle: maiora etiam spondè, si qua maior fortuna accesserit. His qui te generis claritate superant,dignitatibus tamen & opibus inferiores, dignius latus tribue. non permittent? conare. conatus in laude erit.& plus verborum factorumq; oblatâ prærogatiuâ, quàm cuiuscunque magnitudinis ostentatione consequêris. Quòd si eò honores creuerint & opes, vt cum primis certare possis, primorum,qui latè genus spargunt, te tuosque affinitatibus robora: nec opes illorum metire,sed genus.

Beneuolus sit in omnes. In omnes deinde, etiam ex infima plebe,beneuolentiam effunde; vt & domus & aures tuæ pateant omnibus. quòd si auxilia deposcant,largire,si potes, si merita respondeant; sin minùs,benignè dimitte. doce, quid sperare debeant; quid possint. operamque in primis dabis, vt, si qua tibi vxor, si qua soboles, veteris fortunæ memores,nullis se genere maioribus anteferant: oblatumque dignius latus excutiant: etiam inferioribus potiora largiantur: beneuolentiâ verò nulli concedant, vincant omnes: varios etiam è plebe obstrictos teneant;eos in primis,quos lingua & manu promptos deprehenderint. parandi nimirùm in omnem fortunam amici,qui & plus audeant,& possint,& quos nullus metus aut verecundia terreat.

Neminem offendat. Omne deinde studium in eo sit,ne quem offendas. Offendit te aliquis? ne fatere, & beneficium etiam, si potes, repende: si non potes, vulnus tege. *Offensam dissimulet.* intercurrunt commiseratores,qui aut conditionem, aut innocentiã tuam defleant, hostium conatus damnent; tu innocentiam tuam testare, neminem damna. reiice, si qua iniuria accepta, in iudiciorum diuersitatem, rerumq; ignorationem. Prolixè deinde ostende,non credere te, venisse ab hac aut illa manu vulnus. reiice deinde in prouidẽtiam diuinam, peccatorum tuorum

pœ-

pœnam, virtutis exercitationē, meriti augmentum. ac inter humana, pro solatio habe, secunda ex aduersis, vt ex aduersis secunda nasci. Occultat vtrorumque semina Deus; & plerumque bonorum malorumque caussæ sub diuersa specie latent. Meliora proinde tibi promitte. Non attingis cogitatione meliora? cogita quàm multa non expectata venerint: quā multa expectata fefellerint. Quis credidisset, lapidibus destinatam Susannam eripi potuisse; quis Petrum carceribus; quis Babyloniis ignibus fratres? At fòrs deteriora euenient: fòrs non euenient: fortè etiam meliora. interim dum peiora non sentis, meliora propone. Quot orbe toto naufragiis suis superfuere! quot iudici, tortori, victori! quoties post inopiam diuitiæ affluxerunt, post morbos valetudō, post mœrores gaudia, post dolores solatia, post amara dulcia, post vniuersum nauseantis fortunæ vomitum, læta & sceptris proxima! Spe ergo meliorum animum pasce. Abscissa spes omnis periturorum est? non erit æternorum. ad hanc ianua patet, & strata cuicunque via est. cui soli si intenderis animum, pulsari hîc poteris, vinci non poteris. & quod de monocerote, *Interimi potest, capi non potest*, dictum de viro forti puta. Obrui & insepeliri aduersis, tanquam montibus, potest; stabit tamen animo interritus, corpore fatiscente; & licet succiderint genua, mens stabit; & in ipsa expressione, cùm de oppanso corporis erumpit in apertam suam lucem, adhuc pendula de hospitio suo, audebit pronocare fortunam. Nihil dico de carne immortalitatis illius serua, quam scio fortunæ imperio subiacere. At viri fortis animus solo Deo minor, ridebit fatuam donorum fortunæ erogationē, & vnguem ostentabit minanti. sentiet, non nego: sed sciet, se parua tolerare, cùm recordatus fuerit, quid biberit in cruce qui inuitat ad cælum, & futuræ immortalitatis se spe solabitur. Vulnera fòrs referet corpore, sanguinem sparget? prior Christus tulit, prior sparsit. animus tamen vulnera nesciet, nesciet sanguinē: imò gloriæ suæ primā partem in vul-

Aeternorū cogitatione animus armandus.

Viri fortis conditio in aduersis.

 nere

nere ponet & sanguine, memor veteris dicti:

Namque in corpore fortium virorum
Laus est amplior, amplior cicatrix.

Magis etiam memor Christi sui, cuius summa laus & gloria à vulnere & sanguine est. memor etiam illius: *Maximum remedium est interioris hominis, si in hac area mundi variis passionum flagellis trituretur exterior.*

CAPVT XVII.

Quis modus tenendus in detractionibus, & accepta iniuria?

A detractoribus nemo liber.

NEMO hac caruit. Cato sanè princeps Porciæ gentis, Senator optimus, optimus imperator, orator optimus, quater & quadragies caussam dixit, diuersis odiorum simultatibus appetitus. semper absolutus. Scipio Carthagine & Africa sua maior, vix in calumnia stetit, & dolo veriùs delusit, quàm virtute. Camillum exulem ni vidisset Roma, periisset. Parua hæc sunt. Quis inter Christianos magnorũ, non retulit vulnera ab hoc morsu? quis non venena ab hac vipera? & Christus ipse non audit *Samaritanus, Dæmonium habes, vini potator, populi seductor?* Et quis vllo sæculo non proximus aliquando stetit huic igni? quem non ambussit hæc flamma? quæ subiti ferè fulminis more validissimum opprimit, ceteris metum incutit, paremq; passo tristitiam facit, pati potuisse, & posse. Et imitatur detractio fulmen, quod improuidum & imparatum antè perimit, quàm periculum denunciet; quodque firmissima ferè impetit, vilissima & humi serpentia negligit; quod non contentũ vulnere, ipsa emedullat ossa; & quidquid erat sanguinis boni, improbo æstu suo decoquit. cumque in bonos omnes magnosque detractio feratur, tum in optimos quosque sæuit magis, crescente cum magnitudine veneno. vt propè signum viri sit aut magni, aut

Detractio ferè in optimos incurrit.

ad magna nati, pati detrahentium linguas. Nam cùm detractio ferè ab æmulatione proficiscatur, solaq; magnitudo, aut parta, aut sperata, æmulationum materia sit; fit, vt in magnos exsurgant hæ linguæ, ac non nisi in tales venena iaculentur. magnitudinem enim alienam famamque, cùm dedecus suum æmulus existimet, exsurgit in aduersarium: quem si improuida densaque linguæ grandine, tanquam saxeo imbre, obruere antè non potest quàm periculum senserit; flexuosa calumniarũ fraude circumretit, aut scorpionũ more, cùm vultu luserit, de postumo corporis verberat; eo acriùs, quo incautiùs, vt vulnus simul & virus, quà figit, effundat, quod properat in viscera. vnde fit, vt inexpectato vulnere, maximi sępè animi sanguis antè gelascat, & generosi celsorũ pectorum spiritus torpescant, quàm prouideri malo, aut vllâ prudentiâ occurri possit. Narrant Historici, Arabicas paludes pennatorum anguium mittere examina, quorum tam certum virus sit, vt morsum antè mors quàm dolor sequatur. Idem frequenter in detractionibus vsu venit. antè insepulti iacent his malis multi, quàm timere didicerint. Narrat Solinus Indicas balenas vltra nauium antennas se extollere, haustosque fluctus ita eructare, vt nimbosa colluuie plerumque pacatissimè nauigantium alueos insperatò deprimant. Eadem in detractoribus habes, qui ferè in fortunatissimos vectores insurgunt, & improba oris ac calamorũ alluuie, in medio felicissimi cursus, alia omnia cogitantes desorbent. Quid agas in tam subitis? antè animus armandus. nihil inopinatum accidit cogitanti omnia euenire posse. parabit ergo pectus: & prudentis gubernatoris exemplo, quo maior malacia, hoc inuigilabit magis. sic enim ille non timebit *præcipitem Africum decertantem Aquilonibus, non tabiem Noti:* antè nimirùm prospexit. Imitabitur vir sapiens: & frequenti meditatione firmabit animum, & dicet, æmulam magnorum detractionem esse: quo fiet, vt, cùm nihil inexpectatum eueniat, nihil de firmę mentis statione excutiat. præcogitati enim

Quomodo se armare in detractionem debeat vir fortis.

enim mali, mollis sensus est. nullus erit, si amauerit etiam malum, & tanquam bene-merendi materiam exspectauerit, & exosculatus fuerit hanc messem cælo inuehendam, hanc vindemiam Dominicis cellis inferendam. Exuatur dignitatibus: non exuetur Deo. Exulet patria: non exulabit cælo. Spolietur opibus: non expoliabitur æternis. Excidat Principum gratia: non excidet Dei. Obiicietur hostibus? inueniet protectorem Deum. Damnabitur? absoluetur Deo iudice. Contemptus iacebit? exsurget cælo. In ignauo otio vitam trahet? beatum otium Deo dicatum. Odio laborabit? nesciunt odia cæli, amare sciunt. Conuiciis proscindetur? laudes manebunt cælo. Inter plebeios numerabitur? Principes sunt quotquot cælis clauduntur. Ingloriam vitam ducet? nulla talis cælo est. Seruire cogetur? famulatus est Christus, & beatus ille, qui Deo suo ancillatur. Verbera perferet? ex hoc semine fæcunda cælo arbor nascitur. Sanguinem profundet? nulla certior cæli clauis Christiano sanguine. Flammis addicetur? maior cælestis est; extinguet maior minorem. Subiicietur tormentis? nil sentit corpus in neruo, cùm animus in cælo est. Infami morte miseram vitam signabit? non moritur, qui cælo viuit. Qui animum ergo antè parauerit, videritque nullum virum bonum inuulneratum à detractoribus fuisse, optabit magis cum bonis criminationibus sordidari, quàm cum improbis falsis laudibus honestari: eligetq; cum Christo suo audire, *Dæmonium habes*; quàm cum Herode, *Dei voces, & non hominis*.

Per contemptum, victoria à detractione speranda.

Contemne dein hæc linguarum calamorumque vulnera, & vinces. nullum illæ lædunt, nisi volentem. Et quid verba, quid calami possunt animo Deo & sibi innixo? quod grando tectis, quod fluctus rupibus, hoc calumnia potest, cùm in virum inciderit. time: vulnus dabit. fuge: liuorem exspecta. deprecare: calcabit. calumniam calumnia pelle: quid sordibus sordes eluis? insidias insidiis lude: metum facies. In solo contemptu certa victoria est. nullius proinde tam im-

improba & effera in calumniando nequitia sit, vt vel minimo motu digna sit, cùm omnis calumnia fœtulentæ similis cloacæ sit, quæ quo plus mota, plus fœtida est. Vis vincere, hostem frangere, triumphum de inimico agere? contemne. vis illum mœroribus exedi? ride. vis indignationibus lancinari? nec verbo dignare. vis supplicem? beneficiis cumula.

Sed quis non exacerbescat, cùm viderit virtutum nitorem criminationibus sordidari? falleris. decoratur. Intùs omnis illi decor est, licèt exterior homo linguarum sordibus maculetur. At durum est, tot pungentibus linguis, tanquam hamis, optimos quosque inuncari. erras. nemo capitur, nisi qui vltrò se induit vinculis. Graue est, viros magnos, luce dignissimos, densâ linguarum nebulâ obductos, cum tenebris colluctari. quinimò, delationibus in lucem & diem proferuntur, qui insepulti noctibus iacebant. Miserum est, adeò infelicem esse humanam conditionem, vt delatorum classis secundo vndique vento fluctibus impauida feratur, ac in varios scopulos optimos quosque deferat. fuit hoc aliquando, sub non vno Principe. at nullus scopulus viro bono, saxum est. mollescit omne saxum amanti Deum, & gratus illi locus omnis est, in quo fruitur Deo, nec solitudo vlla est, quam vestit & ornat Deus. cælum denique illi pro saxo & rupe est. horrorem loci, innocentia, & mens sibi conscia recti, & Deus, qui hunc militem suum tali sacramento consignauit, mitigat. Ingeminent linguæ plagas. eloquia illi Dei super mella & fauos, indè robur & medicamenta haurit. Minas intentant? at lacte & melle promissio Dei manat. hac innocentia fruitur. Mortem accersunt? si pro innocua mente, beatus; magis si pro Deo suo, Christo suo. vulnera enim & mortem, corona & gloria tegunt. Iam, cùm sciamus capillorum etiam nostrorum apud Deum regestum esse numerum, nec sine emolumento casuros in terram, repromittente eodem, quid veremur? Aut arbitramur calumniam sine Numine fieri? adducit Deus agonis nostri præses, artes & disciplinas

Decoratur detractionibus vir fortis.

nas suas in medium, in hoc sæculi spatium, in spectaculum hominibus & Angelis; carnemq; & animam probat de constantia & tolerantia, vt det huic palmam, illi honorem.

Sperata cæli præmia calumniam mitigant.

Et quid queri potes de calumnia, cùm maiora te cælo maneant præmia? quid de iniuria, quam centuplâ æternâ fœneratione compensat Deus? aut si renuntias luctæ, num renuntiare vis præmio? nam quæ hæc iustitia esset, quæ verecundia, prẹmia sperare, laborem repellere? Non à primordio innocentia patitur? Volue historias. vide carceres, vincula, flagella, saxa, secures, ignes, cruces. vide deinde victoribus repromitti, nunc arborem vitæ, & mortis veniam secundæ, nunc latens manna cum calculo candido, nunc ferreæ virgæ potestatem, stellæ matutinæ claritatem, nunc albam vestiri, nec deleri de libro vitæ, & columnam fieri in Dei templo, & Ierusalem cælesti inscribi, & residere denique cum Domino in throno illius. Quibus putas hæc promitti? non illorum victoriæ, quorum pugnæ? illorum præmia, quorum sudores, sanguis, vulnera, liuores? hinc illud: *Si dedecoramini in nomine Christi, beati.* Quo nomine exultantes videmus Apostolos, qui scirent mercedem plurimã repositam esse in cælo. In nos quoque, vt in hereditarios discipulos, Apostolici seminis frutices, eadem cadent præmia, si antecesserit labor: pares enim præmiis, qui laboribus sunt. Quid hîc times? ascensum hunc arduum & imperuium antè, complanauit vestigiis suis Dominus. sequere ducem miles. Tot puellorum puellarumq; millia calcarunt hanc semitam: tu vir non poteris? etiam signarunt sanguine. Et quid magnũ est nunc sanguine litare? prior litauit Christus. turpe militi non sequi ducem. Nec tamen ad sanguinem nunc prouoco: mollior detractionum pugna est, quæ vix supremam cutem ferit. ac ne ferit quidem, si contempseris. sin altè in animum demiseris, non calumnia, sed vulnus est. Illud etiam cogita, plus gloriæ tibi accedere & admirationis, etiam apud sæculum, si in plenum contempseris, quàm damni ex calumnia. Ne-

que

que vlla re magis testatam facies innocentiam, quàm contemptu & neglectu. Vt dictum verè sit: *Spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur.* & alibi: *Conuicio non respondere, conuicium est.* Nec conuicium vllum maius est, quàm neglectu indignum ostendere cui respondeatur.

Arce tamen à te, & à contubernio tuo, detractionibus assuetos: & quos in hac palæstra exercitatos repereris, familiaritate exclude. faciant hoc omnes, & deerunt detractores: postquam enim desierint qui audiant, qui detrahant non erunt. Obstrue ergo aures detractoribus, & incipient benè loqui qui detrahebant. Nam cùm malè loqui non permittantur, nec frænare linguam valeant, benè loqui discent: aut, vt quàm minimum, obstructo aditu, quiescent. Hoc verò magis etiam arcendi, quòd nulli minùs quàm audienti parcent. semel enim per calumniarum vitia, tanquam oleo macerati, quærunt in quem virus euomant, homines ad obloquendum prompti, ad seditiones in quamcunque partem parati, ad functiones præferuidi, in conuiciis seminandis felices, in alendis simultatibus, odiis, æmulationibus constantes, quibus honesta inhonesta, proba improba, pro eodem sunt. Omnium verò maximè, quòd detractio plerumq; non vnum, sed plures feriat, cùm vnius dedecus vniuersam familiam deuenustet. & quo quis sanguine, familia, necessitudine, amicitia vicinior est, eo plus de flamma concipit. quòd si in virum Religiosæ alicuius familiæ inciderit, totam amburit. inest enim hæc vis malis moribus, vt multitudinis innocentiam vnius deuenustet crimen: cùm è diuerso multorum probitas vnius detergere flagitium non valeat. ea nimirùm in humanis vitiorum, non virtutum, communicatio est.

Arcendi à contubernio detractores.

CAPVT XVIII.

Quid faciendum in adulationibus?

Nunquam credendum adulatori.

NIHIL credendum in os laudanti, nisi vt hostem credas hunc laudatorem. hostilia enim sunt, præsentem laudare, damnare absentem: coràm dicta factaque probare; improbare, vbi absis. tanquam si quis alterâ manu sudorem detergat, alterâ vulnus imprimat; alterâ demulceat, venenet alterâ. Hæc scimus, & patimur interim adulatores, & quidquid in nos adulatio sine pudore congerit, tanquam debitum pendimus; optimos nos, sapientissimos, eruditissimos, maximos affirmantibus assentimur, cùm sciamus mentiri. nec modicâ laude contenti, maiorem venamur. non faceremus, si ex nobis nascentibus contenti, conscientiâ nos nostrâ tutaremur. nunc cùm domestica desint, in honorem plerosque nostrum mentientes, auidissimè excipimus. non ambiremus aliena, nisi deessent nostra. Certè nihil minus conuenire, quàm blandientium turbam; animis ad magna properantibus, nemo non videt: cùm illa magnitudinis quodam odio, generosiores conatus magis retrahat, quàm protrudat. Prudenter in hac re ad Pisonem Galba: *Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique vtilitas. & ego, & tu simplicißimè inter nos hodie loquimur, cæteri lubentiùs cum fortuna nostra, quàm nobiscum. Nam suadere Principi quod oporteat, multi laboris: assentatio circa Principem quomodocunque sine affectu peragitur.* Vera nimis. vbi Principatum adeptus fueris, comes coronæ adulatio subintrabit. aderunt passim, quibus omnia Principum, honesta atque inhonesta, proba ac improba laudare mos est; aderunt, qui fallacibus blanditiis, osculis, amplexibus odia velare didicerunt. quin adeò, qui in illam diem innoxiæ fuerunt bonitatis, simulare discent, mentiri, fallere, adulatoria humilitate captare, mente

Pessimum veri affectus venenum adulatio.

Principem ferè adulatio comitatur.

te aliud velle, vultu aliud polliceri, cùm his moribus viam ſibi ad magna ſterni viderint. cùm enim candore verborum, factorumque ſimplicitate nihil ſibi reliquum ſenſerint, conuertentur ad inſidias, vt, quod virtuti negatum, fraudibus conſequantur. Iam, ſua quemque vtilitas quò non, etiam magnos, propellit? ingens vis; ac neſcio, an alia maior: vt obliuionem quandam virtutis inducat, vbi viderint aut hac eundum ſemitâ, aut aliâ excludendos. perpauci enim ſunt, quos ſola veri ratio tenet. ſeuerior hæc eſt; ac licet ſolido mentem gaudio afficiat, blandimento caret. Quòd ſi non deſint Principes, ſolidarum virtutum, ac ſeuerioris conſtantiæ amatores, non deerunt qui toto pectore talibus incumbent, cùm præmia ſinceritati parari viderint, & conſtantiæ mercedem ſuam ſtare. nunc cùm videant, quo quiſque promptius in adulationes ingenium tulerit, hoc ad maiora prouehi, induunt hos mores. neque Principibus iam, ſed Principum fortunæ inſeruiunt; cum hac loquuntur, huic conſilia largiuntur. ita fit, vt nemo ſuadeat quod decet. Principis enim frontem intuentur ac in quam ille partem, in hanc ſe prono corpore propellunt. iuſtum nimirùm probumq; illis, quod iuſtum probumque Princeps iudicauerit. dum enim placere ſtudent, offendereq; verentur, in ſententiam illius eunt omnes. non facerent, ſi Principem, non fortunam illius, amarent: aut, ſi plùs virtuti, quàm commodis ſuis ſtuderent: ſi maiora à Deo, quàm à Principe ſperarent. nunc præſentium amore, æternorum obliuiſcuntur.

Fateor laboris plurimum eſſe, ſuadere Principi quod oporteat, quod ratio, quod æquitas, quod ſperata æternitas poſtulat, cùm Principum perpauci extra ſe nata admittant conſilia. ea tamen moderatio adhiberi, ea in dicendo & conſulendo modeſtia poteſt, vt & integra ſit veneratio, nec docere videamur velle, nec ſententiam noſtram illius præferre, ſed ſolius amore Principis duci. Veſtiri proinde tot moderantibus ſententia noſtra poteſt, tot etiam viam præſternen- *Conſilia Principi danda ab adulatione aliena.*

tibus, tot in mitigationem sequentibus, vt & offensionem vitemus, & ex fide consulamus.

Quomodo se habere debeat vir fortis inter Principis minas.

Quòd si periculum consulenti ex fide immineat; hîc animis opus est, & infracto pectore, quod nec dignitatum frustrationes, nec exilia, nec indignatio, nec mors ipsa terreat. Hic ille locus, in quo dicere vir fortis potest: Cadere possum, à vero & recto flecti non possum. non me minæ, non tormenta terrent peritura; terrent æterna. Obsequendum Principi; si illi possum, & Deo. at, si in illum locum reductus fuero, vt alterutri renunciandũ sit, renuntiabo Principi. Pœnæ proponuntur sæculi huius, & futuri? amplectar huius. Præmia inuitant, mundi, & cæli? deligam cæli. Indignatio terret Principis, & Dei? negligam Principis. Possum hîc numerari inter magnos, si assentiar Principi. melius est adhærere Deo, vt numerer inter cælorum magnos. Destituar hîc omnibus, si non paruero Principi? consultius hîc destitui, quàm æternũ. Spoliabor fortunis? non spolier cælo. Censebor inter plebeios? factum ab Apostolis, à veteri Synagoga. Exuar dignitatibus? summa dignitas est seruire Deo. Excludar aulâ? optatius aulâ excludi, quàm cælo. Excidam Principis gratiâ? non excidam Dei. Inglorius hîc viuam? stulta mundi elegit Deus. Moriendum erit? non dixi, me mori non posse; dixi, à recto, à vero flecti non posse. Hæc vir fortis. qui tam longè ab omni adulatione erit, quàm est ab ignauia. & antè virum fortem mors occupabit, quàm adulatio. cui cùm nihil facilius sit morte, tum nihil difficilius adulatione est. quæ ferè in ignauum pectus, in timidam & ingloriam mentem cadit. nescit generosa mens fallere, mentiri nescit. vtrumque adulatoris est. nescit alienæ virtuti & gloriæ incumbere, scit suæ. nescit blandientibus & mollibus, ad magna properare. muliebria hæc molimina sunt. ignorat fenmineâ labia vir fortis: tantumq; à fuco huius abest, quantum vir à femina. Solâ proinde vir fortis virtute viam sibi ad magna parabit, aut carebit magnis. lætius enim ipsi illis carere, quàm alieno

alieno à virtute itinere ad illa conscendere, aut aliis quàm virtutis pennis ad illa euolare.

Seruilis ingenij adulatio est.

Siquem verò videris adulationibus subseruire, hunc seruilis ac feminei ingenij esse scias. qui, si fortuna mutauerit vices, dominum mutabit & amatorem, & ex amico hostis exsurget. fallor: non exsurget ex amico. nunquam fuit. sola labra, & frons amicum loquebantur; intus odia æstuabant. imò, amicum labia mentiebantur; hostilia pectus claudebat, quæ cum fortuna effunderet. Fuge, quisquis imperas, inlatentes hostes, amico velamine tectos. fuge labra mendacia. venena integuntur his blandientibus. fuge hanc oris varietatem. formam mentitur. si detraxeris, meretricem suam ostendet, sub ouilla pelle lupum, sub amica mollique spongia perimentem nouaculam, sub osculo Ioabi ferrum; venenum Claudij, Drusi, Germanici, sub electibilibus cibis. vt nulla pestis certior, nulla venena adulatore nocentiora sint. non adurit æstu suo adulatio herbam, frutices, flores; decinerat radices, & quidquid vitam promittebat. Omnium ferè in Regibus scelerum caussa. si enim demas laudatores, probatores, consultores; crimina propè omnia à sceptris & purpura excluseris. laudasse enim in Principe crimen, impulisse in illud, & in maiora est. Animos addit qui laudat, & audentiorem laudatio facit, & ad paria aut deteriora quasi manu ducit. audeo dicere: Tolle à Principe scelerum laudatores, nulla, aut perrara erunt scelera. nemo enim ferè gratuitò improbus aut malus est. alitur, crescitque improbitas laudibus. seca hunc riuum, arescent improbitatis surculi, nec arbor iam vlla noxios protrudet fructus. Docet hoc Cyprianus: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem administrat; nec comprimit delicta, sed nutrit.* Vt audeat Plutarchus funestum Cæsaris exitum adulatoribus ascribere: *Adulatores Cæsaris in caussa fuerunt necis ipsius; qui cùm honores ei inuidiosos conquirebant, tum etiam statuis eius nocte imposuerunt diadema, quò multitudinem impellerent ad salutandum eum pro Dicta-*

Amici labiorum hostes ferè animorum sunt.

Nulla venena adulatione nocentiora.

Dictatore Regem. & de Commodo Herodianus: *Mensarij quidam adulatores, qui ventre atque obscœnis voluptatibus felicitatem metiebantur, Commodum iuuenem Imperatorem perdiderunt.*

Quàm verò noxius adulator omnis sit, docemur à Pro-
Psal.139. pheta Regio: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.* Ex insidiis ferè serpentes insurgunt, vt incautos perimant, intimantque ex occulto virus, quò improuidum feriant: *venenum* enim *aspidum sub labiis eorum*, quod effundant in nimiùm fidentes. vt verum sit illud: *Nullum animantium genus assentatoribus est perniciosius, nullum quod citiùs in præcipitia viuentem deducit*: nihil enim facilius, quàm nihil timentes in fraudem & præcipitia impellere. adulatio verò fiduciam quamdam animis ingenerat, cùm credere incipimus, quæ dici gaudemus, & esse vellemus; nimis faciles in fidem, cùm de laudibus nostris agitur. Hinc monet Cicero: *Cauendum, ne assentatoribus patefaciamus aures: tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia*
Rom.16. *peccata.* fuge has linguas. *Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* ne crede. Hieronymi verba sunt: *Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus aures ne libenter accommodes: qui cùm te adulationibus fouerint, & quodammodò*
Laudatores irrisores sunt. *impotem mentis effecerint, si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.* & Philonis: *Non vides adulatores, qui noctu diúque permulcent aures suis Regibus, nec tantùm applaudunt dictis eorum singulis, sed molestis ornant laudibus; quos tamen execrantur taciti, quantumuis fausta ominentur propalàm?* Eleganter omninò & doctè adulantium mores tradit Iusti-
Adulatorũ mores. nianus: *Adulantibus mos est, semper in prosperitate mulcere, & donec temporalia suppetunt, applaudere: adulator est amicus in obsequio, hostis in animo; compunctus in verbo, tardus in facto; lætus ad prospera, fragilis ad aduersa; anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia; facilis ad humana, difficilis ad honesta; mensas diuitum frequen-*

quentans, pauperum domos declinans. Vera nimis. neque vsquam nocentiores hi ſunt, quàm in magna fortuna, cuius ferè delicta magna. vix enim ſumma faſtigia in paruis ſe tenent. ad magna plurimùm ſcelera protendunt manum; quaſi inglorium ſit in paruis delinquere magnos. magna nimirùm decent magnos, etiam in crimine. nec mirum, cùm inhortatoribus ad ſcelera plena ſint magnorum atria: monitoribus verò fidis deſtituantur. vt verè Seneca: *Monſtrabo tibi cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam rei perductum, vindicet à conſenſu falſorum*, ab adulantium mentiendi facilitate, à falſa ſui rerumq; ſuarum opinione. O quis mihi hunc largiatur! quis concedat Regibus! Beati, qui vera dicentem ſortiti! beatiores, qui rariores in aula Regum ſunt! quo infeliciores Principes ſunt, qui è multis millibus vix vnum ſortiuntur, qui vera profari audeat. Delictum in Principe eſt. vera dicerent, ſi audire vera Principes vellent, ſi falſa denunciantibus pœna aſtaret, ſi nulla impunita aſſentatio abiret, ſi vera dicentes præmia manerent. nunc cùm hos pœna, præmia illos maneant, omnes in adulationem deuoluuntur. vt meritò Iulius Capitolin. *Miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur*. miſerrimus omnino: cùm enim per ſe faſtigia hæc magna ad rerum paſſim occurrentium cognitionem demittere ſe non poſſint, diſcere aliorum ore coguntur. quòd ſi aſſentatores nacti fuerint, non tam vera, quàm placitura diſcent. verum enim nimis eſt illud Paterculi: *Semper magnæ fortunæ comes adulatio*. indiuidua comes. quis hanc felici manu, & ferro ſecet? ô fortunatum! ô prudentem! & intuere propiùs, videbis verè à Cicerone dictum: *Habet aſſentatio principia iucunda, eadem exitus amariſſimos affert*. iucunda nimirum laudatio eſt, etiam in crimine. ita & ſcelerum laudes placent, & delectat improba laudatio; quodque in aliis damnamus, in nobis commendari

Modus adulatores ab aula excludendi.

Fortuna magna comes adulatio.

gaudemus. tantus amor nostri, tanta æmulatio aliorum est.

Remedia contra adulatores. Tanto malo auertendo remediis opus est. occurrit illud Senecæ: *Sapiens eris, ô Lucili, si clauseris aures. quibus ceram parum est obdere. firmiore spissamento opus est, quàm vsum in sociis Vlyssem ferunt: illa vox, quæ timebatur, erat blanda, non tamen publica. at hæc, quæ timenda est, non ex vno scopulo, sed ex omni parte terrarum circumsonat. surdum te amantissimis præsta.* Laudant? ne crede. Pergant laudes laudibus ingerere, ac posteriores prioribus insepelire; ne audi Sirenũ voces. Molesti sunt? reprime. Nihil incoronatum laudibus tanquam floribus, omittunt, non dictũ, non factum? pro hostibus habe. neque enim hæc amantium, odientium sunt plus enim fortiusq; damnabunt absentem, quàm laudarunt præsentẽ. Quòd si via desit comprimendi, pelle familia. Fecit Alexander Seuerus, Septimius etiam Seuerus, fecerunt alij. feliciter semper, bono reipublicæ, regni & suo. Vt meritò gratior esse debeat inimicus damnatus, quàm assentator laudatus. ab illo vera sperari possunt: & mala nostra discimus, quæ ignorata emẽdari non possunt, possunt cognita. à quacunque manu cognitio illa veniat, ab amica censeri debet venire, quæ in præcautionem est, & vitiorum fugam. Benè proindè Chrysostomus: *Inimicũ ne laudantẽ quidem probo, amicũ verò & reprehendentẽ amplector: ille etsi me osculetur, insuauis est; hic etsi vulneret, amabilis.* Minùs probem assentatorem laudantem: cùm nonnunquam ab inimico ore vera laus veniat, ab illius nunquam. Et licèt inimici oscula insuauia sint, quòd ab inimico ore nascantur; oscula tamen sunt, amicissima futura, si tam amico corde, quàm ore & verbo edicerentur. vulnera verò ab amica manu & ore data, non possunt non esse gratissima: in salutem enim dantur; non eunt in interitum. in medelam inferuntur; non possunt in mortem. neque enim amicus aliud, quàm amici salutem cogitat. Est in hanc sententiam illud Dauidis: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* In quem locum vir doctus: *Oleum peccatoris* *Psal. 140.*

catoris est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus & blandimentis nostras mentes velut olei pinguedo libenter ingrediens, rigorem veritatis mollit. Benè & verè. Oleum assentatorum est, quod deprecatur Propheta, quod extremam cutem dum mollit, superinfusa reliqua repellit. armata enim oleo respuunt alia, & duris etiam ac seriis resistunt. Faciunt hoc adulantium voces. tam spisso laudum oleo mentem obnubilant, vt magni veri solem eripiant oculis, & pro luce tenebras, pro die noctem iniiciant. non sentiunt oleata membra; nec animus adulantium oleo perfusus ac tenebratus veri lumen admittit.

CAPVT XIX.

Quis modus tenendus in opibus?

PRÆSCRIBI potest: an sperari possit, nescio. nam quis modus, cùm ferè modum diuitiæ nesciant, & crescat illarum sitis copiâ, cum aliarum rerum egestate & inopia? & quæ moderatio ab animo diuitiarũ auido sperari potest? Non dictum verè? *Vbi cupido diuitiarum inuasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum satis pollet, quando animus magis aut minùs maturè, postremò tamen succumbit.* Et illud: *Vbi diuitiæ clarè habentur, ibi bona omnia vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia.* Dictum fortiter; nec illud minùs: *Cum diuitiis, iuuentutem luxuria atque auaritia cum superbia inuasere, rapere, sua paruipendere, aliena cupere, pudicitiam, diuina atque humana promiscua habere.* Quid? an omnes diuitiæ improbæ? imò nullæ. materiam tamen suggerunt improbitati: & scelera non tam pepererunt, quàm audere docuerunt. Latebant in paupertate, altè animo recondita: accesserunt opes, & cum opibus audacia; & proditor facta pecunia est scelerum domini sui. eruit, & posito pudore prospectanda proposuit, quę verecunda paupertas tegebat. Quid? quòd non rarò scelera

Diuitiarũ incommoda.

opes doceant. ignorabat illa egestas: didicit ab opibus. Nec omnes tamen venena hinc biberunt. fateor. Durum tamen illud Saluatoris, & eo durius, quo verius: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.* Validum illud Apostoli, & robore plenum: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* Validiùs etiam alius: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Validissimè Christus ipse: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Quis crederet, nisi diceret ille qui fallere, qui mentiri nescit? & quis non crederet illo dicente, in quo nec dolus, nec mendacium? & quis credit dicenti? sequeretur, si crederet. non sequi, non credere est. sequuntur, qui credunt: non credunt, qui non sequuntur. Quis enim excludi vult regno Dei? vis hoc frui? vide, an camelus transire possis per foramen acus. non potes? nec intrare in Dei regnum diues poteris: cùm *facilius* sit *camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Aut ergo transire diues cum camelo debes per foramen acus, aut desperare de regno Dei. Nihil hîc de meo dico. decretoria hæc sententia magni Dei est. errare non potest Deus. sed nec effugere hunc potest homo. Neque consultum est in re salutis ludere. agitur de æternitate; in qua semel lata, reuocari sententia non potest: æterna est. Quid ergo, si maiorum industriâ opes accesserint, si bonis modis illas paraueris, abiiciendæ cum Philosopho in mare erunt? non dico: neque enim probare possum indignabundam hanc mentem, ac tanquam nauseantis super auro stomachi vomitum. Benè vti diuitiis potes. ardua res est, fateor: at eo gloriosior. & non magnum parari his cælum posse? emi posse? Audiamus Dominum: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* & Danielem: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum:*

Minæ diuitibus à Deo intentatæ. Luc. 6. 1 Tim. 6. Iacob. 5. Luc. 18.

Modus cælum parandi per opes. Luc. 16. Dan. 4.

perum: forsitan ignoscet delictis tuis. Habemus ab eodem ore remedia, à quo minas. effugere has volumus? amplectamur illa. & quo maiores affluunt opes, maior exsurgat munificētia. Dixicerat hoc vir ille magnus inter omnes Orientales. cuius verba: *Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* Imitare, & amicos in opibus para. Inuidentiâ illæ plenæ sunt, & maximarum offensionum grauidæ. vtrique liberalitas malo medetur. nemo enim liberali inuidit aurum; quin adeò apprecatur cumulatius, sed nec vlla vnquam fortunarum offensio è munificentia nata est. amorem hæc ingenerat, odia ponit. Vis proinde securus viuere, vis amari diues? vna liberalitas vtrumque dabit. neque quisquam securior liberali est. ignorat enim insidias liberalitas: auaritia has inuenit. nescit odia: sordidior parsimonia hæc peperit, infelicis filiæ infelix mater. Quid? quòd sola ferè virtutum, expers æmulationum, inuidiarum, fraudum, insidiarum liberalitas sit. Hanc sequere si diuitiæ concessæ. sin minùs, nemo tamen impedire potest, quo minùs in summa rerum inopia liberalissimus sis, vt non necesse proinde sit opes deposcere liberalitatis materiam: cùm etiam sine illa munificus esse possis, cùm ab animo virtutes omnes, non ab euentu, verus rerum æstimator sciat metiendas. vt proinde verissimè dictum à Valerio: *Quorsum attinet in prima felicitatis parte diuitias, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta; & huius horridior aspectus, solidis & certis bonis abundet?* etiam liberalitate, vt dixi. Docebit hoc Q. Fabius Maximus, qui in magna paupertate, fundo quem vnicum possidebat vendito captiuos ab Hannibale redemit. cōfer hunc cum Firmo qui sub Aureliano Ægyptum occupauerat, de quo Vopiscus: *Perhibetur tantum habuisse de chartis, vt publicè sæpè diceret, exercitum se alere posse papyro & glutino.* & imperio interim tenacior excidit, non excidisset fors liberalior. Confer deinde Bu-

Iob 31.

ſam feminam, quæ non magnis opibus, ſed animis magnis, decem Romanorum millia Cannenſis prælij reliquias intra Canuſina mœnia alimentis ſuſtentauit, cum Ptolemæo Cyprio, de quo Valerius: *Cùm omni pecunia nauibus impoſita in altum proceſſiſſet, vt claſſe perforata ſuo arbitrio periret, & hoſtis preda careret; non ſuſtinuit mergere aurum, ſed futurum ſuæ necis premium domum reuexit.* addit: *Hic non poſſedit diuitias, ſed à diuitiis poſſeſſus eſt: titulo rex inſulæ, animo pecuniæ miſerabile mancipium.*

Qui amici opibus parandi. Parandi verò opibus amici, qui prodeſſe, quique obeſſe poſſunt: illi, vt auxilio ſint, hi, ne noceant. ex infima etiam plebe non raro parandi, qui & audeant, & poſſint nomé tueri: quoſque nec modeſtia, nec verecundia terreat in tutelam, ſi qua grauior neceſſitas occurrerit. Et non magno horum animi parantur; qui etiam cum vitæ ſuæ diſcrimine, liberalem quam experti ſunt dexteram tuebuntur, tam in prodigendo ſanguine, quàm in accipiendis muneribus auidi & faciles: dum enim è præteritis futura metiuntur, eripi ſpem dolent. qui cùm ſperata pro poſſeſſis habeant, non inferioribus animis donatorem ſuum, quàm poſſeſſionem ſuam propugnant.

Nobilibus ad inopiam redactis ſubinde aliquid largiendum. Excelſæ deinde maiorum profuſionibus nobilitati munificam & vltroneam porrigat manum: inueniet in his laudatores, propugnatores. Fortes etiam viros, ſanguine dato & hauſto nobiles, quos anguſtior domeſtica res premit, donis conciliet: habebit in his honorum fortunarumque ſuarum defenſores. Illos deinde qui Principi à conſiliis aut auribus ſunt, ſibi paret. Neque magno hos auro parabit. vbi patuerit, vel ſolâ verecundiâ obſequentur, præteritorum memoriâ, futurorum ſpe.

Quomodo feminis dandum. Nihil dico de deteriore ſexu, qui & in dona pronior, & potens in maritali thalamo: etiam apud probos & magnos. non quòd hæc improbem, ſi ratio, ſi cauſſæ æquitas, ſi incorrupti adſint mores: ſed quòd femineam hanc ſemitam inſterni muneribus nolim. lubrica eſt. Si tamen alia tuendi ſe ſua-

ſuaque via deſit,non penitus damnem;prudentiæ conſcientiæque ſingulorum relinquens quid in hoc ſexu tutò audendum. Leuibus tamen quibuſdam, & illi ſexui non inaſſuetis contineri,ne noceant,non damnem. nolo ad iniuſta, ad impia, ad minùs caſta, facem in hoc ſexu accendere: nolo tamen hunc à iuſto pioque ſubſidio vniuerſim arcere.

Plurimùm interim in omni hoc genere intereſt ſcire,quid, cui, quo potiſſimùm tempore largiaris. propenſiones verò in primis animorum cautè & ſeriò per domeſticos ferè examinandæ. ille picturis, ſtatuis alter delectatur: peregrinitatem amat alter, vt, niſi ab alio dona cælo euocaueris, nihil egeris: eſcalibus tertius gaudet donis: quartus ſolo auro gemmíſue capitur. Plurimum etiam momenti tempus affert. Magnum enim diſcrimen, quo potiſſimùm tempore largiaris. conuiuia parat,cuius gratiam venaris; ſubminiſtra, ſi potes, quæ raritate ſua conuiuantium admirationem exprimunt: alieni nimirùm temporis fructus, aut ab alio orbe accerſitos. Bis vicit, qui temporis rationem habuit. Idem de iis ſentio, qui apud dominos dominaſque, aut omnia aut plurima poſſunt: quorum animos paraſſe, illorum viciſſe eſt. *Prudentia in largiendo opes.*

His tamen modis non vtetur vir diues, niſi in re iuſta. nam ſi ab alia mente,quàm bona & integra, munera veniũt, in dantis & accipientis interitum eunt: neque enim inuindicata patietur Deus,aut impunita iniquitatum dona.

Claudo hoc caput,ſi dixero,magnam diuitibus,ſupra reliquos,cælo conceſſam prærogatiuam, ad res humanas, animoſq; mortalium parandos. neque enim quidquam, etiam ad barbaros & hoſtes conciliandos, muneribus potentius certiuſque eſt. vt auſim dicere, in diuitum propè manu res humanas conſiſtere,etiam Deum, qui liberalis dexteræ remunerator maximus eſt. Neque vllam aliam virtutem, nullum vitium vocari in iudicium videmus: *Poſſidete paratum vobis regnum. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis* *Diuitiarũ prærogatiua.* Matth.25.

distis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me. Agnoscit à diuite manu beneficium Deus, & æterno remuneratur regno. mirantibus mercedis magnitudinem, doniq́ue memoriam, respondet: *Quamdiu fecistis vni ex his*
Ibidem. *fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Addit in vindictam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* subiungit caussam: *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me.* Obstupentibus super obiecta sibi immitate, dicit Dominus: *Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Magna dignatio pauperum, arrogari in præmium & pœnam Deo, quidquid illis erogatum, quidquid negatum. sed & magna diuitum prærogatiua tam paruo cælorum regna parari, tam paruo ignes æternos vitari posse. magna etiam diuitis prudentia, prouidentia magna, qui tam vilibus mercatur maxima: ingens contrà fatuitas, tam paruo paranda, vitanda negligere.

CAPVT XX.

Quid faciendum in paupertate?

Animi opes virtutes. ANIMVS implendus opibus. huius opes virtutes sunt: quibus instructus, Deorum more, tanquam ex alto diuites despiciat. quorum nemo tam lætus est suo, quàm tristis alieno. Et sanè nemo negabit, opulentissimum illum esse, qui Dei quàm simillimus est. at ille argento & auro, quæ imperitorum verberant oculos, & mentem auertunt à cælo, infigunt terris, non capitur. tenebris illa damnauerat Deus, cupiditas nostra eruit. absconderat natura, quasi malè hominibus committerentur; nos in lucem propter quæ periremus, extulimus. nec erubescimus cælo nati, summa habere quæ fuerunt ima terrarum, & ipsis adeò cælorum opibus anteponere. perire nimirùm cum auro malumus, quàm sine illo

illo saluari. cùm pars longè hominum maxima solis æternùm opibus deprimatur, non vltima materia non moriturarum flammarum. Sepone proinde à te hæc insidiosa bona, quisquis cælum cogitas: quibus tot omni æuo millia implagata iacent. ô non æternum! sepone hæc bona sperantibus, quàm assecutis meliora. nam si essent bona, implerent, non concitarēt sitim. concitare experientiâ docemur. crescit enim crescentibus opibus cupiditas, & agrum agro, prouinciam prouinciæ, regnum regno addere delectat. & plures longè pauperes sorte suâ contentos, quàm diuites reperies, quorū ferè insatiata auiditas est. Iam ego hîc ex te cum Stoico quæro, vtrum mauis, ex inopia saturitatem, an ex copia famem? ex stillicidio sitim restingui, an ex fonte exasperari? vsu hoc euenire docebit te pauper & diues. Sed & lætior in illo vultus, & pacatior animus, vt benè Lyricus: *Diuitiæ bona dici non possunt.*

Plerumque gratæ diuitibus vices,
Mundæque paruo sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis & ostro
Sollicitam explicuêre frontem.

Benè etiam ille pauperem suum beat:

Non frontem vertêre minæ: sed candida semper
Gaudia, & in vultu curarum ignara voluptas.
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Diuitias, auidique animum dispendia torquent
Fœnoris.

Gaudia proinde in paupere puriora, & à curarum sorde secretiora. felicitas etiam, si Lyrico credimus, maior.

Non possidentem multa vocaueris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiúsque letho flagitium timet.
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Ee De

diſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & cooperuiſtis me. Agnoſcit à diuite manu beneficium Deus, & æterno remuneratur regno. mirantibus mercedis magnitudinem, doniq́ue memoriam, reſpondet: *Quamdiu feciſtis vni ex his*
Ibidem. *fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Addit in vindictam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* ſubiungit cauſſam: *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me.* Obſtupentibus ſuper obiecta ſibi immitate, dicit Dominus: *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Magna dignatio pauperum, arrogari in præmium & pœnam Deo, quidquid illis erogatum, quidquid negatum. ſed & magna diuitum prærogatiua tam paruo cælorum regna parari, tam paruo ignes æternos vitari poſſe. magna etiam diuitis prudentia, prouidentia magna, qui tam vilibus mercatur maxima: ingens contrà fatuitas, tam paruo paranda, vitanda negligere.

CAPVT XX.

Quid faciendum in paupertate?

Animi opes virtutes. ANIMVS implendus opibus. huius opes virtutes ſunt: quibus inſtructus, Deorum more, tanquam ex alto diuites deſpiciat. quorum nemo tam lætus eſt ſuo, quàm triſtis alieno. Et ſanè nemo negabit, opulentiſſimum illum eſſe, qui Dei quàm ſimillimus eſt. at ille argento & auro, quæ imperitorum verberant oculos, & mentem auertunt à cælo, infigunt terris, non capitur. tenebris illa damnauerat Deus; cupiditas noſtra eruit. abſconderat natura, quaſi malè hominibus committerentur; nos in lucem propter quæ perire- mus, extulimus. nec erubeſcimus cælo nati, ſumma habere quæ fuerunt ima terrarum, & ipſis adeò cælorum opibus anteponere. perire nimirùm cum auro malumus, quàm ſine illo

illo saluari. cùm pars longè hominum maxima solis æternùm opibus deprimatur, non vltima materia non moriturarum flammarum. Sepone proinde à te hæc insidiosa bona, quisquis cælum cogitas: quibus tot omni æuo millia implagata iacent. ô non æternum! sepone hæc bona sperantibus, quàm assecutis meliora. nam si essent bona, implerent, non concitarēt sitim. concitare experientiâ docemur. crescit enim crescentibus opibus cupiditas, & agrum agro, prouinciam prouinciæ, regnum regno addere delectat. & plures longè pauperes sorte suâ contentos, quàm diuites reperies, quorū ferè insatiata auiditas est. Iam ego hìc ex te cum Stoico quæro, vtrum mauis, ex inopia saturitatem, an ex copia famem? ex stillicidio sitim restingui, an ex fonte exasperari? vsu hoc euenire docebit te pauper & diues. Sed & lætior in illo vultus, & pacatior animus, vt benè Lyricus:

Diuitiæ bona dici non possunt.

Plerumque gratæ diuitibus vices,
Mundæque paruo sub lare pauperum
Cænæ, sine aulæis & ostro
Sollicitam explicuêre frontem.

Benè etiam ille pauperem suum beat:

Non frontem vertêre minæ: sed candida semper
Gaudia, & in vultu curarum ignara voluptas.
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Diuitias, auidique animum dispendia torquent
Fœnoris.

Gaudia proinde in paupere puriora, & à curarum sorde secretiora. felicitas etiam, si Lyrico credimus, maior.

Non possidentem multa vocaueris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiúsque letho flagitium timet.
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Non faciunt opes beatum.

De beatitate verò hac Stoicus: *Non est beatus, ad quem pecunia multa confluxit; sed ille, cui bonum omne in animo est*; erecto nimirùm, excelso, & admiranda hæc calcante: *qui hominem ea sola parte æstimat qua homo est, cui bona sua nulla vis excutit, quem fortuna cùm in eum, quod habuit telum nocentissimum, vi magna intorsit, pungit, non vulnerat. & hoc rarò. nam cætera eius tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis instar dissultant, quæ incussa tectis, sine vllo habitatoris incommodo crepitat, & soluitur.* Hanc beatitatem diuitiæ non dabunt, adiment. Ferè enim metus comes diuitiarū est, securitas paupertatis socia. Quin imò vis diuitem è Philosophi sententia facere? *non pecuniæ adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.* Hinc etiam illud: *Breuissima ad diuitias per diuitiarum contemptum via est.* & illud Epicuri: *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam diues. exiguum natura desiderat; opinio immensum. calcare aurum liceat & marmora, accedat quidquid ars luxuriæ laborauit; maiora cupere ex his disces.* Hæc ex Epicuri schola. quis Christianus imitetur? Polentâ ille & aquâ contentus viuit, & non toto asse viuit. non pudet vinci à voluptatum magistro, cui voluptas magna in frusto hordeacei panis? quàm longè à voluptate hac sumus? Quòd si naturam consuluerimus, & non puduerit hanc ducem sequi, *Quisquis exit in lucem, iussus est lacte & pane esse contentus.* Habes initia naturæ, vterum & vbera, quibus pares sumus, nisi quòd ferè pauperior mater facilè vtero concredita effundat, locupletioreq; vbere sobolem lactet. Vis exitum? *Nemo cum sarcinis enatat.* tam nudi abimus, quàm nudi venimus. nisi quòd maioribus plurimùm doloribus diues erumpat, quia acrioribus ferè morbis torquetur. Quod intercurrit breue est, & tanquam nauiganti mare est. An ille felicior securiorque, quem magnæ sarcinæ nauigantem premunt? & nauigamus omnes, & iactamur fluctibus: nec aliud vita, quàm variis æstibus, ventis & tempestatibus iactatum mare. mitior vni nauigatio fuit; tardior, celerior, grauior alteri: nauigatio tamen fuit.

Contemptus opum vera ad opes via.

Nemo pauper est, qui ad naturã viuit.

fuit. Beatus, quem citatior curſus portui reddidit.

Quid? quòd etiam noxias Reipublicæ opes inclamet non vnus. *Sæpè iam audiui, qui Reges, quæ ciuitates & nationes, per opulentiam magna imperia amiſerunt, quæ per virtutem inopes cœperant.* Roma nos docet, Lacedæmon, Corinthus, Athenæ. *Id adeò haud mirandum eſt. nam vbi bonus deteriorem diuitiis magis clarum, magiſque acceptum videt, primò æſtuat, multaque in pectore voluit*, indè ad opes animum adiicit. bonis artibus non poteſt? ſeponit probitatē, cùm in vna ferè audacia repoſitam ſpem videat. atque hinc iam proſiliunt ſcelera; vt audeat ille: **Opes Reipublicæ noxiæ.**

Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. addit:
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles. quid enim Venus ebria curat?

Vt non immeritò ille moneat: *Multum maximū bonum patriæ, ciuibus, tibi, liberis pepereris, ſi ſtudiū pecuniæ aut ſuſtuleris, aut quo ad res fert, minueris. aliter neque priuata res, neque publica, neque domi, neque militiæ regi poteſt.* Quis enim non corrumpatur diuitiarum contubernio? magnus mihi hic erit, & omni maximo maior. Audiamus Stoicum: *Magnus ille eſt, qui in diuitiis pauper eſt. ſed ſecurior, qui caret diuitiis.* Chriſtianè, & piè. Non quòd magnum argumentum putem eſſe bonæ mentis, aut inſitæ virtutis, aquam & pannos, niſi quis illa voluntate, non neceſſitate perferat. ſed quòd minus impedimentorum ad virtutem, animique tranquillitatem paupertas habeat, minoremque campum explicandæ nequitiæ. Vnde fit, vt repreſſa ſcelera, cùm deſtituantur arena ſua, in contrariam ſe vertant partem, & virtutum ſpeciem induant; cùm plurimùm in his exercitatio & aſſiduitas valeat. Et ſanè, qui opes ademerit, maximam vitiorum ſementem ſubtraxerit. Et non malitia præmiis fouetur & exercetur? tolle hæc, quis gratuitò erit malus? Iam, ſi pecuniæ decus abſtuleris, non ingens illa, & nullo antè ſatianda auaritiæ vis bonis moribus vincetur? **Paupertas vltrò ſuſcepta, non coacta, virtutis indicium.** **Minus impedimentū ad virtutem paupertas habet.**

At miserum est, pauperem esse. si diuitiæ miseriis eximerent, & felicitate donarent, benè. at plerisque diuitiæ non finis, sed miseriarum mutatio est. neque enim in rebus vitium aut beatitudo, sed in animo est. hunc compone, & benè de te spera. Diuitiæ non component: exasperabunt, & concutient. Quod enim Oceano medio fluctus, hoc diuitiæ huic vitæ. vt non vereatur vnus è Philosophorum schola, magnum hoc proferre: *Nemo alius dignus Deo est, quàm qui opes contempsit.* Potuit aliquid maius ab Euangelio depromi? Et quid credis velle Deum? non omnis illius actio nostra institutio est? cōtempsisse ac calcasse illum opes vita docet. Vis dignus illo haberi? imitare mores. similitudo morum dignationem loquitur: dissimilitudo dignationem adimit. Et quem tu putas digniorem Deo? non qui similatur illi, & generosi ducis sui non degener miles vestigia premit? Et non inter magni Dei magna consilia diuitiarum contemptus est? Aut falli in delectu suo potuit Deus, & circumuenire nos vult dolis? Non beatos pauperes denunciauit, & cælorum possessores statuit? quid aliorum exquirimus sententiam diuinâ muniti? Potest mentiri Deus? non potest? quid dubitas monentem sequi, & potiora arbitrari, quæ ipse prima statuit? beatitatem & cælorum regna paupertati attribuit, æterna diuitibus tormenta minatus. Quid hæres? errare non poteris, si sequeris Deum. potes, si non sequeris. Nunc vide quid è re tua sit. de æternitate agitur, de cælorum gaudiis, inferorum pœnis, nunquam vtrimque morituris. in tam certo vltroneæ paupertatis exitu, tam incerto diuitiarum, quid salutem tuam tam dubiis attexis? Verùm contemptui hîc pauper habetur; non habetur cælo. & non consultius, cælo quàm terris magnum esse? Caret hîc cōmodis; nimirum & molestiis. Gratiam hîc minorem consequitur; etiam inuidiam. Amicis destituitur; sed & hostibus. Et tu amicos arbitraris qui diuitibus applaudunt? sepone opes, videbis an amici fuerint. fortunam illi amabant & venerabantur, & sibi, non possessori ama-

Solus dignus Deo opum contemptor.

Non sunt amici qui diuitibus applaudũt.

amabant. videbis hoc, si verterit fortuna vices; vertent & illi cultum & amicitiam. Honoribus excluditur pauper; non & odiis? nemo pauperi inuidet; abest odiorum caussa. inuident diuiti; ingens [illegible] inuidētiæ materia est. Deliciis pauper & mensis frustratur splendidioribus. non ad paruo parabilia nati sumus? quære à stomacho quid volet: respondebit, Satiari; nec vltrà. Nos difficilia omnia facilium fastidio ferimus, & mille condimentis famem non sedamus, sed prouocamus, docemusq́; ingeniosa luxuria ventrem post saturitatem esurire. crescitque crescentibus sæculis luxuria, ingenio adiuuante luxum: &, vt non stomacho, qui paucissimis, & obuiis, & gratuitò ferè parabilibus contentus est, sed palato bene sit, ab terrarum vltimis nocitura condimenta discimus; hoc infeliciores, quo vilissimo palati famulatui nos subiicimus. tam modica corpora natura dedit, nec terra nunc, nec maria pascendo sufficiūt. Quid? quòd sola sæpè ambitio diuitū mensas instruat & fatiget, mariaq́; scrutetur & terras.

Non subiacet pauper inuidiæ.

Natura paucis contenta.

At nullus in paupere vestium splendor. inanis fatuusq́ue cultus purpurâ fulgere, mente sordescere. integi corpus desiderat, æstumq́; frigusq́ue arceri. certiùs hæc pauperis lacerna faciet, quàm diuitis Tyria vestis, qua frequenter vix pudor tegitur, quæ nec calorem, nec frigora pellit, vel quæ aureo rigore ponderéue suo, plus asserum lapidumq́; more circumdat & opprimit, quàm vestium integat. Sed auri argentiq́ue minus numerat pauper. minus etiam curarum: & magno viatico breue iter non instruitur, sed oneratur. Gemmas pauper ignorat. quò homini piscatæ piscibus & draconibus gemmæ? quò terebratæ aures, & digiti lenocinio graues? sed neque latrones hostesq́ue pauperum manus & colla prouocant: inuitant diuitum, è quorum sæpè capillo, pileo, humeris, collo, fronte, auribus, digitis, brachiis, vrbes, insulæ & kalendaria pendent. & solus hic frequenter ornatus, de raritate & peregrinitate gratiam & pretium promittens, hostem inuenit.

Diuitiæ ferè ad imprudentiores deuoluuntur.

Iam si optimis quibusque diuitiæ obuenirent, esset quòd allicerent. nunc stolidissimum propè opulentissimum videmus: quasi præter fortunæ decorum sit, prudentem & diuitem esse. partitur dona. fatuis ferè & improbis opes, sapientibus & probis egestatem largitur; ne, si in vnum vtrumque conferret, alium orbem quærat. Et sanè verum nimis illud est: *Pecunia sic in quosdam homines, quemadmodum denarius in cloacam cadit*; ornaturq; possessore suo, vt gemma sterquilinio, vt Philosophi pallium fatuo, vt Achillis arma Thersite. cùm nimirum incidit in hominem, qui vti illâ ex virtutis imperio non didicit, didicit è libidine, aut quocunque alio scelere, aut perdere, nec vltrà, doctus. Misera conditio. felicior pauperis, si forte suâ contentus viuat. nec difficile hoc erit, si itineris breuitatem animo suo metietur, si fugientis vitæ annos cum æternitate componat, si diuites Dei sponsiones paupertati colligatas tacitus secum seriò perpendat, si vtrorumque exempla, felicesq; ac infelices exitus, animo voluat, & altè demittat.

Quid faciet paupertate oppressus?

Perges fors rogare, quid facturus sis paupertate oppressus. Intuere Iobum, Tobiam, Christum, & tot millia vltroneâ paupertate diuites. imitare vitam, quorũ expectas coronas. nam velle coronis pariari, non laboribus, fatuum. Doce dein corpus paruo placari, vt ancillari, non imperare consuescat. animus imperet imperio natus. & quid refert quo pascas corpus? non perdit quod accipit? Intuere dein exitum eorum quæ præbuisti. an à mensa regia nitidiora egrediuntur, quàm à rustica casa? grauiùs olent, quæ à deliciis nascuntur, quàm quæ à frusto hordeacei panis. Quòd si etiam palatum spectes, gratior obuius cibus, fortuitus potus, post labores venit, quàm quæ à pridiana cœna fastidienti domino, cocorum exercitus præbet. Et quid stolidius, quàm turpissimæ corporis parti seruire? illi auium miracula, maris prodigia, æstiuas niues, hibernas rosas parare? & odoramentis, etiam ab vltima Arabia aut India accersitis, cibum farcire, luxu-

luxuriæ nimirùm & libidini prouocandæ, non fami & siti pellendæ. An nescis minimo famem constare, maximo fastidium? paruoq́ue illam dimitti, ne magno quidem ambitionem? nunquam hæc satiatur, illa leuissimis, aqua & pane, & statario aliquo prandio & cœna. Aliquid tamen voluptatis in curiosis diuitum ferculis esse nemo negauerit. erras. plus in pauperum est, quia plus famis est. &, vt concessero, quanti temporis voluptas illa est? non tam breuis huius sensus, quàm breuis vsus est? Et quid? corpori, an animæ natus es? mancipium hæc illi, aut illud huic est? & non ad maiora conditus es, quàm vt corpori mens famuletur? Cōtemne proinde corporis ambitum, cælo famulare; ac in quacunque egestate oculos in cælum tolle. paratas ibi paupertatis opes reperies. non aurum, non gemmas, non mensas, non purpuram cælo reconditam videbis. & tamen optima quæque cælo reposita sunt. Bona ergo, opes non erunt, cùm exulent cælo. nullo autem bono viduatum cælum est. Christum deinde cogita, nec erubesce imitari. aurum in hoc nullum, diuitiæ nullæ; extrema paupertas fuit. sequere. aut pudet sequi Deū? quem si cogitas, non verecundaberis ad paupertatis nomen. gloriaberis, & cum Christo tuo inter opes numerabis opibus carere. quin adeò, gloriæ tuæ non infimam partem arbitraberis assimilari Deo. assimilatur, qui contempsit opes, qui calcauit, ne inglorius hîc ab iis calcaretur, & æternum.

Iunge verò paupertati huic humanitatem, comitatem, mansuetudinem, animi submissionem, reliquasq; virtutes, priorum comites, &, si potes, eruditionem; & plus admirationis excitabis & venerationis, quàm in magnarum opum fastu magno. Quòd si consequi possis, vt à nullius munificentia dependeas, beatus, omnibus maior eris. Nemo diuitum non plurimorum operà eget, gratià, fauoribus; pauper si forte suà contentus sit, nulliusq́ue indigus, nullius gratiæ auceps, in alta pace viuit. cùm diuitem videamus in honorum ambitu, omnibus animæ & corporis incommodis *Beatus pauper, si forte suâ contentus viuat.*

eniti

eniti in caussa votorum suorum, crudisque nocturnisq; salutationibus nescio quorum non atria occupare, ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentem. Generosior longè pauper noster est. vis exemplum? *Xenocrates Alexandri legatos modica cana excepit: postera die rogantibus, cuinam adnumerari pecuniam ab Alexandro missam vellet, Quid vos, inquit, hesterna cana non intellexistis, eâ me non indigere? Ita Rex Philosophi amicitiam emere voluit, Philosophus suam Regi vendere noluit.* Habes è Græcia, cape è Latio. Valerius Publicola, cum Iunio Bruto consulatum auspicatus, post *tres* exinde *acceptissimos consulatus, patrimonio, ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente decessit, ideóque publica pecunia ducta sunt. ita mortuo lectus funebris & rogus defuit.* Non defuisset, si voluisset. amauit paupertatem. nec alia re magis quàm morte, quantum illam amauerit, testatus est. sed nec aliâ re clarior, vt illustrior paupertate quàm triumphis fuerit. Habes idem in Agrippa Menenio magno viro, pacis inter Senatum & plebem auctore: *qui, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset (ita pecuniæ inops decessit) sepultura honore caruisset. cuius vt superstitis nullum, ita morientis amplissimum patrimonium Romana concordia fuit.* Magnæ opes. nec potuerunt maiores esse, quibus Romana Resp. peritura stetit. Ex eadem gente Attilij & Cincinnati fuerunt à spargendis seminibus, ab aratro ad consulatum & dictaturam, ab his ad boum iuga redierunt. Hinc illa Valerij: *Potest pauperes consolari Attilius, sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio.* & illud: *Angustè se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* intra quatuor iugera triumphatoris opes steterút. Iam Cn. Scipionis filiæ dos defuit: Senatus ex ærario erogauit, *cùm paternæ hereditati præter opimam gloriam nihil esset quod acceptum referret.* Et quis sæculi magnorum non deligat à Publicolis, Æliis, Fabriciis, Curiis, Attiliis, Cincinnatis, Scipionibus, Scauris genus trahere, quàm ab ignauis diuitibus?

Pauper ferè diuite generosior.

bus? Addo hîc illud eiusdem auctoris: *Exsurgamus animis, pecuniæq; affectu debilitatos spiritus pristini temporis memoriâ recreemus. Omnia nimirùm habet, qui nihil concupiscit: eò quidem certiùs, quàm qui cuncta possidet. quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus solidis & certis bonis abundet.* Quid poterat veriùs, quid fortiùs à Christiano calamo? Addam, plus etiam admirationis & honoris à paupertatis, quàm à diuitiarum cultu venire; omnibusq; opibus maius esse opes contemnere, etiam illorum iudicio, quorum tota mens opibus tanquam Oceano natat. Neque quisquam miratur amatores diuitiarum, miratur contemptores: nemo enim auri opumque auidos cupidosque laudauit, aut inter imitandos proposuit, proposuit paupertatis amatores, sectatores. Ita omnium sententiâ magnus Franciscus est, Dominico etiam ore magnus Lazarus, miserrimus diues est: cùm in hoc diuitiæ æternùm crucientur; in illo paupertas æternùm recreetur. Val. lib. 4. cap. 4.

Iam, quid ego de Deo dicam, mendicos, pauperes, humiles, viduas, pupillos vsque & vsque prolixè diligente, consolante, asserente, vindicante? Inclamat: Iudicate pupillo & mendico, & humilem & pauperem iustè tractate. liberate pauperem, & mendicum de manu peccatoris eripite. Iustitia iudicabit mendicos populi, & saluos faciet filios pauperum. parcet mendico & pauperi, & animas pauperum saluas faciet. ex vsura & iniustitia redimet eorum animas, & honoratum nomen eorum coram ipso. Auertantur peccatores in inferos, omnes nationes quæ Dei obliuiscuntur; quoniam non in finem obliuioni habebit mendicos, tolerantia pauperum non peribit in finem. qui suscitat mendicum de terra, & de stercore exaltat pauperem, vt sedere eum faciat cum primoribus populi. Quid de Christo Domino, à consolatio- *Deus pauperum amator.*

ne pauperum, humilium, esurientium & flentium, vitam & Euangelium exordiente dicam? Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me ad euangelizandum pauperibus. Beati pauperes, quoniam illorum est regnum cælorum. Misit me curare obtritos corde. Beati, qui esuriunt, quoniam saturabuntur. Beati, qui plorant, quoniam ridebunt. Date lugentibus Sionis gloriam, pro cinere vnguenti iucunditatem, & gloriæ habitum pro spiritu tædij. Et de diuitibus: Dilatauit Orcus animam suam, & aperuit os suum, & descēdent inclyti, & magni, & diuites. Ecce Dominus virtutum conturbabit gloriosos, & elati comminuentur, & ruent gladio sublimes. Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm abundabit gloria eius; quoniam cùm morietur, non tollet omnia, nec descendet cum illo gloria eius. Ne desideraueris diuitias, & cùm relucent, ne adieceris cor. Væ, qui dormiunt in lectis eburneis, & deliciis fluunt in terris suis, qui edunt hœdos de gregibus caprarum, & vitulos de gregibus boum lactentes; complaudentes ad sonum organorum, tanquam perseuerantia deputauerunt, & non tanquam fugientia; qui bibunt vinum liquatum, & vnguentis primariis vnguntur. In tanta passim eiusmodi vocum & sententiarum, in vtroque Testamento tanquam in densissimo nemore frequentia, quò me vertam? Liquere credo, quod sit apud Dominum diuitum & pauperum discrimen. Et quid timeat pauper cùm hæc audiat ore Dominico prolata? Addo: Corui non serunt, nec metunt, nec in apothecas condunt, & tamen aluntur ab ipso. Lilia & fœnum non texunt, nec nent, & tamen vestiuntur ab ipso, vt nec Salomon in omni gloria sua vno sit flosculo cultior. Quid timeat pauper? bonū Dominum habet, cælorum, & sæculi, & Regum Regem. qui cùm Pharisæos auro & opibus famulantes vidisset, amentauit hanc sententiam: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Quid cogitatis diuites, quid pauperes? famulari Deo & opibus non possumus. alter nobis destituendus. quid deligitis diui-

Non possumus Deo seruire & opibus.

diuites, & pauperes? Deum? renunciandum opibus. non ego dico, sed Dominus. Opes? renunciandum Deo. ipsius, non mea sententia est. Vultis opes & Deum? negat Deus posse. quis temerarius iudicabit posse? Aut mentiri potest Deus? non magis opes & Deum vnum capit pectus, quàm cælum & inferos anima vna. Durum hoc. sed verum. Non possumus opibus seruire & Deo. quare nec vtriusque mercedem sperare. Opum Deique merces, opes & Deus sunt. Frueris opibus? non potes Deo. Deo? non potes opibus. Inquiramus caussam. docebimur à Domino: certiùs non possumus. *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. non potestis Deo seruire, & mammonæ. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari; & deridebant illum.* Duo domini, Deus & diuitiæ. alterum odisse debet & contemnere, qui alteri adhæret & diligit. Dei verba sunt. Et non seruiunt diuitiis, qui parandis illis maximam & nobilissimam vitæ partem impendunt? & quotus quisque tantum diei noctisque Deo, quantum opibus largitur? quis decimam, adeoque & vigesimam, vitæ partem Deo tribuit? quis sollicitudinum ac curarum tantum Deo, quantum corrogandis erogat diuitiis? Consulant singuli cogitationes suas; sententiam ipsi de se ferant. nisi plus studij ac laboris, plus sudoris ac temporis, parandis opibus impendant, quàm Deo, fallor. Et quia plus laboris insumimus, plus etiam seruimus cui plus sudamus & laboramus. à quo etiam præmia speranda: non à neglectu aut contemptu. Paupertatem ergo, quisquis illâ premitur, siue à maioribus acceptam, siue à Deo immissam, siue ab hoste, aut fortuitò inustam, siue vltrò accersitam, colet & venerabitur, vt virtutibus amicam, vt Deo cæloque remunerandam, diuiteque æternitate locupletandam.

Luc. 16.

Capvt XXI.

Quis in honoribus consequendis ac tutandis modus tenendus?

Honorum contemptores varij è Gentilibus. Val. l. 4. cap. 1.

SI non pudet à profunda gentilitate discere, audiamus Valerium Maximum in Rutilio Censorino: *Iterum Censor creatus, populum grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset.* addit: *Vterque rectè, & Censorinus, & populus. alter enim, vt moderatè honores crederent præcepit; alter se moderato credidit.* Quis Christianorū imitetur? Audiamus eundem: *Fabius Maximus, comitiis, quibus filius summo assensu Consul creabatur, quàm potuit constanter cum populo egit, vt vacationem aliquando honoris huius Fabiæ genti daret: non quòd filij virtuti diffideret, sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur, patre, auo, proauo.* Subiungit: *Quid hac moderatione valentius, quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi sunt, superauit?* Quis Christianus pater in filij honore Fabium imitetur? Illud etiam in his tenebris magnum: *Superiori Africano statuas in comitio, in rostris, in curia, in Iouis templo ponere voluerunt, triumphali ornatu indutas, & continuum ei per omnes vitæ annos consulatum, perpetuamq; dictaturam tribuere. quorum sibi nullum, neque plebiscito dari, neque senatusconsulto decerni patiens, penè tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum gesserat in promerendis.* Quis è Christianis recuset? addo, quis non ambiat? Pergamus in eadem gente, & quidem in Imperatore: *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiectâ ab humeris togâ, nudo pectore deprecatus est. Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium, semper exhorruit.* Vbi sumus? quis nunc è plebe domini nomen exhorrescat? quis non indignetur, si neges? Taceo dignitatum nomina, nescio è qua barbaria mutuata. sed taceo. præcipitia hîc imminent: & rusticus habebor, si non integrum nominum kalendarium memoriæ impressero. non opus

opus pluribus. ſciunt, qui norunt, & qui vocari volunt. Caue vel tranſuerſam acum decedas. ſi peccatum, *turgeſcit vitrea bilis*. ac nimis hîc multa. Quiſquis ergo honores amas, virtutem amplectere. Nemo vmbram ſine corpore conſecutus eſt; & non honor vmbra virtutis eſt? etiam inuitos & refugos comitatur. Sed vt vmbra nonnunquam antecedit, indè ſequitur: ita honor aliquando præit, & viſendum ſe præbet, aliquando in auerſo eſt: maior, quo tardior, maximè vbi inuidia ſeceſſit. quam nemo prudens exhorruit: ſcit illam virtutis & magnitudinis calcaneo inhærere. ita catelli, generoſiſſimorum equorum veſtigia latratu & cauda verrunt. at nullus equus latratus hoſce vel aſpectu ſuo, non dicam calce, dignatur. inſurgit tamen non rarò inuidia, &, ſi virtutis Solem non excludit, obtenebrat, & tanquam interiectu nubis obfuſcat, & proſpectum adimit. Fateor. verùm nec ſemper nubes, nec ſemper nebula. diſpellet illa aliquando ventus, & proſpectandum dabit Solem ſuum. Non dabit hoc ſæculo? dabit alio. Et certè perpaucis natus eſt, qui ætatis ſuę gentem cogitat. multa annorũ, multa populorum, orbe toto, millia ſuperuenient. ad illa cogitationes flecte. nam licet omnibus tecum viuentibus ſilentium liuor indulſerit; venient qui ſine offenſione ac gratia iudicent. Nulli ſanè non virtus ſua, viuo, aut mortuo retulit gratiam, ſi modò illam bona conſecutus eſt fide, ſi ſe non exornauit & pinxit; ſed idem fuit, ſiue ex denunciato ac præmeditato, ſiue ex imparato & ſubitò videretur. Futurorũ ergo memoriâ ſe prouocabit, quiſquis gloriam ſperat. nam viuo varia impedimenta obiicientur, & intercludent tenebras. meminerit tamen illud, non iam Stoici, ſed Chriſtiani: *Multorum innocentia & virtus lateret, niſi accepiſſent iniuriam. illuſtrauit nimirum fortuna plurimos, dum vexat*. non vexaſſet, non illuſtraſſet, & iacerent ſine iniuria. paſſi hanc ſunt, gloriam conſecuti ſunt, & multorum libris calamiſq; viuunt, quos obliuioni æternæ ſua & ſequens ætas inſepeliuiſſet. Non deterrebitur ergo,

Verus honor virtutis vmbra.

Iniuria & inuidia claros dedêre. qui honores ambit, iniuriâ & inuidiâ. illa vel ſola claros dedit, hæc illos comitatur. vt ambiri etiam inuidia debeat, tanquam gloriæ pediſſequa: dignuſq; gloria cenſeri poſſit, qui inuidiam patitur. nemo neglectis inuidet: ſurgentibus, aut in faſtigio poſitis inuidia accreſcit. Id adeò more fit omnium gentium; nam in omni Republica, quibus honos nullus eſt, magnis inuident. & vel hoc ſolo nomine, quòd vetera oderint, noua extollunt; quæ, ſi poſſint, poſtea deprimant. ita faſtidio quodam veterum ducimur, noua placent. Quin & nauſeâ quadam rerum ſuarum, cæco impetu, inſurgunt in optimos. Solus cõtemptus clariorem dabit virum magnum. &, ſi derogetur honor, amplectetur derogationem, vt amicam, vt optatam. maiorque illi gloriæ è gloriæ neglectu, & priuatæ vitæ amplexu erit, quàm è dignitatis poſſeſſione. quam bonis artibus ſibi parabit, quiſquis in vtraque fortuna magni nomen deſiderat. Ille ſecurus inambulat, qui ſuis, non alienis innititur. nam qui alienis; fulcimento ſubducto, corruit. vt ſi quis gloriam ſuam alienâ metiatur veſte, quam dum lubuerit, eat poſſeſſor detractum. Mentitur ille robur, magnitudinem, eruditionem, ornatum, qui alieno fortis, magnus, doctus, ornatus eſt. neque ſtare hæc poſſunt, aut poſteritatẽ pati. ſuo magnus ſit, qui magnus eſſe volet, & ex ſe naſcentibus magnitudinẽ paret. ſola virtus hoc faciet.

Eruditionem honos comitatur. Diſpiciat verò primò, in quo genere magnitudinem ſperet. In toga? totum ſe dabit ſtudiis, improbaq; quadam conſtantiâ incumbet in illa. Quòd ſi ingenium labori reſponderit, pauci anni magnum dabunt, maximè ſi mores eruditionem commendauerint. Incredibile dictu, quid labor etiam in mediocri ingenio poſſit, quo magis in magno? Nec latere diu eruditio poteſt, non magis quàm ignis reprimi. exſurgit hic, & alta petit; exſurget illa, & ad ſublimia amatorem ſuum ducet.

Quis honos ex aula & militia ſperandus? In aula fòrs, & aulæ manibus educi vult? obſequendo, & ferendo magna ſperet: beneficium deinde pro iniuria reponendo,

nendo,blanda pro seueris, mollia pro asperis, gratiam pro contumelia.hoc qui potuit, aulæ imperauit. E militia magna expectat? vigilando,& audendo consequetur.

Ecclesiæ ornamenta cogitat? à pietate & doctrina hæc veniunt. Nam illos hîc ego fortunæ filios non tango, quos albis illa manibus ex vtero ad purpuram vocauit & tiaram; & nescio,an non ante vterum; sanè in illo.Non tango nepotes magnorum: quibus ad magnitudinem nepotes fuisse satis est.nemo nepotem se fecit;fecit natura: & dum in patruo felicior lusit fortuna, nepotem adoptauit, fortunæ filium, & patruo iam filiũ,non nepotem.Non tango magnorum filios, genitura magnos: quos licèt omnia destituant, ingenium,eruditio,robur,pietas,totaque virtus; magnos tamen videas, aliorum licèt, non suâ virtute magnos.Non tango, quos emptus honor magnos dedit, sutore licèt patre, ingenioque crasso rudique, & aratro magis & ligonibus natos, pecuniâ tamen magnos, & exinde honoribus magnos. In quibus omnibus,cùm nihil reperias animo magnum,magna tamen terris circumferunt nomina.Quid?quod prudentum etiam sortiantur nomen,quia magni patrui, & parentis,aut aui nepotes & filij, & quia opibus magni. Non tango illos, quos adulatio, aut improbus magnorũ amor, aut artes non bonæ,fecerunt magnos. raró felicitas hæc æternat, & ferè infortunato fine fortunata initia signat. Non tango illos, quos militaris,non virtus,sed rapina fecit magnos. fortunatos hosce latrones ferè destituũt opes. Nec illos tango,quos pudenda Principum obsequia dedêre magnos. fors cadent, quâ surrexerunt viâ, & ipsi sibi ruinæ caussam dabunt. nescit tam mollibus diu pedibus felicitas stare. nam & nimia fæcunditas tenerioribus noxia arboribus est, dum ramos onerat & frangit.ita non vnam matrem fæcunditas strauit,& quæ vitam dederat,vitâ spoliata iacet. sic in parentem sæuit soboles. desæuit etiam malis moribus parta dignitas in auctorem,nec diu illæsum transit.

Quis honos verus ab Ecclesia

De

Bonis artibus honor parandus.

De illis ago, qui cùm his omnibus destituantur, ad gloriam viam sibi parant,& bonis artibus ad honores nituntur: misceantur licèt quædam humana, si prima Deus occupet, si patriæ salus & suorum,benè est,non damno; non impello tamen ad illos,nec auctor sum honorum. scio præcipitia dignitatibus adiacere, & confragosam in fastigium dignitatis viam esse. Et sanè perraro immodica durant,nisi ea moderatrix ratio compescat. Quod multorum regnorum & vrbium euentus ostendit,quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt: & quidquid virtute partum erat, intemperantiâ corruit.

Magnorũ infelices exitus.

Ostendit etiam magnorum exitus, quos in exemplum fortuna, tanquam nauseantis stomachi vomitum, posuisse videtur. Quis Perenniũ & Cleandrum Commodi,Rufinum & Eutropium Arcadij, Iunioris Theodosij Flauium, aliosq; orbe propè toto innumeros, fortunæ & dignitatum pilas, nesciat? Olim sanè, nec Sp. Melio amplissimi fauor Senatus, nec Gracchis aui Scipionis memoria, nec Manlio Capitolij vindicatio,nec Druso sanctissimi penates, nec Seiano Imperatorius sanguis auxiliatus, nec Pompeio orbis victoriis lustratus, nec Cæsari terrarum triumphi. iacent suorum gladiis.ita, cùm Pompeio suspectæ Cæsaris opes, Cæsari Pompeiana dignitas grauis esset, nec hic ferret parem, nec ille superiorem, quasi duos tanta imperij fortuna non caperet; non antè immodica in vtroque dignitatum restincta sitis, quàm sanguine illam leuarent. Iam quis non peractum cum Pompeio bellum crederet? at acriùs multò Thessalici incendij cineres recaluere, quasi tanti viri manibus vltionem fortuna quæreret.inuenit in filiis. & pro vno, duo Pompeij nati.addebat animos fraternitas Ducum, & Magni memoria in duobus. inde acriùs, quàm in Pharsalicis, pugnatum in Hispania. & anceps diu prælium, vt videretur nescio quid dubitare fortuna,& in quam se partem verteret deliberare. & occupare manu mortem Cæsar voluisse narratur, cùm de

victoria

victoria desperasset. Vicit tandem Cæsaris felicitas, & hæc sola. nam errore suorum solo victi Pompeij cesserunt, non cesserunt virtute, non animis. post hos neminem vinci puduit. secuti sunt reliqui, quodam quasi æstu & torrente fortunæ; præmiumq; victoriarum Hispania fuit, & secutus Hispaniam orbis probè terrarũ. Quis non crederet pacata omnia Cæsari fore? domi inuenit, adeoq; in ipso Senatu, qui felicitatem demeteret. ergo tribus & viginti vulneribus ad terram datus, sanguine curiam impleuit, qui orbem natare sanguine docuerat. Hic finis honorũ, nec poterat improba hæc sitis alio, quàm sitientis sanguine extingui. Non attingo Marium & Syllam. nota historia est. vt inuidisse in his fortuna principi gentium populo videatur, ipsum illum in exitium suum animando. nec priùs quieuerunt, quàm vrbs ipsa sanguine suorũ nataret: nec cædium tamen, qui belli finis, quærendi fuerunt qui occiderentur. hinc illa tabula, quæ Equestris ac Senatorij ordinis duo millia delegerat, quæ mori iuberentur. Et verè, si sine ciuibus stare imperiũ potuisset, vixisset, cui imperaret Sylla, nemo. hinc illæ tandem voces, lassas cædibus & sanguine manus retrahentes, viuere aliquos debere, vt essent quibus imperaret. Taceo Catilinam. vtrimq; ciues. & pugnatum tantis animis, vt nemo è Catilinariis, qui ludibrio esset, superfuerit. quem enim quisque locũ pugnãdo ceperat, eum emissa anima corpore tegebat. Pulcræ mortes, si pro patria, si pro iustitia, si pro Deo. caussa tantarũ calamitatum eadem, nimia honorũ in magna felicitate cupiditas.

Non tango ætatis nostræ Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Italiæ, Angliæ funesta exempla. &, ô meum Belgium, quanta in magnis fortunæ documenta dedisti! nolo tangere hanc scabiem; nolo incestare calamum tam! ô quid dicam? nolo castam chartam tantorum sanguine purpurare. Hoc dico:

Magnis fallax fortuna bonis,
In præcipiti dubióque nimis
Excelsa locas.

Ferè qui altiùs tolluntur, deprimuntur altiùs.

Fortuna varia vicißitudo exemplis comprobata.

Miseri, qui hîc altiùs tolli videntur, vt in exemplum & terrorem decidāt altiùs. Et sanè, dum exitum quorumdā intueor, saginari mihi vt victimæ ad supplicium videntur, vt hostiæ ad pœnam coronari. Decurramus per veterum Historias, videamus in his variam in omni genere fortunæ vicissitudinem extollentem, ludentem, ridentem, fæuientem. Incipiamus à Romanis, & primò à lætioribus, transibimus inde ad tristia. P. Rupilius, quem Sicilia diurnas capturas exigentem publicanum viderat, eundem iura dantem, Consulem, classesque & exercitus ducentem habuit. P. Ventidius in triumphum sub Cn. Pompeij Magni patre ductus, de Parthis Consul triumphauit. itaque qui captiuus carcerem exhorruerat, Capitolium felicitate celebrauit. L. Lentulum, inter ornamenta & dedecora, alterna vice fortuna versauit, consulatui ipsius repetundarum damnationem, damnationi censuram subiiciendo, neque bonis illum perpetuis frui, neque malis æternis ingemiscere patiendo. Cn. Cornelium Scipionem Asinam ex Consule à Pœnis apud Liparam captiuum, & ex captiuo Consulem Roma vidit. Quid dicam de Q. Cæpione, qui post præturam, triumphum, consulatum, pontificatum maximum, in publicis vinculis spiritum deposuit? quid de C. Mario humillimo Arpinate, toties Romę Consule, post Africam, Iugurtham, Theutonas, Cimbros, & post exilium Consule? quem si inter felices posueris, felicissimum; si inter miseros, miserrimū reperies. C. Attilium Regulum, è Consule Romano & triumphatore, resectis palpebris, peracutis vndique stimulis incumbentem video. Q. verò Catulum C. Marij in consulatu & triumpho de Cimbris socium, in cubiculo recenti calce illito multoque igni calefacto, iussum mori accepimus. L. quoque Cornelium Merulam Consularem, incisis venis contumeliosæ mortis denuntiationem effugisse. Et non M. Manlius vnde Gallos depulerat, præcipitatus est? non Sp. Cassius, post tres consulatus, duos triumphos, securi periit. ac interempto domus superiecta, vt Penatium

natium quoque ſtrage puniretur? non Ti. & C. Gracchorum nobiliſſimorum corpora inſepulta iacuerunt, vt ſupremus humanæ conditionis honos nepotibus Africani deeſſet? Et non Africanus ipſe poſt victum Hannibalem, ſubactam in Carthagine Africam, Remp. ſibi reſtitutam, ignobilis accola vici ac deſertæ paludis, inſcribi ſepulcro voluit, *Ingrata patria ne oſſa quidem mea habes*? non Africanus Poſterior, Numantia & Carthagine euerſa, cùm ſeruulos raptores ſpiritus domi reperiſſet, punitorem in foro non reperit? non in eadem gente Scipio Naſica legationis titulo Pergamum ſeceſſit, &, quod vitæ ſuperfuit, ſine vllo ingratæ patriæ deſiderio peregit? In eadem etiam Cornelia gente P. Lentulus cùm à diis petiiſſet, ne ad ingratum populum reuerteretur, in Sicilia vitam finiit. Quinque ergo Cornelij, quinque ingratiſſimæ patriæ exempla ſunt. Ahala verò, cùm Sp. Mælium regnũ affectantem occidiſſet, cuſtoditæ libertatis ciuium, exilio ſuo pœnas pependit. non Octauij Conſulis caput roſtra viderunt? non Antonij Conſularis Marianæ menſæ? non Craſſus pater & filius mutuo aſpectu cædes ſuas funeſtarunt? De Pompeij verò capite non pupillus & ſpado tulere ſententiam? C. Cæſar iuſſit Lepidum Decio Tribuno præbere ceruicẽ, ipſe Chereæ præſtitit. Venio ad Imperatores. quis ferrum in Galba, Ottone, Vitellio, Caligula, Domitiano, Nerone; quis in Tiberio, Claudio, Germanico venenum; quis in Maximo, Balbino, Michaele Calaphate, Anthemio, Theodoſio tertio, Leontio, Iuſtiniano, Thoma, Valente, Zenone, Heracleone, Mauricio, Phoca, Nicephoro, arma, ignes, ſecures ignorat? quis, vt Romanum Imperium egrediar, in Wandalis, Gaudericum, Henſericum, Hildemerem, Gilimerem; in Viſigothis, Attulphum, Gigericum, Theodocidum, Thuriſmundum, Alaricum, Geſericum, Amalaricum; quis in Oſtrogothis, Theodoricum, Amalaſuentham, Theodelarum, Vitigem; quis in Longobardis Alboinum, Roſimundum, Rodoaldum, Gundebertum neſcit, omnes morte non

ſua extinctos? In Scotorum Regibus quàm pauci lectum & mortem ſuam norunt! Nec immunis Germania fuit, non Gallia, non Hiſpania, non Aſia, non Africa, non India. ita aliena plurimùm manu, Imperatores, Reges, primiq́ue exercituum ductores iacent. Hic fortunæ ludus eſt. victimę huic Reges; & quidquid magnum orbe propè toto fuit, fabula huic ſtetit, aut tragœdiæ pars cruenta, vt gloriæ illius partem credas, ſceptra, diademata, purpuram calcaſſe; & plus in illis, quàm in ſago & ligonibus ſæuiſſe. Vis plures in hoc genere, & miſerandos magnorum exitus? plenæ ſunt omnium gentium Hiſtoriæ, nullam orbe toto excipio. Sanè Polycrates Samiorum Tyrannus, Regum aliquando fortunatiſſimus, cui velle ac poſſe in æquo poſitum, in Micalenſis montis vertice cruci affigitur. Et non Dionyſius, poſt exercitus & claſſes, nè quis fortunæ crederet, Corinthi Magiſter ludi factus ex Siciliæ Tyranno, Reges monet? Syphax Romanorum & Carthaginenſium in Scipione & Haſdrubale, tantùm-non arbiter victoriæ factus, paruâ interiectâ morâ, catenis conſtrictus, ad Scipionis genua ſupplex procumbit. Et non Hannibal Romani terror imperij, &, ſi victoriâ vti ſciuiſſet, Romanus ex Pœno Imperator, voluntariâ morte hoſtium ſe manibus vinculiſq́ue exemit? Idem mortis genus in Mithridate video. Et Lacedæmoniorum maximus Lycurgus patriâ pulſus iacet. Solon verò Athenienſium primus, profugus in Cypro vitam finiit. Theſeus, ſine quo nullæ Athenæ erant, paruulo in ſcopulo ſepelitur. Miltiades verò poſt trecenta Perſarum millia Marathone deuicta, in vinculis mori cogitur. Ariſtides etiam Græcorum iuſtiſſimus patriâ cedere iuſſus. Themiſtocles verò, à quo Athenæ Græciæ principatum acceperant, ad Xerxis miſericordiam, ad victi victor genua, perfugere coactus eſt. Phocion autem, poſt obitum, extra fines Atticæ regionis proiici iuſſus. Et non Crœſus rogum ſuum vidit, Agis laqueum, Nicias lapides, venena Phocion, Ptolemæus & Iugurtha vincula, Baiazetes & Lu-

cius

eius caueam ferream, Alcibiades tela, inediam Pausanias, Manfredus securim? denique Hector, Hercules, Achilles, Pyrrhus, Darius, Alexander, & magnorum plerique qua morte iacent?

Dum hæc legis, ne fide mea iuuentus magnis. celsa ferè fulmina petunt. & tristes exitus, & dubij casus, & paucorum ferè annorum felicitas infelici exitu funestata, quem non terreat? O, pone modum magnis cogitationibus; quæ prauâ semel viâ ingressę, feruntur nullo discrimine in obuios quosque, etiam vteri eiusdem. O nimis fœcunda malorum ætas nostra! quò per quinquaginta annorum ciuilia bella, trahis caram mihi patriam! Dum modum non ponimus magnis, audire cogimur, Quis non Belgico *Non fidendum magnis.*

—— Sanguine pinguior
Campus sepulcris impia prælia
Testatur?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare
Non decolorauere cædes?
Eheu! cicatricum, & sceleris pudet,
Fratrúmque; quid nos dura refugimus
Ætas quid intactum nefasti
Liquimus? vnde manus iuuentus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô vtinam noua
Incude diffingas retusum in

vltimos barbarorum ferrum! Pone sceleri modum, nec te delectet, ad sæculi huius magna, per cognatum ire sanguinem. non deerit Africâ & Asiâ vilior, quo sitibundam magnitudinem extinguas.

Redeo in viam. Quid quæris in augusta dignitatum magnitudine tranquillitatem? raram Oceanus spondere solet. & quid ambientium animi, nisi reciprocis æstibus iactata maria? Quæris gaudia? talia in leonibus & lupis videbis *Nec pax, nec gaudiũ, nec felicitas è magnitudine.*

Gg 3 capta

temptu natum expleat. atque hinc cædes etiam Principum virorum, quorum vitæ factus est dominus qui suam contempsit. hanc odia contemnere docuerunt. odia verò nulla re magis, quàm contemptu nata sunt. In contemnendis ergo parcissimus, in laudandis effusus erit. quòd si laudes improba non admittat vita, silentio vt laudes, ita & contemptum premet. Quòd si scelerum iniecta mentio, eluet. non potest? mitigabit; & exasperantibus aliis, molliore verborum deterget spongiâ, vt nec omninò offendat exacerbatos narratores, nec damnet accusatum: alias potiùs iniiciat narrationes, inopinatas, nouas, quarum nouitate aliò narratorem ducat, & ab incepto abducat.

Quid faciendum si opes comitentur honores.

Quòd si opes honoribus accesserint, continebit illas tanquam carceribus vir prudens, nec elabi patietur, ne aduersantium oculos splendore suo percutiant, ne inimica feriant pectora, nec egentibus sitim prouocent; vnde doli & fraudes, improbæ sitis fœcundæ soboles. Nimiæ tamen parsimoniæ nomen vitabit, magis etiam cupiditatis nimiæ: & liberali dexterâ porriget, quidquid liberali Principum manu consecutus est, ac vltroneis etiam beneficiis plurimos sibi obstringet. Si non permittent facultates, benigna pro rebus verba reponet, & amicâ beabit sermocinatione, quem muneribus non potest. Voluisse, nec potuisse, beneficij semper loco fuit; & gratiora frequenter pauperum vota, diuitum donis fuerunt. illa è diuite pectore, hæc non rarò ex inope proficiscuntur. quo fit, vt animum magis dantis, quàm munus ipsum intueamur & veneremur: maximè si de ingenuis agamus, qui è pectore, non è manu metiri donum consueuerunt. Nec difficile est scire, à qua mente res proficiscatur. frons, oculi, verba, promptitudo, magni beneficiorum testes & indices sunt.

CAPVT XXII.

Quid faciendum in arduis, & rerum deliberationibus?

NIHIL aggrediatur, nisi maturâ deliberatione præmissâ. quod adeò necessarium, *vt sæpè honestas rerum caussas, nisi iudicium adhibeas, perniciosi exitus sequantur.* & benè alter: *Plus auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.* Intentum proinde animum in res omnes habebit. discutiet singula, & in longum consultabit. Scio quosdam, subitis aut nullis propè consiliis, euentu tamen claros fuisse. Cerealis inter exempla ponendus. aderat nimirùm ipsi facultas, & fortuna, etiam vbi consilium & artes defuissent. Hinc ipsi, exercituique minor cura disciplinæ. neque semel tamen ad extrema Romanam rem compulit. Verùm vnus fors, aut alterè millibus Cerealis erit; cui cùm satis fuerit præsentibus frui, prosperè tamen secutura respondeant. At fatuum est fortunato vnius exemplo insistere; cùm tot millibus infortunatissimis terreamur. Scio etiam quædam non nisi à præsente monstrari, vt verum sit, *gladiatorem in arena consilium capere.* cum rebus nimirùm ipsis deliberandum non rarò est. at, vbi res moram patitur, nemo prudens saltu se in illam immittet. Et sanè quisquis deliberationibus assueuit, etiam in subitis, quæ deliberationem excludunt, inueniet quod proderit. assuetùdo enim ingenium acuit, & promptitudinem quamdam ingenerat, animoq; præsentiam conciliat, & intrepidum inter ardua pectus. Scio deinde mortalium plerosque, res ferè prudentiamq; ab euentu metiri: vnde non rarò, eadem omninò, nunc prudentiæ, nunc temeritati ascribuntur; nunc robori, nunc furori. quare eædem res, nunc sapientiæ, nunc stultitiæ nomen accipiunt. qua re stolidius reperiri nihil potest. stultissimè enim inchoata felicem aliquando exitum sortiri, dubitare non possumus. Ita Africanus duabus ex Hispania

Matura deliberatio rebus præmittenda.

Homines ferè prudentiam ab euentu metiuntur.

Iniuria & inuidia claros dedêre. qui honores ambit, iniuriâ & inuidiâ. illa vel sola claros dedit, hæc illos comitatur. vt ambiri etiam inuidia debeat, tanquam gloriæ pedissequa: dignusq; gloria censeri possit, qui inuidiam patitur. nemo neglectis inuidet: surgentibus, aut in fastigio positis inuidia accrescit. Id adeò more fit omnium gentium; nam in omni Republica, quibus honos nullus est, magnis inuident. & vel hoc solo nomine, quòd vetera oderint, noua extollunt; quæ, si possint, postea deprimant. ita fastidio quodam veterum ducimur, noua placent. Quin & nauseâ quadam rerum suarum, cæco impetu, insurgunt in optimos. Solus cõtemptus clariorem dabit virum magnum. &, si derogetur honor, amplectetur derogationem, vt amicam, vt optatam. maiorque illi gloria è gloriæ neglectu, & priuatæ vitæ amplexu erit, quàm è dignitatis possessione. quam bonis artibus sibi parabit, quisquis in vtraque fortuna magni nomen desiderat. Ille securus inambulat, qui suis, non alienis innititur. nam qui alienis; fulcimento subducto, corruit. vt si quis gloriam suam alienâ metiatur veste, quam dum lubuerit, eat possessor detractum. Mentitur ille robur, magnitudinem, eruditionem, ornatum, qui alieno fortis, magnus, doctus, ornatus est. neque stare hæc possunt, aut posteritatẽ pati. suo magnus sit, qui magnus esse volet, & ex se nascentibus magnitudinẽ paret. sola virtus hoc faciet.

Eruditionem bonos comitatur. Dispiciat verò primò, in quo genere magnitudinem speret. In toga? totum se dabit studiis, improbaq; quadam constantiâ incumbet in illa. Quòd si ingenium labori responderit, pauci anni magnum dabunt, maximè si mores eruditionem commendauerint. Incredibile dictu, quid labor etiam in mediocri ingenio possit, quo magis in magno? Nec latere diu eruditio potest, non magis quàm ignis reprimi. exsurgit hic, & alta petit; exsurget illa, & ad sublimia amatorem suum ducet.

Quis bonos ex aula & militia sperandus? In aula fòrs, & aulæ manibus educi vult? obsequendo, & ferendo magna speret: beneficium deinde pro iniuria reponendo,

nendo,blanda pro ſeueris, mollia pro aſperis, gratiam pro contumelia.hoc qui potuit, aulæ imperauit. E militia magna expectat? vigilando,& audendo conſequetur.

Eccleſiæ ornamenta cogitat? à pietate & doctrina hæc veniunt. Nam illos hîc ego fortunæ filios non tango, quos albis illa manibus ex vtero ad purpuram vocauit & tiaram; & neſcio,an non ante vterum; ſanè in illo.Non tango nepotes magnorum: quibus ad magnitudinem nepotes fuiſſe ſatis eſt.nemo nepotem ſe fecit;fecit natura: & dum in patruo felicior luſit fortuna, nepotem adoptauit, fortunæ filium, & patruo iam filiũ,non nepotem.Non tango magnorum filios, genitura magnos: quos licèt omnia deſtituant, ingenium,eruditio,robur,pietas,totaque virtus; magnos tamen videas, aliorum licèt, non ſuâ virtute magnos.Non tango, quos emptus honor magnos dedit, ſutore licèt patre, ingenioque craſſo rudique, & aratro magis & ligonibus natos, pecuniâ tamen magnos, & exinde honoribus magnos. In quibus omnibus,cùm nihil reperias animo magnum,magna tamen terris circumferunt nomina.Quid?quod prudentum etiam ſortiantur nomen,quia magni patrui, & parentis,aut aui nepotes & filij, & quia opibus magni. Non tango illos, quos adulatio, aut improbus magnorũ amor, aut artes non bonæ,fecerunt magnos. rarò felicitas hæc æternat, & ferè infortunato fine fortunata initia ſignat. Non tango illos, quos militaris,non virtus,ſed rapina fecit magnos. fortunatos hoſce latrones ferè deſtituũt opes. Nec illos tango,quos pudenda Principum obſequia dedêre magnos. fòrs cadent, quâ ſurrexerunt viâ, & ipſi ſibi ruinæ cauſſam dabunt. neſcit tam mollibus diu pedibus felicitas ſtare. nam & nimia fæcunditas tenerioribus noxia arboribus eſt, dum ramos onerat & frangit.ita non vnam matrem fæcunditas ſtrauit,& quæ vitam dederat,vitâ ſpoliata iacet. ſic in parentem ſæuit ſoboles. deſæuit etiam malis moribus parta dignitas in auctorem,nec diu illæſum tranſit.

Qui boni verus ab Eccleſia

De

Bonis artibus honor parandus. De illis ago, qui cùm his omnibus destituantur, ad gloriam viam sibi parant, & bonis artibus ad honores nituntur: misceantur licèt quædam humana, si prima Deus occupet, si patriæ salus & suorum, benè est, non damno; non impello tamen ad illos, nec auctor sum honorum. scio præcipitia dignitatibus adiacere, & confragosam in fastigium dignitatis viam esse. Et sanè perrarò immodica durant, nisi ea moderatrix ratio compescat. Quod multorum regnorum & vrbium euentus ostendit, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt: & quidquid virtute partum erat, intemperantiâ corruit.

Magnorũ infelices exitus. Ostendit etiam magnorum exitus, quos in exemplum fortuna, tanquam nauseantis stomachi vomitum, posuisse videtur. Quis Perenniũ & Cleandrum Commodi, Rufinum & Eutropium Arcadij, Iunioris Theodosij Flauium, aliosq; orbe propè toto innumeros, fortunæ & dignitatum pilas, nesciat? Olim sanè, nec Sp. Melio amplissimi fauor Senatus, nec Gracchis aui Scipionis memoria, nec Manlio Capitolij vindicatio, nec Druso sanctissimi penates, nec Seiano Imperatorius sanguis auxiliatus, nec Pompeio orbis victoriis lustratus, nec Cæsari terrarum triumphi. iacent suorum gladiis. ita, cùm Pompeio suspectæ Cæsaris opes, Cæsari Pompeiana dignitas grauis esset, nec hic ferret parem, nec ille superiorem, quasi duos tanta imperij fortuna non caperet; non antè immodica in vtroque dignitatum restincta sitis, quàm sanguine illam leuarent. Iam quis non peractum cum Pompeio bellum crederet? at acriùs multò Thessalici incendij cineres recaluere, quasi tanti viri manibus vltionem fortuna quæreret. inuenit in filiis. & pro vno, duo Pompeij nati. addebat animos fraternitas Ducum, & Magni memoria in duobus. inde acriùs, quàm in Pharsalicis, pugnatum in Hispania. & anceps diu prælium, vt videretur nescio quid dubitare fortuna, & in quam se partem verteret deliberare. & occupare manu mortem Cæsar voluisse narratur, cùm de victoria

victoria desperasset. Vicit tandem Cæsaris felicitas, & hæc sola. nam errore suorum solo victi Pompeij cesserunt, non cesserunt virtute, non animis. post hos neminem vinci puduit. secuti sunt reliqui, quodam quasi æstu & torrente fortunæ; præmiumq; victoriarum Hispania fuit, & secutus Hispaniam orbis probè terrarū. Quis non crederet pacata omnia Cæsari fore? domi inuenit, adeoq; in ipso Senatu, qui felicitatem demeteret. ergo tribus & viginti vulneribus ad terram datus, sanguine curiam impleuit, qui orbem natare sanguine docuerat. Hic finis honorū, nec poterat improba hæc sitis alio, quàm sitientis sanguine extingui. Non attingo Marium & Syllam. nota historia est. vt inuidisse in his fortuna principi gentium populo videatur, ipsum illum in exitium suum animando. nec priùs quieuerunt, quàm vrbs ipsa sanguine suorū nataret: nec cædium tamen, qui belli finis, quærendi fuerunt qui occiderentur. hinc illa tabula, quæ Equestris ac Senatorij ordinis duo millia delegerat, quæ mori iuberentur. Et verè, si sine ciuibus stare imperiū potuisset, vixisset, cui imperaret Sylla, nemo. hinc illæ tandem voces, lassas cædibus & sanguine manus retrahentes, viuere aliquos debere, vt essent quibus imperaret. Taceo Catilinam. vtrimq; ciues. & pugnatum tantis animis, vt nemo è Catilinariis, qui ludibrio esset, superfuerit. quem enim quisque locū pugnādo ceperat, eum emissa anima corpore tegebat. Pulcræ mortes, si pro patria, si pro iustitia, si pro Deo. caussa tantarū calamitatum eadem, nimia honorū in magna felicitate cupiditas.

Non tango ætatis nostræ Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Italiæ, Angliæ funesta exempla. &, ô meum Belgium, quanta in magnis fortunæ documenta dedisti! nolo tangere hanc scabiem; nolo incestare calamum tam! ô quid dicam? nolo castam chartam tantorum sanguine purpurare. Hoc dico:

Magnis fallax fortuna bonis,
In præcipiti dubióque nimis
Excelsa locas.

Ferè qui altiùs tolluntur, deprimuntur altiùs.

Miſeri, qui hîc altiùs tolli videntur, vt in exemplum & terrorem decidãt altiùs. Et ſanè, dum exitum quorumdã intueor, ſaginari mihi vt victimæ ad ſupplicium videntur, vt hoſtiæ ad pœnam coronari. Decurramus per veterum Hiſtorias, videamus in his variam in omni genere fortunæ viciſſitudinem extollentem, ludentem, ridentem, ſæuientem. Incipiamus à Romanis, & primò à lætioribus, tranſibimus inde ad triſtia. P. Rupilius, quem Sicilia diurnas capturas exigentem publicanum viderat, eundem iura dantem, Conſulem, claſſeſque & exercitus ducentem habuit. P. Ventidius in triumphum ſub Cn. Pompeij Magni patre ductus, de Parthis Conſul triumphauit. itaque qui captiuus carcerem exhorruerat, Capitolium felicitate celebrauit. L. Lentulum, inter ornamenta & dedecora, alterna vice fortuna verſauit, conſulatui ipſius repetundarum damnationem, damnationi cenſuram ſubiiciendo, neque bonis illum perpetuis frui, neque malis æternis ingemiſcere patiendo. Cn. Cornelium Scipionem Aſinam ex Conſule à Pœnis apud Liparam captiuum, & ex captiuo Conſulem Roma vidit. Quid dicam de Q. Cæpione, qui poſt præturam, triumphum, conſulatum, pontificatum maximum, in publicis vinculis ſpiritum depoſuit? quid de C. Mario humillimo Arpinate, toties Romę Conſule, poſt Africam, Iugurtham, Theutonas, Cimbros, & poſt exilium Conſule? quem ſi inter felices poſueris, feliciſſimum; ſi inter miſeros, miſerrimũ reperies. C. Attilium Regulum, è Conſule Romano & triumphatore, reſectis palpebris, peracutis vndique ſtimulis incumbentem video. Q. verò Catulum C. Marij in conſulatu & triumpho de Cimbris ſocium, in cubiculo rẽcenti calce illito multoque igni calefacto, iuſſum mori accepimus. L. quoque Cornelium Merulam Conſularem, inciſis venis contumelioſæ mortis denuntiationem effugiſſe. Et non M. Manlius vnde Gallos depulerat, præcipitatus eſt? non Sp. Caſſius, poſt tres conſulatus, duos triumphos, ſecuri periit. ac interempto domus ſuperiecta, vt Penatium

Fortuna varia viciſſitudo exemplis comprobata.

natium quoque ſtrage puniretur? non Ti. & C. Gracchorum nobiliſſimorum corpora inſepulta iacuerunt, vt ſupremus humanæ conditionis honos nepotibus Africani deeſſet? Et non Africanus ipſe poſt victum Hannibalem, ſubactam in Carthagine Africam, Remp. ſibi reſtitutam, ignobilis accola vici ac deſertæ paludis, inſcribi ſepulcro voluit, *Ingrata patria ne oſſa quidem mea habes*? non Africanus Poſterior, Numantia & Carthagine euerſa, cùm ſeruulos raptores ſpiritus domi reperiſſet, punitorem in foro non reperit? non in eadem gente Scipio Naſica legationis titulo Pergamum ſeceſſit, &, quod vitæ ſuperfuit, ſine vllo ingratæ patriæ deſiderio peregit? In eadem etiam Cornelia gente P. Lentulus cùm à diis petiiſſet, ne ad ingratum populum reuerteretur, in Sicilia vitam finiit. Quinque ergo Cornelij, quinque ingratiſſimæ patriæ exempla ſunt. Ahala verò, cùm Sp. Mælium regnū affectantem occidiſſet, cuſtoditæ libertatis ciuium, exilio ſuo pœnas pependit. non Octauij Conſulis caput roſtra viderunt? non Antonij Conſularis Marianæ menſæ? non Craſſus pater & filius mutuo aſpectu cædes ſuas funeſtarunt? De Pompeij verò capite non pupillus, & ſpado tulere ſententiam? C. Cæſar iuſſit Lepidum Decio Tribuno præbere ceruice, ipſe Chereæ præſtitit. Venio ad Imperatores. quis ferrum in Galba, Ottone, Vitellio, Caligula, Domitiano, Nerone; quis in Tiberio, Claudio, Germanico venenum; quis in Maximo, Balbino, Michaele Calaphate, Anthemio, Theodoſio tertio, Leontio, Iuſtiniano, Thoma, Valente, Zenone, Heracleone, Mauricio, Phoca, Nicephoro, arma, ignes, ſecures ignorat? quis, vt Romanum Imperium egrediar, in Wandalis, Gaudericum, Henſericum, Hildemerem, Gilimerem; in Viſigothis, Attulphum, Gigericum, Theodocidum, Thuriſmundum, Alaricum, Geſericum, Amalaricum; quis in Oſtrogothis, Theodoricum, Amalaſuentham, Theodelarum, Vitigem; quis in Longobardis Alboinum, Roſimundum, Rodoaldum, Gundebertum neſcit, omnes morte non

ſua extinctos? In Scotorum Regibus quàm pauci lectum & mortem ſuam norunt! Nec immunis Germania fuit, non Gallia, non Hiſpania, non Aſia, non Africa, non India. ita aliena plurimùm manu, Imperatores, Reges, primique exercituum ductores iacent. Hic fortunæ ludus eſt. victimę huic Reges; & quidquid magnum orbe propè toto fuit, fabula huic ſtetit, aut tragœdiæ pars cruenta, vt gloriæ illius partem credas, ſceptra, diademata, purpuram calcaſſe; & plus in illis, quàm in ſago & ligonibus ſæuiſſe. Vis plures in hoc genere, & miſerandos magnorum exitus? plenæ ſunt omnium gentium Hiſtoriæ, nullam orbe toto excipio. Sanè Polycrates Samiorum Tyrannus, Regum aliquando fortunatiſſimus, cui velle ac poſſe in æquo poſitum, in Micalenſis montis vertice cruci affigitur. Et non Dionyſius, poſt exercitus & claſſes, ne quis fortunæ crederet, Corinthi Magiſter ludi factus ex Siciliæ Tyranno, Reges monet? Syphax Romanorum & Carthaginenſium in Scipione & Haſdrubale, tantùm-non arbiter victoriæ factus, paruâ interiectâ morâ, catenis conſtrictus, ad Scipionis genua ſupplex procumbit. Et non Hannibal Romani terror imperij, &, ſi victoriâ vti ſciuiſſet, Romanus ex Pœno Imperator, voluntariâ morte hoſtium ſe manibus vinculiſque exemit? Idem mortis genus in Mithridate video. Et Lacedæmoniorum maximus Lycurgus patriâ pulſus iacet. Solon verò Athenienſium primus, profugus in Cypro vitam finiit. Theſeus, ſine quo nullæ Athenæ erant, paruulo in ſcopulo ſepelitur. Miltiades verò poſt trecenta Perſarum millia Marathone deuicta, in vinculis mori cogitur. Ariſtides etiam Græcorum iuſtiſſimus patriâ cedere iuſſus. Themiſtocles verò, à quo Athenæ Græciæ principatum acceperant, ad Xerxis miſericordiam, ad victi victor genua, perfugere coactus eſt. Phocion autem, poſt obitum, extra fines Atticæ regionis proiici iuſſus. Et non Crœſus rogum ſuum vidit, Agis laqueum, Nicias lapides, venena Phocion, Ptolemæus & Iugurtha vincula, Baiazetes & Lucius

eius caueam ferream, Alcibiades tela, inediam Pausanias, Manfredus securim? denique Hector, Hercules, Achilles, Pyrrhus, Darius, Alexander, & magnorum plerique qua morte iacent?

Dum hæc legis, ne fide mea iuuentus magnis. celsa ferè fulmina petunt. & tristes exitus, & dubij casus, & paucorum ferè annorum felicitas infelici exitu funestata, quem non terreat? O, pone modum magnis cogitationibus; quæ prauâ semel viâ ingressę, feruntur nullo discrimine in obuios quosque, etiam vteri eiusdem. O nimis fæcunda malorum ætas nostra! quò per quinquaginta annorum ciuilia bella, trahis caram mihi patriam! Dum modum non ponimus magnis, audire cogimur, Quis non Belgico *Non fidendum magnis.*

—— Sanguine pinguior
Campus sepulcris impia prælia
Testatur?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare
Non decolorauere cædes?
Eheu! cicatricum, & sceleris pudet,
Fratrúmque; quid nos dura refugimus
Ætas. quid intactum nefasti
Liquimus? vnde manus iuuentus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô vtinam noua
Incude diffingas retusum in

vltimos barbarorum ferrum! Pone sceleri modum, nec te delectet, ad sæculi huius magna, per cognatum ire sanguinem. non deerit Africâ & Asiâ vilior, quo sitibundam magnitudinem extinguas.

Redeo in viam. Quid quæris in augusta dignitatum magnitudine tranquillitatem? raram Oceanus spondere solet. & quid ambientium animi, nisi reciprocis æstibus iactata maria? Quæris gaudia? talia in leonibus & lupis videbis *Nec pax, nec gaudiũ, nec felicitas è magnitudine.*

capta præda. non poteſt in magno gaudio eſſe, quem perpetua exaſperat maiorum honorum ſitis. & nemo ſitim ſedauit prouocantibus ſitim. Vis felicitatem? ſimilis illis, quibus in ſcena ſceptra & diademata porriguntur. cùm elati & cothurnati incedunt, non, vt primùm exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt? Idem euenit purpuratis, vbi reducta, fòrs cras, fòrs hodie, fòrs hac hora, fabulæ, quam agimus, cortina; expurpurati, exſericati, nulla dignitatis cuiuſcunque prærogatiua, nullo diſcrimine ſceptri & ligonis, tremuli ſtabimus.

Virtutes felici magnitudini neceſſaria.

Quòd ſi te tamen ad hæc ſæculi magna virtus vocauerit, & illa ſola, ne metue. imple munus, & quod virtus contulit virtute exequere. ac primò nihil in te agnoſcas magnum, & magno munere dignum. ſi magna agnoſcis, deſines eſſe magnus, cùm certiſſima magnitudo in ſui cōtemptu conſiſtat. hoc qui caret, paruus eſt. non minùs quàm nanus, licèt in monte ſteterit. nihil enim ad ſtaturam illius mons adiiciet: nihil ad magnitudinem veram, animi dico, dignitatum montes. Indignum te etiam dignitate iudica, ſacra illa, an profana ſit. hoc ſi non ſentis, longiſſimè à virtute es. quæ cùm maxima eſt, indigniſſimam ſe omni digniore munere arbitratur. Beneuolum deinde benignumq; te omnibus exhibeas. nemo te comitate vincat. &, cùm omnes dignitate viceris, omnes beneuolentiâ vince. nihil tibi hac ſubmiſſione decedet, accedet plurimum. Officioſum verò paratumq; te præbe omnibus, nec verbis, ſed factis etiam magis, vt opulenta verba locupletioribus factis diuites. quare nihil ſponde, nec operam tuam addicito, niſi liberaliùs daturus ſis. ſi negandum putas, comiſſimis negabis verbis, rationemq; plerumq, rei negatæ addes, & conſilio interim iuuabis. Quòd ſi perſonam, aut tuam, aut petentis dedeceat, magno candore rem à te excutias, operamq; in aliis, ſi mereri petentem arbitratus fueris, polliceberis. multum ad nominis æſtimationem famamque candor poteſt, vt etiam de repulſa qui petit, doleat, gau-

gaudeat de candore; magis etiam, si consilio iuueris. Munere autem & genere digniores, magna honoris significatione præuenies: pares etiam. quin & non rarò inferiores. Nec quenquam extra domesticos seruos, licet è plebe, aperto diu apud te capite permitte. mirum, quantum lenis hæc benignitas animos conciliet. Salutantes verò, etiam ex infimo populo, resaluta. nullo comitas & ciuilitas hæc constat, & famæ tamen plurimum addit & venerationi.

A quibus in magnitudine cauendum.

Ab asperioribus verò verbis vniuersim caue. exasperant hæc animos, & in damnum non rarò ac dominorum perniciem manus armant. A morosis etiam ac tristibus abstine. auertũt animos. A superbis ac fastuosis multò etiam magis. contemptum hæc pariunt, & liberioris locutionis ac detractionis magnam materiam suppetunt, & ferrum exacuunt, & consilia in interitum. Ita iacent plurimi, ignium, veneni, ferri victimæ. stetissent sine fastu. hic extulit, & depressit, & cineri hos montes æquauit. nihil certè comitate ad animos vincendos potentius. Etiam sceleribus si comitas adsit, & resperſa criminibus si benignitas fuerit; plurimum potest ad ignoscendum, ad leniendum; ad sequelam etiam & imitationem. tam potens illa est, vt hac vna sceleratissimi hominũ, incestuosi, crudeles, alienorum raptores, intemperantes, ac reliqua improbi, populi tamen animos vicerint, & in suam sententiam traxerint, ac imperio etiam potiri docuerint. quos si quis grauior casus occupasset, miserationem & lacrymas benignitatis memoria prouocabat, flagitia tegendo, retexendo laudes. Omnium verò maximè à verbis contemptum aliorum indicantibus abstinebit. hinc enim odia illa nascuntur, quæ solo partium interitu ponuntur. Nihil enim potentius odio è contemptu nato, vt, cùm vltimi hominum reliqua faciles perferant, vnum contemptum non ferant. vt nec seruulum quidem contempsisse prudentis sit. qui namque contemptum patitur, & contemnere contemptorem incipit, & vitam etiam suam contemnere, vt odium è contemptu

temptu natum expleat. atque hinc cædes etiam Principum virorum, quorum vitæ factus est dominus qui suam contempsit. hanc odia contemnere docuerunt. odia verò nulla re magis, quàm contemptu nata sunt. In contemnendis ergo parcissimus, in laudandis effusus erit. quòd si laudes improba non admittat vita, silentio vt laudes, ita & contemptum premet. Quòd si scelerum iniecta mentio, eluet. non potest? mitigabit; & exasperantibus aliis, molliore verborum deterget spongiâ, vt nec omninò offendat exacerbatos narratores, nec damnet accusatum: alias potiùs iniiciat narrationes, inopinatas, nouas, quarum nouitate aliò narratorem ducat, & ab incepto abducat.

Quid faciendum si opes comitentur honores.

Quòd si opes honoribus accesserint, continebit illas tanquam carceribus vir prudens, nec elabi patietur, ne aduersantium oculos splendore suo percutiant, ne inimica feriant pectora, nec egentibus sitim prouocent; vnde doli & fraudes, improbæ sitis fœcundæ soboles. Nimiæ tamen parsimoniæ nomen vitabit, magis etiam cupiditatis nimiæ: & liberali dexterâ porriget, quidquid liberali Principum manu consecutus est, ac vltroneis etiam beneficiis plurimos sibi obstringet. Si non permittent facultates, benigna pro rebus verba reponet, & amicâ beabit sermocinatione, quem muneribus non potest. Voluisse, nec potuisse, beneficij semper loco fuit; & gratiora frequenter pauperum vota, diuitum donis fuerunt. illa è diuite pectore, hæc non rarò ex inope proficiscuntur. quo fit, vt animum magis dantis, quàm munus ipsum intueamur & veneremur: maximè si de ingenuis agamus, qui è pectore, non è manu metiri donum consueuerunt. Nec difficile est scire, à qua mente res proficiscatur. frons, oculi, verba, promptitudo, magni beneficiorum testes & indices sunt.

CAPVT XXII.

Quid faciendum in arduis, & rerum deliberationibus?

NIHIL aggrediatur, nisi maturâ deliberatione præmissâ. quod adeò necessarium, *vt sæpè honestas rerum caussas, nisi iudicium adhibeas, perniciosi exitus sequantur.* & benè aliter: *Plus auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.* Intentum proinde animum in res omnes habebit. discutiet singula, & in longum consultabit. Scio quosdam, subitis aut nullis propè consiliis, euentu tamen claros fuisse. Cerealis inter exempla ponendus. aderat nimirùm ipsi facultas, & fortuna, etiam vbi consilium & artes defuissent. Hincipsi, exercituique minor cura disciplinæ. neque semel tamen ad extrema Romanam rem compulit. Verùm vnus fors, aut alterè millibus Cerealis erit; cui cùm satis fuerit præsentibus frui, prosperè tamen secutura respondeant. At fatuum est fortunato vnius exemplo insistere; cùm tot millibus infortunatissimis terreamur. Scio etiam quædam non nisi à præsente monstrari, vt verum sit, *gladiatorem in arena consilium capere.* cum rebus nimirùm ipsis deliberandum non raro est. at, vbi res moram patitur, nemo prudens saltu se in illam immittet. Et sanè quisquis deliberationibus assueuit, etiam in subitis, quæ deliberationem excludunt, inueniet quod proderit. assuetudo enim ingenium acuit, & promptitudinem quamdam ingenerat, animoq; præsentiam conciliat, & intrepidum inter ardua pectus. Scio deinde mortalium plerosque, res ferè prudentiamq; ab euentu metiri: vnde non raro, eadem omninò, nunc prudentiæ, nunc temeritati ascribuntur; nunc robori, nunc furori. quare eædem res, nunc sapientiæ, nunc stultitiæ nomen accipiunt. qua re stolidius reperiri nihil potest. stultissimè enim inchoata felicem aliquando exitum sortiri, dubitare non possumus. Ita Africanus duabus ex Hispania

Matura deliberatio rebus præmittenda.

Homines ferè prudentiam ab euentu metiuntur.

Hh quin-

quinqueremibus ad Syphacem traiecit, in vnius Numidæ fide suam & patriæ salutem depositurus. itaque *exiguo momento*, Valerio teste, *maxima rei casus fluctuauit, vtrùm captiuus, an victor Scipio Syphacis fieret.* Nec minùs temerarium illud Cæsaris, cùm impatiens tarditatis, maiestate suâ seruili veste occultatâ, nocte connubia, speculatorio nauigio, se imperiumque sæuissimæ Adriatici maris tempestati credidit. nimia fortunæ felicitas audaces fecerat. At nemo prudens prospera hæc, aut non infortunata ex casu consilia probauerit, quæ sola felicitate excusari à temerario ausu possunt.

Felices exitus ex temerariis conatibus.

Temeritatis exempla.

Iacent interim tot millia temerariorum conatuum documenta. in Flaminio apud Trasimenum lacum: in Varrone apud Cannas, cùm quadraginta millium cæde litatum temeritati est: in C. Manilio & Q. Cæpione contra Cimbros & Teutonas, octoginta millibus desideratis: in Hostilio Mancino, triginta millibus à tribus Numantinorum millibus superatis, fœdâ etiam castrorum deditione: in Calpurnio Pisone, exercitu ab eiusdem perexiguo præsidio oppresso: in Crasso contra Parthos, septem legionibus, cum equitum quatuor millibus, totidemque velitum, cum ipso duce ducisque filio cæsis aut fugatis: in temerariis denique seditionibus Ti. & C. Gracchi, Saturnini, Drusi. quorum exempla docere nos meritò debeant. Vt verè quidam: *Corrigit præsentem lapsus prioris, ac de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio.* Nascitur & prudentia. quam nulla re certiùs colligas, quàm temerariis aliorum lapsibus. viua in his consilia habes, roboris & sanguinis plena, quibus errorem tuum corrigas, aut, quod tutissimum, præcaueas.

Quòd si quæ aduersa nullâ arte euitanda excipienda fuerint, senties verum illud: *Præcogitati mali leuis ictus venit*; minusque expectata, quàm improuida tela ferire. sed neque pœnitudo grauis adiacet, si quid præter cogitata, fortuitum intercurrerit: conscientiâ enim se solatur, fecisse nimirum, quod prudentis erat. Secùs accidit? non accusabit fortunam: feret.

Nemo prudens accusabit fortunam.

feret. ſed neque inſurget in querimonias, ſi prudentibus cœptis aduerſentur euentus. quem enim perpetua comitata felicitas eſt? aut quem non aliquando lenocinantis diu fortunæ perfidus cruentauit exitus? quem non aliquâ ſui parte percuſſit? aut cui non tantum minata eſt, quantum promiſit? Stabit ergo in gradu ſuô, nec deſpondebit animum quacunque fortunâ incurrente, conſcius diligentiæ ſuæ. Sed neque accuſabit conſultorem ſuum. nam quis conſulet, ſi conſuluiſſe damno ſit? gratias magis aget, & eriget etiam mœrentem, ſi quo forte dolore preſſum viderit. Nam quid habes, quòd accuſes? Conſuluiſti? conſilium ex fide dedit. Errauit? non dixit errare ſe non poſſe. ſed & maior error tuus eſt, qui ſecutus es conſulentem. Nam, quæ te vis coëgit ſequi? liberè conſilium poſtulaſti. liberè ſecutus es: poteras non ſequi. Iam, cùm quiſque ferè in re ſua affectu à vero abducatur, certiùs alieno innititur conſilio; cùm nullus hunc amor trahat in amata, ſed affectu omni nudatus clariùs rem intueatur. nulla enim hunc nebula, aut affectuum nubes obtenebrauit, diemque ademit.

Nemo prudens consultorem damnabit.

Nec pudebit etiam res paruas in deliberationem vocare. Nam, vt in magnis, ita & in his irrepit non rarò error; etiam grauis, in re non magna. &, vt nihil aliud conſequatur, quàm animi tranquillitatem, vel hoc ſolo nomine amicos in conſilium vocabit. plures non poteſt? vnum ſaltem, cuius antè fidem probauit. Fugiet verò calida conſilia, & tanquam de torculari ſpumantia; igneos enim ferè euentus, flammaſque calor hic dabit in domini caput arſuras. Moram ergo aliquam interponet, & multa tacitus ſecum cogitabit, & metuenda diſcutiet, & quæ euenire grauiſſima poſſent ſibi proponet, animumque ad illa parabit. ſic fiet, vt paratum aduerſa reperiant, & in armatum antè pectus iacula cadant.

Deliberatio etiam de paruis instituenda.

Illud hîc etiam obſeruandum, vt in omni deliberatione, potiorem ſemper rationem habeat communis, quàm priuati boni. cuius defectu factum, vt imperium, quod Oceani

Priuata bona publicis postponenda.

 litto-

litteribus non ſteterat, vix intra Romanæ vrbis mœnia ſtaret: ac potentiſſimæ reſpublicæ regnaque in ipſis nunc ſedibus ſuis quærantur. Neque enim diu ſtare regnum, aut reſpublica poteſt, in qua poſthabitis publicis, ſinguli honoribus commodiſque ſuis ſtudent, & in qua priuata publicis potiora ſunt. Atque inde Mariana & Syllana tempeſtas, & parricidiale bellum in vrbe media, foro medio. nec finis odiorum fuit, donec deeſſent qui occiderentur. Initium belli, inexplebilis honorum Marij fames. hinc impatiens iniuriæ Sylla, geminum agmen vrbi infudit. nec multò pòſt Marius quadruplici agmine ciuitatem ingreditur. hinc cædes; longeque ſæuiùs, quàm in vltima barbarie aut media Carthagine ſæuitur. redit Sylla, & redeunt cædes. nec cædium tamen qui belli finis. neque ſatis dominatui erat ſeptuaginta ampliùs millia apud Collinam portam cęſa, niſi deditorum quatuor millia inermium ciuium, quaſi per ludum, cæderentur, pluresque longè pro victorum libidine; cùm ille hoſtis numeraretur, quem quiſque victorum ſibi inimicum ſtatuiſſet. Nec hic tamen finis. ex ipſo Equeſtris ordinis flore ac Senatus duo millia electi, qui mori iuberentur. Hæc Syllana rabies, priuata indignatione nata, in omnem ordinem ſæuiit, donec tandem ipſe Sylla efferatam indignabundamq; animam cum ſanguine deuomeret, vt ſanguine nataret, qui natare ſanguine ſuorum Romam iuſſerat. Succeſſit Catilina. egeſtas hunc rei familiaris, & negatus conſulatus in patriæ excidium compulit. Hoc barbarum pignus coniurationis ſanguis humanus, quem circumlatū pateris bibêre. ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberetur. quàm verò atrociter dimicatum fuerit, exitus docuit. nemo hoſtium bello ſuperfuit. pulcra mors, ſi pro patria concidiſſent, impium fuit contra eam. Inde Cæſar & Pompeius. cauſſa, ſuſpectæ vtrimque opes, & dignitas grauis hinc arma in Italiam Cæſaris, quaſi à negato abſenti conſulatu: tandemque fatali prælio Philippici in Theſſalia campi deſtinati. nun-

Damnati, qui priuata publicis præpoſuerunt.

quam

quam tantum virium Rom. populus, tantum dignitatis fortuna vidit. trecenta ampliùs millia hinc inde, præter auxilia Regum & Senatus. Nec finẽ mors Pompeij Septimij desertoris sui gladio trucidati dedit; incaluere Thessalici incendij cineres vehementiùs in Hispania. vbi anceps diu ac triste prælium. fortunæ, non virtuti Cæsaris Pompeiani cesserunt. tantam verò vtrimq; stragem fuisse memorant, vt congestis vndique cadaueribus agger exsurgeret. Nec diu læta Cæsari victoria stetit; qui mox Senatorũ gladiis cõcisus. Finis poterat esse bellorũ, ac pristinæ libertatis initiũ, nisi & Sext. Pompeius paterna repeteret, & Octauius patris mortem vlcisceretur, & Antonius Cæsaris successorem indignaretur Octauium. Hinc terra mariq́ue trepidatum, omniq́ue discriminum genere. ciuilibus, terrestribus, naualibus bellis Imperij corpus agitatum est. hinc Triumuiratus, & redux Syllana proscriptio centum quadraginta Senatorum, funestiq́ue exitus, & orbe toto miserabiles. mors Bruti & Cassij secuta, & noua cum Sexto Pompeio bella, in quibus Bithynicus Proprætor, & Saluidienus Cæsaris legati superati. anceps deinde bellum, grauiterq; Cæsaris fortuna duobus præliis concisa. vario etiam euentu mari pugnatum, Cæsaris classe superatâ, Agrippa vincente. cessit tandem inuida Pompeiis fortuna, & Sexti morte, magnum iacuit Pompeij nomen. Antonius denique ipse, ne veniret in potestatem, à gladio suo impetrauit. secuta Cleopatra, quæ admotis ad venas serpentibus, quasi somno soluta est. Hic finis armorum ciuilium, quæ nimia sibi felicitas parauerat, priuatorumq; commodorum & honorum studium. quo factum, vt in medio, Resp. propugnatoribus destituta, omnium manibus laceraretur, quæ omnium manibus petebatur. dum enim singuli sibi, non Reip. student, fœdè laniandam proposuerunt. Quò non rapit amor sui? inimicus hic consiliis, vt dandis, ita & accipiendis est. quandocunque ergo priuata vtilitas, necessitas, commoditas tua, cum publica patriæ aut regni certat, sepone tuam,

amplectere patriæ. qua stante, stare potes. Et si qua rerum iactura intercedat, resarciri aliquando, illâ saluâ, damna possunt. sin perierit illa, quid speras naui perditâ? misera spes est, quæ tabulâ vehitur. & non omnes, qui ruinæ caussam dederunt, cadente Rep. ceciderunt, & eâdem cum illa ruinâ insepulti sunt, aut non multò pòst eamdem fortunam subierunt? & quis vnquam diu stetit, illâ labente?

Laudati qui priuata publicis postposuere.

Priuata qui publicis postposuere commoda, laudem retulerunt, & cùm publicè prodessent, sibi etiam profuerunt. ita P. Valerius ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ instar arcis esse videbâtur. non quanto domo inferior, tanto gloriâ superior fuit? Furius Camillus post Ardeanum exilium, ad dictaturam vocatus, se vrbi, vrbem sibi restituit. Africanus Scipio nec perpetuum consulatum, nec dictaturam perpetuam, exilium tamen voluntarium suscepit, vt patriæ libertas sua staret. Numidicus Metellus populari factione patriâ pulsus, eodem vultu exilium, quo restitutionem tulit. Scipio etiam Nasica Pergamum secessit, vt sua libertas vrbi constaret. Secutus hunc P. Lentulus, donauitq; patriæ iniustam licèt indignationẽ. Iam primus Rom. libertatis assertor Brutus sanguinem suum, pro libertate Rom. populi, vilem habuit. Curtius etiam vitam patriæ libertati posthabuit. Genutius Cipus Prætor regno prætulit exilium: cùm enim responsum accepisset, Regem fore, si in Vrbẽ reuertisset, voluntarium sibi exilium indixit. Non absimile habemus in Ælio Prætore, qui interitum familiæ suæ delegit, vt Reip. felicitas staret. Duo etiam Decij pro Reip. incolumitate se deuouerunt: è quorum sanguine insperata victoria emersit. vita illorum victoriæ oberat, mors fecit vt vincerentur hostes. Inter laudanda, Codri est Atheniensium Regis, qui interitu suo fecit, ne Athenæ perirent; & Themistoclis, qui exceptum paterâ tauri sanguinem, instituto sacrificio, hausit, ne oppugnare, à qua exulabat, patriam, Persici exercitus dux factus cogeretur. De Philænis verò Carthaginensibus fratribus

tribus notissima historia est, qui viui insepeliri se passi sunt, quo latiùs Carthaginensium imperium diffunderetur. Magna sunt hæc affectus in patriam documenta, qui priuatam salutem, felicitatem, vitam patriæ felicitati posthabuerunt. Imitabitur vir fortis, vbicunque suam & patriæ integritatem in discrimen vocari viderit. hanc suæ præferet: & incolumitatem illius, si alia negata via, sanguine suo aut exilio parabit; clarior illustriorque hoc facto futurus, quàm si in alta felicitate æternùm viueret. Neque enim generosos hos ausus vlla ætas, ac nec Reip. quacunque posteritate interitus extinguet. neque enim quidquam est præter vnam virtutem, quæ immortalitate donare possit. Imitare Christianus Gentiles. nec pudeat discere, pudeat vinci.

CAPVT XXIII.

Quæ vitæ ratio tenenda in militia?

DE hac Cicero: *Omnes vrbanæ res, omnia hæc præclara nostra studia, & hæc forensis laus & industria, latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis.* & alibi: *Rei militaris virtus præstat cæteris omnibus. hæc nomen pop. Romano, hæc huic vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarũ parere huic imperio coëgit.* In hac re tanta quid ego militi, quid præscribam duci? fortibus potiùs factis, quàm dictis militaris ars continetur: vt facere militum, dicere oratorum sit. dictionem enim toga, fortia facta militia deposcit. Artem proinde hanc res certiùs docebunt, quàm verba. quare à factis militaria præcepta magis quàm à verbis petenda sunt.

Hoc tamen de milite dici potest. parendo potiùs, quàm imperia sciscitando, feliciter res agi: fortissimumque in ipso discrimine esse, qui ante discrimen quietissimus est: vt arma militi & animus optandus, consilium duci. *Prima militis virtus parere.*

Iam

In perpetuo militari exercitio continendus miles.

Iam, ſtudium omne militis in armis & militaribus equis, non in ſcortis & conuiuiis. talibus non labor inſolitus, non locus aſper, non formidoloſus hoſtis eſt. Somnum ſaxa excipiant, campus ſudorem bibat. etiam in pace, labore & incommodis bellum pari diſcat, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo. Sanè, ne animi expaueſcant, de vmbra ad ſolem, de tunica ad loricam, de quiete ad tumultum deducendi. non de deliciis ad bellum, de cubiculo ad aciem; ſed de papilionibus, aut nuda humo, de aratro & ligonibus ducendi. Ad ſtrictiorem proinde diſciplinam ſegregandus miles, vt robori etiam in alta pace ædificando vacet: continendus à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore, vt quanto plus in exercitationibus laborauerit, tanto plus de victoria ſperet. non ſperabit, qui mollibus aſſuetus, comã ſtruere, cutem fingere, ſpeculum conſulere, aurem foratu effeminare didicit. Ille optimus eſt, quem non adduxit molle ac pingue ſolum, ſed ſaxa, montiumq; aſperitas, aut dura tellus, & retrò ſterilis, ac non niſi duris ligonibus & ſudoribus fæcundanda. è duro nimirùm fortior miles venit, ignauus è molli; cùm ferè naturam loci corpora ſortiantur. Scio exercitationem plurimum poſſe, & molliora membra laboribus obdureſcere, ac callum quemdam per incommoda induere. ſed multo hîc opus ſudore, vt labore conſequaris, quod natura largita non eſt: nec vno impetu obdurandum corpus; frangas, non robores. Incuruas arbores lento igne, & frequenti inflexu in rectum deducas: vim ſi adhibeas, franges, non flectes. Eadem in firmando corpore reperies. quod cum nihil magis eneruet, quàm otium, vitandum in primis hoc erit, vt ſuperuacuo licèt labore exercitandus ſit miles, ne, dum bella ingruunt, ignauo aſſuetus otio, dura refugiat. Plurimùm in omni militarium exercitationum genere valuere Romani. hinc traditum à ſcriptoribus in ardua & longa contra Cimbros pugna nullum ſudantem, nullum Marianum militem ſuſpirantem viſum. priores exercitationes

Optimus ferè miles ex aſperiore agro educitur.

tiones corpora indurauerant, sudorem detergerant.

Assuescat deinde audire Præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, plus in duce, quàm in se reliquoque exercitu reponere, maximumque certamen in gloria statuere. ac, cùm pugnandi quadam auiditate, ac propè furore fertur in armatum hostem, imperia tamen ducis sequatur: etiam dum victoriam se manu tenere arbitratur, ad receptus signum, aut negatam pugnam, non minùs paratum se, quàm in hostem ostendat. Prima militis laus parere. imperare, ducis est; imperata exequi, militis. ille consulendo, prouidendo, cunctando etiam sæpiùs, quàm temeritate aut inconsultis ardoribus, victoriam suis parat: miles fortiter magis agendo, quàm consulendo. cuius summa virtus, & spes victoriæ in parendo est. In pace verò, & ante signa modestiam præ se ferat: intus coquat, quod in hostem euomat: æstuet animo, non ore: & integras vires per manus & arma, non per os effundat. nam ferè in quo plurimum verborum, virium minimum est. ille, à quo magna speranda sunt, silentio robur premit. ignauus plus virium linguâ, quàm manibus & pectore circũfert. fortè hunc videbis in alta pace, & ante signa: in ipso verò armorum concursu trepidantem, sudantem, fugam circumspectantem; crudelem post victoriam, in pugna timidum. cùm contrà vir fortis in ipsa pugna praeferocem ostentet animum, clementem post pugnam. ita generosior quisque iram in armatum profundit, clementiam in supplicem; ignauus iram in supplicem & inermem, in quem solùm fortis est; ab armato dexteram & arma continet. & cùm pudor generosum reuocet, crudelitas timidum propellit in exarmatum. cui si ante pugnam loquaris, credes hostiles legiones vno flatu discussurum: si inter epulas & pocula, magnum non modò militem, sed ducem promittet.

Obedire militum est.

Imperare ducis, exequi militis est.

Manibus, non ore pugnandum.

Crudelis post victoriã, timidus est, fortis, clemens post victoriam est.

Scio gentes non postremas de pace & bello in conuiuijs

consultare, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. perpetua his pocula optanda, vt semper ardeant, nunquam intepescant, etiam inter arma. nam si hæc sustuleris, redeunt ad quamdam lentitudinem & ignauum frigus, non nisi poculis redaccendendum. Nollem hanc generositatem animosque à vino venire, aut mutuari à mensis. apud se habeat, quo incalescat miles noster, & à quo sperari trophæa possint, cui sola spes in virtute, salus in victoria sit, quem magis arma quàm pocula & pedes tueantur, magis ferrum quàm locorum interualla aut propugnacula tegant, quemque mors non terrebit, sed impellet in hostem. scit enim vir fortis moriendum omnibus esse, idque solùm referre, nouissimum spiritum per ludibrium, an per virtutem effundas; in lecto, an inter arma; diu, an semel; permistum hostili sanguine, an suo tantùm; per morborum cruciatus, & carnifices medicorum manus, an per inimicum latus & ferrum.

Generositas militi à quibus rebus mutuanda.

Nolo deinde militem, sola egestate aut metu è flagitiis nato ad arma properare. nolo sola rerum suarum desperatione extimulari. nolo illum, cui in compositis rebus spes nulla, solumque in turbido consilium est. prædæ hic potiùs auidus quàm gloriæ, & diuitiarum quàm libertatis; luxumq; & otium capesset, disciplinam & labores aspernabitur. Illum volo, quem patriæ amor & libertas, quam nemo fortis nisi cum anima simul mittit, exciuerit; quem honor & gloria in arma miserit; qui ante seruitium mortem eligat; qui famulari nesciat, imperare audeat; quem labor & sudor delectet, otium fastidio sit; qui per decus inter arma mori, quàm in ignauo otio viuere malit; qui, si cadendum, medio natet hostili sanguine & suo, nec incruentam vnquam victoriam hosti relinquat. Hoc est esse virum. nam vltrò se dedere, & trucidari, pecudum, non virorum est. Neque quisquam fortiùs in armatum ruit hostem, nemo lætiùs inuolat in mortem, in inimicum ferrum, quàm quem nulla scelerum conscientia

Qualis miles eligendus.

repri-

reprimit. Metus à crimine ſurgit, & mens delictorum conſcia propoſitâ morte, timore ferè percellitur, cùm interno prematur iudice & teſte. ſed & ſecutura mortem terrent, & animos adimunt, etiam valentiſſimis. Vis non timere? remoue internum accuſatorem. facies, ſi remoueris crimina. ille ſecurus moritur, quem nullus futurorum metus terret: timidè moritur, quem mors altera expectat, quem nunquam morituræ inferorum pœnæ. Libera te ab hoc timore. liberabis, ſi poſueris ſcelera. Nec arduum irato Deo reconciliari. paucæ lacrymæ, & ſuſpiria imo pectore prolata, quid non poſſunt? Quòd ſi innoxiam, & omni grauiore liberatam ſcelere vitam miles duxerit, beatus. hic enim impauidum omni ferro pectus obiiciet, cùm mortem, tanquam naufragij ſui portum, tanquam triumphi ſui cælo repoſiti ianuam, amplexus fuerit. intrepida in mortem innocentia eſt, & gaudet etiam mori, cùm præmia expectet ſola morte donanda.

Pietas, & mens criminum ignara fortes dabit.

Aſcriptus verò militiæ tiro fortiſſimum, quem æmuletur, optimorumq; conſuetudinem captet. nec imitari pudeat: nemo diſcens erubeſcit. quòd ſi in eum locum & caſtra deductus fuerit, in quibus ſuſpecta virtus, ducibus auctoritas nulla, militi verecundia nulla, obſequia nulla, imperia nulla, ac in contrarium verſa omnia; declinabit, ſi poteſt, familiaritatem omnium. ſi non poteſt, vnum aut alterum contubernio ſuo dignum deliget, ſemouebitque ſe à turba: ab ijs in primis, qui in ſeditionem proni, quibuſque plus roboris in ore natet, quàm in dextera & armis, qui plus innato faſtu pedes & brachia iactant, latera torquent, vocem & ſupercilia tollunt, minas intentant, fortiuſq; loquuntur quàm agunt. Inuenies inter hos, qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam hoſtem viderunt, nullum ſanguinem dederunt, nullum hauſerunt, nunquam tubarum ſonum ex hoſtium caſtris audiuerunt; & ſplendidè tamen ſua, non facta extollunt, neſcias maiore ſtoliditate, an impudentiâ. fuge quiſquis militiam amas, hos rerum ſuarum præcones; quibus ſi hoſtem oſten-

Quid tironi faciendum.

das, pedes circumspicient. Quòd si vniuersus eò venerit exercitus, vt nullus corporibus vigor, non ardor animis insit, lentumque ac rarum trahatur veriùs, quàm ducatur agmen, fluxa arma, segnes equi, milesque solis, pulueris, tempestatum, inediæ impatiens, ad solas discordias & secessiones promptus; quacunque demum caussâ hæc nata, ducum indulgentiâ, ignauiâ, imperitiâ, militum improbitate, terrarum mollitie; subducet se quicunque æstimationem saluam voluerit, qui famam, qui salutem.

Quæ obseruanda militi. Obseruabit verò diligenter magnorum ducum consilia, res gestas, militaria stratagemata, res, & consilia dubia, audaces conatus, temerarios ausus; infelices, felices, præmeditatos, inopinatos successus; gentium dein inter quas versatur mores, ingenium, locorum naturam, fluminum, maris, *Quid in hoste notandum.* reliquorum omnium. hostium in primis conatus, molitiones, animos, dolos, prudentiam, robur, potentiam & opes, quibusque maximè rebus capiatur, gloriâ an opibus ducatur; consilio, robore, an astu valeat; simplicis ingenij, an fallacis sit; in suspicionem, & terrorem, in inertiam, luxum, pocula, cædes, incendia, crudelitatem, an in misericordiam pronior; duro sæuoque ingenio, an miti & facili; iras odiaque deponat, an æterna habeat; negligens, an pecuniarum & munerum auidus sit; prodigat sua, an aliena concupiscat & rapiat; quo armorum genere delectetur, quo valeat, & vtatur. Singularum denique virtutum vitiorumq; hostilium curiosior indagator sit, certus magnam ab hac scientia, & benè gerendæ rei, ac victoriç partem pendere. Quanta namque hostium ignoratio florentissimis retrò regnis damna dederit, quantaq; eorumdem cognitio commoda, omnium gentium ac ætatum Historiæ loquuntur.

CAPVT XXIV.

Quid faciendum militiæ Duci?

DE Ducibus verò ductoribusque quid dicam? In militari delectu prima illorum cura. dispiciat Dux, quæ regio valentissimos, quæ generosissimos procreet: tirones sint, an veterani: sub quibus Ducibus stipendia meruerint: priuatis odijs, an publica salute ducantur: inopia illos & mali mores, pœnarũ métus, exilia, exhausta res domestica, an otij amor, laborum fuga, libido & luxus, & spes rapinæ exciuerit. nec tam numero, quàm robore exercitum metiatur. laboribus, inediæ, vigilijs assuetos deligat, eosque in primis, quibus animus supra vires. Qua in re magna habenda terrarum ratio. ferè enim tellus vna molles, duros altera protrudit; illa lenes, hæc feroces; laboribus illa impares, hæc pares. diffluunt illi sudoribus etiam in otio, hi nunquam: ad sanguinem pallescunt illi suum & alienum, hi exasperátur, & crescunt ad vulnera animis; adeoque & postquam conciderint, vincere didicerunt, & cum Magno Alexandro de genu pugnare, cum Cæsare alieno clypeo, dentibus etiam cum Romano milite, qui in medijs morsibus in Cannensi pugna expirauit: illi à pedibus salutem, hi à ferro expectant.

1 Prima cura Duci in delectu militari.

In omni autem ferè genere vrbici languidiores, & laborum impatientiores & egestatis sunt; agris assueti validiores, paupertatisq; & inediæ tolerantiores. hinc rusticæ tribus apud Romanos nobiliores ciuicis. ab aratro & ligonibus robora veniunt. non quòd imperio hi nati: neque enim imperium viribus metimur, aut corporis robori ingenium natura pariauit; cùm non rarò imperijs nati, quibus fortitudo negata. factum in Scipione, alijsque non paucis. militiæ tamen aptiores, quibus vis maior.

Agris assueti vrbicis meliores.

De ætate nihil dico, nec multum infra vigesimum annum,

Qualetas militiæ idonea. nec supra sexagesimum probem. hoc dico, cùm animis maximè & viribus bellicæ res, non numero, peragantur, industriam omnem in delectu Dux ponat. Veterum nos exempla docent. Notus L. Martius Eques Romanus, qui cæsi exercitus reliquijs bina hostium victricia castra, triginta millibus cæsis, expugnauit. Notissimus Leonidas, qui trecentis totius Asiæ impetum sustinuit; nec antè cessit, quàm proditus: ac nec sic retulit pedem, sed fortiori morte fortissimos ausus signauit. Quantus verò Calpurnius Flamma, qui trecentis, infestum & insessum hostibus tumulum occupauit, adeoque moratus hostes, dum exercitus omnis euaderet, ac sic pulcerrimo exitu Thermopylarum & Leonidæ famam adæquauit! Iam Lucullus quantus! perexigua manu tribus prælijs, sexaginta supra trecenta millia trucidauit, ingentesq; prælio quarto Mithridatis ac Tigranis duorum potentissimorum Regum exercitus deleuit, terra marique victor. vt sint qui scribant, peditum millibus duodecim, equitum non totis millibus duobus trecenta armatorum millia fudisse. Paria propè in Pompeio reperies. in Lusitanis ac Hispanis, in Oriente & Occidente, etiam maiora. robore & animis, non numero, metiendus miles.

2 *Variarum nationum miles à Romanis delectus.* Variarum nationum, è gente varia, militibus Romani vsi feliciter. Cæsar ante alios, & secuti Cæsarem Imperatores Romani. Hannibal etiam Hispano & Gallo milite robur sustinuit Romanorum, cùm Carthaginenses ad prædam potiùs, quàm ad pugnam videretur seruasse. Iam, quanta bella à Romanis in Germania, Anglia, Belgio, Gallia, orbeque toto peracta, externo ferè milite! hinc auxilia illis & auxiliares copiæ. Et consultum illis videbatur, quam oppugnabant gentem in se mutuò armare, quò paribus armis paria exponerent arma. æmulationem verò gentium diuersitas prouocabat: cùm pro suæ quisque gentis gloria fortiter profuturâ æmulatione dimicaret. quam accendere etiam verbis Cæsar, Drusus, Germanicus, Agricola, aliique consueuerant.

Scio

Scio plurima hîc dici posse. ac I. Auxiliarem externumq; militem, seu validum, seu ignauum, timendum. illum, ne ex amico hostem sentias; hunc, ne proditorem. II. Infidum non semel domino suo fuisse. III. Barbarè ferè sæuire, vt qui misereri in alieno non didicerit. IV. Nullâ verecundiâ teneri, quare fugæ aptiorem, quàm pugnæ. Fateor dici hæc posse. sed & illa. Maximos, vt dixi, Imperatores mercenario hoc & auxiliario extero milite feliciter vsos. Ad obiecta responderi potest. Ad Primum. numquam permittendum, vt validior hic miles sit tuo. Conandum proinde, vt numero vincas & robore. Ad Secundum. fidos sæpiùs expertos primos orbis terrarum Duces. Et sanè beneuolentia, præmijs, fiduciæ ostentatione, arctiùs sæpè colligari, quàm domesticum militem. Docet Magnus Alexander, Hannibal, Cæsar, Pompeius, plures. Iam, quàm parum fidus domino suo domesticus miles steterit, discimus à Romanis, in Galba, Vitellio, aliisq; non paucis. Ad Tertium. consultū frequenter non parcere. imò domesticum militem exitio non semel Principibus fuisse, dum nimia miseratione patriæ & ciuibus parcunt. è qua noxia beneuolentia victoriæ non semel è manibus elapsæ, nouusque ad noua arma animus datus, dum non metuunt tam pium ferrum. Ad Quartum. maiori plerumque pudore teneri externos, ne ignaui apud suos audiant, ne fabula fiant orbi, ne vniuersæ genti suæ non delendam socordiæ notam inurant. Quid? quòd ferè fortiùs incumbant pugnæ, vt qui omnem spem in sola victoria ponant; domesticis verò spes in pace, quàm in bello maiores. Addo & finio. magnos ferè Duces in ciuilibus bellis, externo potiùs quàm domestico vsos milite. Quòd huic patriæ pietas, & consanguineus sanguis, & suorum preces & lacrymæ, & vetus amicitia & contubernatio, animos adimant, audaciam frangant, ferociam molliant. Sed & nimia suorum miseratio languorem inducit, ignauiam generat, terrorem incutit, & reluctantem trahit potius, quàm ducit. & nulla illubentia magnum

vn-

vnquam militem dedit. destituet in medio ardore Ducem quisquis alienâ, non suâ, voluntate arma circumfert.

3 *Benè ab armis & vestibus miles instruendus.*

Benè deinde ab armis instructum militem Dux habeat: etiam à vestibus. animos illa addunt: nimia egestas deijcit. quin & ornatum vult Cæsar, quasi crescat ab illo animus, & altum aliquid spiret miles qui altè se cinctum videt. Hannibal ornatum aspernatur, quòd plus hosti accedere animorum ab hostili ornatu putet. Mediam deliget viam militiæ Dux, vt nec mendicitatem vestes redoleant, nec auro gemmisq; fulgurent, vt nihil præter arma hostis videat, & expectet. Quare & armis assuescat militiæ Dux, vt suo reliquos exemplo prouocet. in alio verò corporis ornatu, mediocritatem cum Augusto, Traiano, Dione, & magnis Imperatoribus sectetur. Nulla magnis à veste crescere magnitudo potest. in milites magis ornamenta cadunt, qui animum non rarò à veste mutuantur, & quamdam cum illa generositatem induunt.

4 *Nullum otium permittendũ militi.*

Nullum ab armis aut laboribus otium suis permittat. Notum illud Catonis: *Inertia & torpedo plus detrimenti adfert, quàm exercitatio.* & illud: *Plus ferrum rubigine in alto otio, quàm exercitio conteritur.* & illud Vopisci in Probo: *Numquam militem otiosum esse perpessus est, dicens, annonam gratuitam militem non debere comedere* Etiam in summa pace sudare & periclitari doceat. Deest hostis? non deerit vigilanti in omnem fortunam Duci laborum materies. & vt hostis desit, armabit in socium, & hostili inter cõtubernales velitatione, quid timere, quid fugere, quid prosequi, quid impetere, ferire, præterire in hoste debeant, docebit; quando referre pedem, quãdo inferre; quomodo cõcurrere, ictum vitare, arma tollere, deprimere, mutuò tutari, animare lassatos, oportunũ pugnæ locum præoccupare, fallere etiam & circũvenire hostẽ, fugam nonnunquam simulare, vt hostiles soluantur ordines, insidias incautis struere, terrorem concitare: quâ etiam arte peditatus se aduersum equitatum, paucique aduersum confertam turbam tueantur: quoque ordine referre retrò pedem per

per decus valeant. Ipse in his Dux spectator, inhortator, laudator, præmiator erit. laudabit strenuos: segnes plus exemplo, quàm verbis incitabit. magis tamen vitia, quàm virtutes dissimulabit; quamquam nec illa intacta transibit. absit tamen asperitas, ac in monendo superbia; pudoreque magis ac præmiis, & ante omnia exemplo suos prouocet. Venerationem deinde apud suos sibi paret. parabit fortibus magis factis, quàm dictis. ac cùm socius ipse laborum ac periculorum sit, stet tamen sua Duci veneratio, nec quidquam committat, quo suorum contemptum patiatur. Non contemnitur, qui imperium & fasces habet, nisi se prior ipse contempserit, & contemnere docuerit. Præeuntis exemplum Ducis habes apud Vopiscum in Aureliano. *Nullum vnquam diem prætermisit, quamuis festum, quamuis vacantem, quo non se pilo, & sagittis, ceterisque armorum exerceret officiis.* & in Traiano Cassius: *Pedibus ferè ingrediebatur. quoties flumina transeunda haberet, ipse auidus pedibus sicut miles traiiciebat.* hoc est animos addere militi. Et de Constantino Nazarius: *Inter tuos non vis principatu magis excellere, quàm labore. Cumulatissimum quidem Principis munus est, si manu cesset, non cessasse consilio. sed tu non segnior gerere, quàm iubere, simul exercitus tuos monitu regis, opere iuuas, incendis exemplo.* Videat deinde quid etiam in Alexandro otium potuerit, & à magno imperatore nocitura discat. *Vt primùm instantibus curis laxatus est animus, excepere eum voluptates: & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt,* otio nata, educata.

Cùm verò otium concedi militi nolim, ne torpescat ignauiâ, ne concidat animis & corporibus ad ardua, ne ad periculorũ nomen expallescat, ne languescãt membra solis laboribus roboranda; tum non omnem voluptatẽ negari velim; sed concedi etiam aliquã magni Æneę & Scipionis exemplo. illam, quæ sudoribus constat, nec aliam, & quam præmia comitantur, quamq; è telorum iactu, luctatione, cursu, amica vt inimica velitatione, gladiatorio nisu generosior quisq; percipit. Factum à Pompeio & Traiano. Adde natationem.

5 *Voluptas qualis militi concedenda.*

Kk quam

quam nec Auguſtus erubuit nepotes, nec Cato filium docere. neque enim ſemper pontes. factum à Cæſare in Ægypto, ab Alexandro Magno ſæpè.

6 *Præmia bene meritis danda.* Præmiis fortia ſuorum facta decoret, etiam ſtatuis. Factum ab Alexandro, Romanis, Græcis. hinc illæ ciuicæ coronæ, murales, obſidionales, nauales, aureæ torques, armillæ, haſtæ, phaleræ, equi, agri, pluraque generis illius. quæ res quantos animos addat, nec hic calamus exprimat, nec dici ſatis ex fide poſſit. Hoc etiam in hoſtile ferrum & mortem cogit, ſi qua poſt obitam fortiter pro Republ. aut Principe mortem, coniugibus & filiis præmia maneant. Viuere vt ſe in coniuge & filiis miles putat, ita in illis præmiari. Magna hæc res momentum viuentibus eſt, ad ardua quæque maximis animis intrepidè obeunda.

7 *Ignaui pœnâ afficiendi.* Vt præmia fortibus, ita ignauis pœnam & ignominiam inuri velim. Factum à Calpurnio Piſone, qui turmas equitum, quòd arma hoſti tradere, quàm mori fortiter, maluiſſent, ademptis equis, in funditorum alas tranſcripſit, vt mortem qui effeminatè timuerant, viriliter optarent. Et à Senatu Romano, cùm captiuos vltrò à Pyrrho donatos recepiſſet. decreuit enim, vt ex ijs qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia tranſcriberentur: recurſum verò iis ad priſtinum militiæ ordinem propoſuit, ſi quis bina ſpolia ex hoſtibus retuliſſet. In eos verò, qui apud Cannas Remp. deſeruiſſent, grauiùs etiam ſæuiit: petenti M. Marcello, vt illorum operâ vti ſibi ad Syracuſarum expugnationem liceret, reſcripſit, indignos videri qui in caſtra reciperentur; cæterùm ſe illi permittere, quod è Republ. fore iudicaſſet, dum ne quis ex ijs munere vacaret, aut militiæ dono donaretur, aut in Italiam, donec hoſtis in ea eſſet, accederet. Sed & cùm Hannibal ſex millium Romanorũ captiuorum redimendorũ poteſtatem feciſſet, conditionem ſpreuit. memor tantam multitudinem armatorum iuuenum, ſi honeſtè mori voluiſſet, turpiter capi non

non potuisse. Validum remedium ad ignauiam reprimendam, animos dandos. ita medici grauiores morbos asperis remediis curant, etiam ignibus & ferro.

In supplicijs moderatus erit, nec tormenta tormentis adijciet: vnoque alteroúe, eoque leui & vulgato, mortis genere contentus erit, ne audiat crudelis & barbarus. Errores proinde militares ne acerbiùs vniuersim corrigat. sæuire hoc in Rempubl. est: quam si saluam velit, facilis in ignoscendo sit. Peccarunt hac in re Marius & Sylla, peccarunt alij. O si non hac ætate! Prudenter Cerealis, Scipio, Marcellus, Otto, Germanicus, paucorum pœnâ Reip. consuluerunt; pluresq; alij. feliciter semper. In priuatis tamen delictis seuerum potius se præbeat. factum à Tiberio, qui militem, quòd pauonem sustulisset, capite puniuit; & Pescennio, qui ob vnius gallinæ direptionem, decem commanipulares, qui raptam ab vno comederant, securi percuti, teste Spartiano, iussit. Furta proinde omnia, magnorum Ducum exemplo, à castris arcebit. vnde illud à Frontino meritò laudatur, cùm pomiferam arborem, quam castrorum metatio complexa fuerat, postera die intactam fructibus mansisse narrat. Illud verò indignissimum, exercitum supplicijs cogere, cùm tu per mollitiem agas. domini hoc est, non Ducis, non imperatoris. Impunita tamen scelera non relinquet, ne indulgentia eat in exemplum. Nec in seueritate modum excedet. bonitate maximè præmiisque vincendus & extimulandus est miles. Vbi fortibus remedijs agendum, clementiam tamen ostendet. Et sanè magna in militari turba prudentia necessaria. nihil enim in vulgo modicum. terrent, ni paueant. vbi pertimuerint, imperia faciles suscipient. Nihil verò ferocius milite, si contemnat; nihil demissius, si timeat. permistus tamen timor amore sit: ne, si nudus metus sit, in desperationem & crudelitatem, & Ducis sui caput vertatur. factum non semel apud Romanos.

8 *In supplicijs sit moderatus.*

Temperabit etiam nimium ardorem suorum Ductor. 9

 Laudo

Militum ardor temperandus.

Laudo animos,non probo furores.cæcus omnis furor eſt; in inimicum ferrum ferarum more improuidus ruit, dum non tam quod pati poſſit,quàm quod inferat malum conſiderat. Corbulo,Numantius, Scipio , Cæſar, Æmilius Paullus imprudentes ſuorum ardores temperabant morâ. quin adeò de Sertorio illud accepimus,cùm nimium ſuorum æſtum ſiſtere non poſſet,cædi paſſum fuiſſe, vt obſequi diſcerēt;ſubuenit tamen cedentibus. Simile habes in Fabio, cuius prudentiâ à cæde & fuga Minutiani milites retracti.

Commoto exercitui non ſe toto corpore opponet.

10 Si in commotam inciderit militarem multitudinem, nunquam ſe toto corpore opponet; nec imitabitur barbaros illos, qui corporum obiectu fluctus ſe ſiſtere, ac aliò flectere poſſe ſperabant: non fatuos naucleros, & inexpertos maris, qui ventis & fluctibus contrà eunt, & irata in caput ſuum exaſperant maria obnitendo. ſed peritorum potius nautarum more, declinabit fluctus, & ſæuientium ventorum rabiem, &,cùm prorâ non poſſit, lateribus nauigabit, perque prudentes circumductiones, cautus portum petet, quem regiâ tenere viâ non potuit. imitabiturq; Menenium Agrippam,non Poſtumium lapidibus obrutum,non Claudium Appium,ſub quo,cùm poſſet,noluit miles vincere; non Voleronem, ſub quo fracti conſulares faſces.Cedet proinde ferocientibus, & mitigabit mollibus minas.Non miteſcunt mutua colliſione lapides, flammas euomunt, & mutuo illiſu franguntur: puluillo ſi exceperis, non metues damna. Aliquid etiam temporis largiendum. ſolâ non raro morâ feritas miteſcit. In ipſa commotione, cùm nullam furor rationem admittit,omnem excludit, ſimulatione opus, donec remiſerint ſe illi venti & fluctus.

Fides militi, etiam hoſti, data ſeruanda.

11 Fidem militi datam ſeruet; memor Poſtumij Romani Conſulis, quem negantem quas promiſerat prædas, factâ in caſtris ſeditione; lapidauit. Sed neque vilius quidquam, quàm datam fidem fallere.degeneris & inglorij animi eſt.Et conſequitur hoc datæ ſemel fidei fraudator, vt omni omninò

nò fide excidat, etiam cùm vera denunciat. ſemper enim fallere voluiſſe ſibi perſuadent, cùm ſemel fraudē experti. atque adeò ſemel fraudaſſe, ſemper voluiſſe putant. Quid? quòd & hoſti fides ſeruanda. Nobile Sext. Pompeij factum in Auguſto & Antonio. occidere poterat, & imperare: fidem dederat; ſeruauit. imperio excidit: excidere maluit; etiam vitâ, quàm fallere. magnū virum, & magno patre hoc ſolo facto non inferiorē! Digniſſimū id etiam calamis in Regulo. barbaro mortis genere cadere maluit per tormenta mille, quàm non redire Carthaginem. Fefellit datam non ſemel fidem Hannibal, maximè apud Nucerinos & Acerranos. fefellerūt Carthaginenſes in Xantippo Lacedæmonio: quem, cùm ſimulaſſent ſe domum reuehere, in alto merſerunt, ne victoriæ contra Romanos obtentæ, ſocius & Dux ſupereſſet. nec impunita diu violata fides ſtetit. Sic æmula de orbis imperio deleta iacet Carthago, ſolo nomine nota, quam nequidquā in cinere ſuo quæras. ſic Hannibal veneni ſui victima procumbit; & Brennus Senonum Dux Romana perfido ſanguine ſuo purpurat mœnia. ſic & Fabij apud Alliam & Cremeram iacent. damnata etiam Ser. Galbæ in Luſitanos perfidia, Cn. Domitij in Betulcum Aruernorum Regem, Q. Seruilij Cæpionis in Viriatum.

Secretorum fidiſſimus cuſtos ſit. pendet ab hac re vna regnorum incolumitas. & quid aliud prodere ſeruanda, quàm perdere eſt? quanta nunc ſtarent regna, ſi ſtetiſſet lingua, & calami! proditrix domini ſui lingua facta eſt. credidit militiæ Dux amico rem tacendam, credidit thori ſociæ; & hoſtibus ludibrium iacuit, & ſpe magnâ ſuâ excidit, fortunis, honoribus. Prudenter Tarquinius filio nuntianda, non internuntio aut litteris, commiſit ſignis, cùm papauerum capita demeſſuit. fortiter Pompeius, dum cremandum digitum præbet, Gentio Regi ſpem tormentis Senatus conſilia cognoſcendi excuſſit. fortiter etiam Zeno Philoſophus, qui cùm habere ſe ſecretò indicanda Nearcho tyranno, à quo ad a-

12 Secretorū fideliſſimus ſit cuſtos.

perienda consilia torquebatur, dixisset, aurem illius morsu corripuit, nec antè dimisit, quàm & ipse vitâ, & ille corporis parte priuaretur. Fortiùs etiam Anaxarchus, qui ne proderet tacenda, dentibus abscissam linguam in Nicocreontem Cypriorum tyrannum expuit. Par illi Theodorus, quem nulla Hieronymi tyranni verbera, fidiculæ, laminæ ad prodenda commissa adducere potuerunt. Notauit Imperatoriam hanc virtutem Lampridius in Alexandro Seuero: *Tacebantur secreta bellorum.* Imitetur hoc in omnibus quæ obesse possunt, militiæ Dux Christianus, nec se vinci ab alta illa gentilitate patiatur. & cum Metello, antè tunicam iniiciat flammis consiliorum suorum consciam, quàm seruãda prodat. Nulla virtus magis virum suum loquitur, nulla magis constantiam & animi robur prodit, quàm tacendorum custodia: nullum vitium magis feminam suam testatur, quàm tacendorum vulgatio.

13 *Hostilia consilia indagãda.* Hostilium consiliorum serius indagator sit. non pecuniæ hîc, non laboribus parcat. plus sæpè ad victoriam fuit, conscium inimicorum consiliorum fuisse, quàm prævalidum duxisse exercitum. Starent regna & respublicæ, si hostilia studia & molitiones cognitæ fuissent. non sciuisse, periisse fuit. nec quidquam facilius, quàm præscita auertere mala, & malis occurrere venientibus: nihil difficilius, quàm ignoratis mederi. Ita in medico, sciuisse ægritudinem, propè superasse est. perimit, qui ignorat. etiam è leuibus morbis ignoratis mors nata. quod in medico, hoc in Repub. & exercitu. Profundat proinde in hanc rem pecuniam, quisquis magna sperat. Nec magni moliminis erit, intima etiam Regum pernoscere. Quæcunque aurum aula admittit, proditrix consiliorum domini sui est. Et quæ non admittit? aut quæ repellat, plenâ si manu aduolet? Quanti verò referret hostilia consilia nosse, ab Epaminonda habemus, cuius illud est: *Nihil in Duce laudabilius, quàm hostium consilia nosse.*

14 Nunquam hostem contemne. contemptus neglectum parit.

parit. inde clades, & regna iam nulla. Quid? quòd à cuniculis, adeoq; & formicis, subuersas ciuitates accepimus. quid fiet ab armata manu, etiam imbelli? contempsisse, arma subministrasse, animos exacuisse est. Quid mollius stillicidio? & à tam molli elemento saxa exeduntur & rupes: & quæ ferrum & chalybem excusserant, à tam tenero illapsu ingloria iacent. Eadem contingunt homini. nec vllâ re magis florentissima ac validissima olim regna orbi fabula facta sunt, & cinis audiunt. scintilla quantas contempta flammas dedit! hora aliquando vix vna intercessit inter vrbem magnam, & nullam. Deteriora à contempto hoste euenerũt. Noli robori tuo nimiùm fidere, aut hosti diffidere. prudentiam viribus misce, & tuta etiam time. timor prudentiam acuit, & rationes subministrat robori, & moderatur vires, ne belluarum more in nocitura ruant. cogita tecum tacitus quidquid euenire potest, & grauissima quæque propone, vt occurras consilio, & parata habeas quæ irruentibus opponas. præuidisse, propè vicisse malum est.

Nunquam hostem contemnat.

Hostibus verò fugientibus laxandam viam, pontemque sternendum aureum Scipio monet. Secuti monentem Tutor & Sabinus, qui aperiendam viam Vitellianis putarunt, ne desperatione, metuendi redirent in prælium. factum hoc à Cæsare contra Tencheros & Germanos, ab Antigono contra Ætolos, ab Agesilao contra Thebanos, à Themistocle contra Xerxem. cuius præceptum est, non esse fortiter instandum fugientibus, quò faciliùs aliàs fugerent. à Pyrrho etiam, cuius eadem, quæ Scipionis vox. auctor verò Græcis Enciliades fuerat, ne euerterent pontes, per quos Xerxes reditum in Persidem parabat. sciebat acres desperationi vires esse, & ab ea sola non rarò victoriam partam. Ostendit exemplo hoc suo L. Martius, qui perexiguâ desperabundâ manu duos Carthaginensium fudit exercitus, quibus paullò antè duæ consulares Romanę acies impares fuerant. Pro animo nimirum & ferro desperatio est. Monuit olim huius Ioabum

15 *Hostibus fugientibus laxanda via.*

2.Reg.2. bum Abner: *An nescis quòd periculosa sit desperatio?* Exemplum in Manlio habemus, qui cùm ad omnes portas opposito milite viam hostibus clausisset, in rabiem magis quàm in audaciam Thuscos accendit. ac nisi legati rapto cæsi Consulis corpore, hostibus qua erumperent viam patefecissent, deleri Romanus poterat. Sed &, dum via fugæ Volscis clausa, magna Romanis illata clades, Consule ac Dictatore saucio. ac, ni per prostratorum corpora iter ad Volscorum castra Messio patuisset, maius acceptum damnum foret. Quid? quòd ipsam adeò ignauiam necessitas acuat. Et ferè desperatio bene gerendæ rei caussa est.

16 *Apparatū bellicum ante bella parabit.* Apparatum verò bellicum magnâ ante bella industriâ paret, commeatumque omnem, cui rei vt prospiciat, nihil, si fieri possit, hostile post se relinquat. rusticos benè habeat, & haberi curet, ne fugâ suâ & commeatus spem adimant, & necessariarum rerum inopiâ exercitus laboret. Prima proinde Ductoris cura sit, ad ea loca suos deducere, in quibus certa commeatus spes affulgeat, quam nec intercludere hostis possit, nec perdere. cui rei oportuna loca quærenda sunt, præmiique magnitudine ac quæstus vicini circùm populi alliciendi sunt. Cauendum dein seriò, ne rerum inopiâ pressus, iniquo loco, & numero inferior in pugnam trahatur. Laudati in hoc genere Marius, Scipio, Cæsar, Pompeius ante omnes. vicerat ante Pharsalicam commeatus inopiâ Cæsarem, si vincere à suis permissus fuisset. tribuerunt quod erat prudentiæ, socordiæ: pugnauit, non suo, sed suorum impulsu. victus à Cæsaris exercitu est, cui rerum propè omnium egestas animos addiderat.

17 *Hostilium locorum cognitio Duci necessaria.* Fuit hoc semper magnorum imperatorum, vt locorum, fluminum, montium, viarum, nemorum, rerumque aliarum omnium cognitionem haberent, néue hostilia à tergo propugnacula intacta hosti relinquerent, intuta receptui, incommoda commeatui, impedimento auxiliis submittendis, nuntijs destinandis. Quare, vt securitati per omnia exercitus con-

consulerent, hosti benè gerendæ rei commoditatem adimerent, pericula auerterent, suosque extra metum ponerent, extra spem aduersarios; nihil post se hostile patiebantur, memores magna ex his damna non semel data. Monet huius rei Ottonem magnus militiæ Dux Suetonius Paullinus, damnatque hoc nomine Vitellium Tacitus, damnat Varum. De Cæsare verò illud Suetonij est: *Exercitum neque per insidiosa itinera duxit vnquam, nisi perspeculatus locorum situs.*

Illud à Ducibus obseruatũ, vt certus aliquis locus receptui commodus designaretur, qui ægris etiam solatio esset, ac commeatui oportunus. fecit Cæsar: *Nouiodunum erat oppidum Æduorum ad ripam Ligeris, oportuno loco positum. Huc Cæsar omnes obsides Galliæ, frumentum, pecuniam publicam, suorum atque exercitus impedimentorum magnam partem contulerat.* simul etiam receptui, si qua necessitas cogeret, seruabatur. quare firmo illa loca præsidio tenebantur in tutelam. 18 *Locus designandus receptui, & commeatui commodus.*

Speculetur deinde per peritos fidosque itinera, per quæ ducendus exercitus. recludat vias, patefaciat aditus, tuta reddat itinera. præoccupet, si qui colles; insideat, si qua nemora: nec in angustum se duci aut trahi patiatur. Peccatum in hac re à Postumo Consule, vnde natæ Caudinæ furcæ. 19 *Itinera per fidos speculanda.*

Studiosissimè verò locorum angustias, sicubi essent, & possent, occupabant veteres, oportunaque ad pugnam tempora. Factum à plurimis; à Metello contra Iugurtham, ab Hannibale apud Trasimenum & Cannas, à Mario contra Cimbros & Teutonas. 20 *Angustias locorum occupet.*

Hoc etiam à peritissimis traditum, ne hostilem agrum ingressi, copias diuiderent: sed integro exercitus robore in hostem irent. Peccatum in hac re à Cæcinna, qui copias dum per interualla ducit, ab Octauianis cæsus est. L. etiam Apronius apud Frisones. de quo Tacitus: *Satis validi, si semel incubuissent; per interuallum aduentantes, nec constantiam addiderunt turbatis, & pauore fugientium auferebantur.* Vitellius etiam dum dispergit vires, se & Imperium perdidit. stare poterat, si toto 21 *In hostili agro copias ne diuidat.*

exercitu venienti se Vespasiano opposuisset.diuisit copias,& periit. Ita ferè flumina in varios deducta alueos minus habent roboris.Diuisos etiam aggressus Martius, parua manu victores exercitus fudit. Coniuncti verò Nero & Salinator Asdrubalem cum exercitu strauerunt.Brutus & Cassius dum copias diuidunt, infelici errore cadunt.P.& Cn.Scipio Hannonis & Asdrubalis,dum iunctis exercitibus pugnant,victores,postquam Punica fraus disiunxit, inferiores. Manilius & Cæpio,dum disiungunt exercitus, à Cimbris & Teutonibus vincuntur: qui cùm se disiungunt, à Mario cæduntur.Pætus etiam,dum à Corbulone decedit,funditur.

22 *Rarò in colloquium cum aduersario veniat.* Perrarò in colloquium mutuum Duces exercitus veniant, rariùs Reges. non solent congressus illi felices exitus spondere.Ita infortunatus Henrici Castellæ cum Ludouico XI. congressus fuit, Caroli etiam Burgundiæ Ducis cum Frederico Imperatore Treuiris, Caroliqúe cum Eduardo Angliæ Rege in D.Paullo.Et maior ferè Ducibus Regibusque admiratio in absentes,contemptus in præsentes, cùm plerumque absentia miremur,laudemusque non visa. nam in præsentibus facilè aliquid occurrit non laudandum, non venerandum,non amandum,non timendum;vt verum illud vt plurimum sit, *Minuit præsentia famam.*

23 *Alterius misericordiæ se non exponat.* Neque alterius misericordiæ se exponat militiæ Dux. factum à Scipione apud Syphacem & Massinissam,à Manlio apud Tectosages;à Vespasiano,cùm Agrippam ad Gamelienses mittit;ab Augusto & Antonio,cùm se Sex.Pompeio credunt; à Iugurtha, cùm se temerè Boccho committit, à quo victus Mario per Syllam traditur; à Ionatha, cùm se Tryphoni & Ptolemensibus credit.

24 *Periculis se Dux sine graui necessitate non obiiciat.* Periculis se nec vltrò, nec gratuitò exponat, neque in capite suo omnium fortunas vitamque temerè proiiciat. nolo timidum;intrepidum inter pericula volo, interritum in arduis.temerariũ tamen nolo.audacem amo, dum res & Reip. salus deposcit. extra quæ non abiiciat salutem suam, à qua reli-

reliquorum salus pendet. Quòd si quæ maior vis coëgerit, ne dubitet Decios patrem & filium imitari, non Epaminondam post Leuctra & Mantineam; non apud Neruios, in Pharsalicis, & in Hispania Cæsarem; non Iunium Brutum in Aruntem; non Codrum Atheniensium Regem, cuius interitu factum, ne Athenæ occiderent; non Magnum Alexandrum inter pericula quàm pocula hilariorem; non Leonidam apud Thermopylas pro patria stantem, occumbentem, suosque trecentos toti Asiæ obiectos nouo more animantem: *Sic prandete commilitones tamquam apud inferos cænaturi.* paruerunt, tamquam victoria esset promissa. non Marcellum fortiter in Gallorum Regem apud Padum procurrentem; non Cornelium Cossum in Fidenatium Ducem proruentē, vtrumque victorem; non Scipionem Æmilium, non Othryadem Spartanum, quo vno erepta hostibus victoria, patriæque decus sanguine redditur; non Scipionem Nasicam, qui vltrò se Ducem obtulit Gracchanæ seditioni tollendæ.

Disciplinæ militaris tenacissimus sit obseruator. nusquam illam impune infringi patiatur, memor P. Rupilij, qui nec genero pepercit, cuius negligentiâ Taurominitana arx perierat. C. Cottæ, qui P. Aurelium sanguine sibi iunctū virgis cædi iussit, quòd eius culpa agger incensus, & tantùm-non castra capta forent. Q. Fuluij Flacci Censoris, qui Fuluium fratrē Senatu mouit, quòd legionē, cui præerat, iniussu Consulis domum dimisisset. Postumij Tuberonis, qui filium sua sponte præsidio progressum, victorem securi percuti iussit. Manlij Torquati, qui filium etiam ignaro patre Consule prouocatum à Tusculanorum Duce Metio, victorem, abripi à lictore, & mactari imperauit. L. Quinctij Cincinnati, qui L. Minutium consulatu amouit, quòd castra ipsius hostes obsedissent. Papyrij Dictatoris, qui in Q. Fabium Equitum Magistrum, Samnitium victorem, virgas expediri iussit, quòd aduersum imperium exercitum in aciem duxisset: neque pœ-

25 *Disciplina militaris tenacissimus sit obseruator.*

nam Senatui, non parenti, non generis nobilitati, sed populo Romano, & Tribunitiæ potestati concessit. Seuera hæc sunt; fateor. Et tamen, si alterutrum deligendum, rigorem magis quàm indulgentiam probem. Nolo seueritatem ire in crudelitatem. non amo Syllas & Marios crudeles; non Manlios & Postumios in suos supra parentum clementiam, seueros: sed neque Mancinos amo & Albinos, quorum indulgentiâ exercitus in Hispania & Africa, luxu & otio perierunt. Mediocritatem amo; magis tamen in seueritatem, quàm in indulgentiam pronum velim militiæ Ducem. non magna ab illa timeri damna, ab hac maxima possunt, & debent. Quid? quòd mediocris seueritas certiorem semper victoriam promittat, validosque procreet milites. parere discet, & maioribus obsequi, ac quamdã in hostes ferociam imbibet durioribus assuetus. patientes dein laborum, vitiorumque inexpertos seuerior Dux dabit. Et certè in illa hominum vitiorumque colluuione, si molliciem & lenitatem admoueris, nequidquam labores. generosioribus medicamentis opus, ferro nimirum & ignibus.

26 *Ordinis maxima cura habenda.*

Ordinis maximam curam habebant veteres. nec mirum. Quis enim nesciat quantos leuis etiam ordinum turbatio exercitus perdiderit? quàm validas verò & numerosas acies imperitus militaris ordo prostrauerit; Xerxes in Græcia, Cimbri & Teutones in Italia, Syphax in Africa, Antiochus, Mithridates, Tigranes in Asia docuerunt.

27 *In instruenda acie magnum momentũ.*

Iam in instruenda acie quantum momentum sit, primi omnes orbis terrarum bellatores, & euentus docuerunt. nihil hîc præscribo: sed neque præscribi certi quidquam potest, in tanta rerum varietate, tam subitis, & incogitatis fortuitisque casibus. Prudentiæ proinde gubernatoris pleraque hîc committenda. Sæpè consilium, gladiatorum more, in arena capiendum. Nobile Scipionis factum est: cùm enim cornua ex auxiliaribus constituisset, mediam aciem è Romanis; pugnæ die ordinem mutauit, in cornibus Romanos iussit

iussit esse, mediam aciem auxiliaribus concessit. quæ res victoriæ caussam dedit. cùm summa celeritate procurrere iussisset cornua, tardiusque reliquos insequi, factum vt veteranus miles Romanus, Carthaginensium cornua, quæ ex auxiliaribus constabant, perrumperet; nec magno exinde negotio mediam veteranorum aciem loco pelleret, cùm è veteri disciplina auxiliares ferè cornua implerent. Exemplis hæc suis Cerealis, Germanicus, Fabius, reliquique propè Romanorum docuerunt. Hannibal, vt primum Romanorum impetum susciperent, ferociam frangerent, auxilia in capite statuit, pro clypeo & vallo auxiliis vsus: ita omnibus propè in Italia prœliis, Gallico & Hispanico sanguine triumphos sibi parauit.

Vsitatissimum verò Romanis triplicem aciem instruere, vt mutuò succurrerent, lassisque subducentibusque se recentes integrique succederent. Factum à plerisque imperatoribus. Cæsar etiam in Pharsalico bello quartam instruxit aciem, quæ illi victoriam dedit. neque ego plures damnem, imò probem in magno potissimùm numero. è validissimis quoque certos sibi non vno prælio Cæsar delegit, tum ad subita & inexpectata pericula propulsanda, tum ad occursandum hosti extra ordinem procurrenti. 28 *Triplicem aciem instruere Romanis vsitatum.*

Equitatus autem, nunc claudebat exercitum tamquam cornibus, nunc vno se latere continebat, nunc per aciem dispergebatur; nunc totus iungebatur, nunc per turmas diuidebatur, vt aut vniuersus procurreret, aut turmatim; idque vel pro locorum natura, vel rei euentu, vel hostili constitutione. 29 *Equitatus varia dispositio.*

Frequentatum deinde à Romanis, maximè in periculis, & frequenti hostili equitatu, vt in orbem acti se tutarentur. Factum à L. Pompeio contra Perseum, à militibus Sempronij, à Cæsaris in Anglia, & contra Labienum in Africa. feliciter plurimùm. Cauendum tamen hîc, ne ab hostium multitudine cingaris. fecit Scipio, qui cùm in orbem pugnantes Hispanos perrumpere non posset, exercitum circumduxit: 30 *In periculis in orbem se Romani tutabantur.*

quod facile illi ob hostilem paucitatem; & ad internecionem non sine suorum sanguine deleuit.

31 *Oportuna castris loca capienda, munienda.* Doceat suos Dux oportuna castris loca capere, munire, nocte dieque consilio, ac, si res poscit, manibus etiam obnitatur, & armis. cibo assuescat fortuito, laborantibus succurrat, strenuique militis simul ac Ducis officia exequatur. occurrat pauentibus, & vbi plurimus labor & periculum, Dux ipse & miles, consilio, manu, voce. laudem verò strenuis, inualidis solatium, trepidantibus animos, exemplum omnibus ostendat. nihil deinde apud suos remissum, nihil verò apud hostes tutum patiatur. caueat autem studiosè, ne hosti vllo aut loco aut tempore oportunus fiat, memor post gloriam inuidiam sequi.

32 *Exercitum fossa & vallo claudat.* Solenne apud Romanos, exercitum fossa, vallo, propugnaculis claudere; in hostili agro noctibus etiam singulis: tum ne nudos hostibus obiicerent, tutioresque ab insidiis essent, tum vt laboribus miles assuesceret, ne otio paullatim difflueret.

33 *Prouideat receptui necessaria.* Si qua necessitas quacunque caussâ nata, annonæ, pluuiarum, frigoris, morborum, hostili numerositate, cogat agmen retrocedere; imitetur magnos Duces. paret receptui omnia; animos inde addat suis, consilia tegat, præmia spondeat, ordine suos militari pedem referre cogat, quadam vultus, frontis, oris constantiâ, tanquam aliquid meditetur in hostem. caueat verò, ne aut præpropera celeritate ordines turbet, metum iniiciat, aut nimia lentitudine recipere suos ad tutiora non possit. Exempla desumet à Pompeio Brundisij, à Cæsare apud Dyrrhachium, à Luctatio Consule in Cimbros, ab Hannibale contra Neronem & Fabium, à Mithridate contra Pompeium. Quid? quòd pecuniam & sarcinas Tryphon spargat, vt, dum prædæ Antiochi exercitus incumbit, tutum receptui locum inueniat. Sertorius etiam per varia suos loca dispergit, vt Metello insequendi spem adimat. factum idem à Viriato. Iphicrates autē tantùm non in Thracia obsessus, plu-

plurimis excitatis ignibus,hostem fallit, se suosque periculis eximit; incautumque hostilem exercitum à tergo inuadit, cædit, victor ex obsesso factus.

Fugam etiam non rarò militiæ Duces ostentarunt, vt hostem fallerent,& præfidentem traherent in insidias. factum à Cæsare & Labieno in Cingetorigem,à Parthis in Crassum, ab Hamilcare & Hannone in Sicilia, à Tomiride in Cyrum, ab Hannibale in Minutium, Marcellum, Sempronium, Flaminium. 34 *Fugam aliquando simulabit.*

In bellorum maximè initiis sedulus in primis sit,non ignarus initia maximè bellorum expectari,famam in cætera esse; primisque euentibus metum aut fiduciam gigni. Sed neque nimiùm trahat, bellaque ex bellis serat, moraque fastidium ac teporem militi immittat. neque improuidâ celeritate, & suorum æstu, rerum summam in discrimen adducat. meminerit militem ferè periculi, quàm moræ patientiorem esse. ingrata nimirum illi, quæ tuta, & ex temeritate vulnera & sanguis,auiditate prædæ pensantur. Mitigabit nimium hunc calorem Ductor. satis enim citò incipiet victoriam,vbi prouiderit ne vincatur. Temperãdus ergo præcox militaris æstus prudentiâ; cùm ferè nimia velocitas iuxta formidinem,cunctatio propior constantiæ sit,modò lentitudine sua victoriarum oportuna non negligat.nam cùm in celeritate non rarò spes omnis posita sit, vt præoccupasse, hostem vicisse sit; tum improuida acceleratio spes magnas euertit. ac licèt gloriam aliquando ex culpa temeritas inuenerit, non obiiciet tamen tam incertis se suosque exercitus ductor. In qua omni re Ducis prudentia magnum momentum habet: qui hîc celeritatem, ibi moram iniiciet. Quòd si post hæc omnia fortuna illum magis, quàm animus & virtus deseruerit, fortunam in decus vertet, & mori se fortiter posse docebit: aut, non nisi suorum armis destitutus, meliori se fortunæ seruabit. 35 *Tarditas, & nimius calor noxius.*

Neque interim quidquam certi in celeritate,& mora præ- 36
scribi

Nihil certi præscribi in mora & celeritate potest. scribi potest. nunc enim celeritatem res deposcit, tarditatem aliàs. Hac Hannibalem Fabius fregit, insolentem victoriis Ducem: illâ Nero Asdrubalem, cùm se incredibili celeritate Salinatori coniunxisset. periit tamen hac, moræ omnis impatiens, magnus omninò belli Dux Marcellus, nihil Hannibale inferior, qui primus hunc vinci posse docuerat; insidiis tamen inferior, cùm virtute par esset. Magnum interim Romanorum plerique in celeritate momentum posuerunt. testes mihi Scipio, Lucullus, Sylla, Marius, Pompeius, Cæsar in Germania, Gallia, Belgio, maximeq; post Pharsalicos triumphos. de quo tamẽ illud Suetonij: *Hic nisi tempore extremo ad dimicandum cunctatior factus est, quo sæpiùs vicisset, hoc minùs experiendos casus opinans, nihilq; se tantũ acquisiturũ victoriâ, quantum adferre calamitas posset.* Et sanè, qui diu fortunam habuit fauentem, timere potest, & tardiùs ad pugnam ire, quàm nouus, & minùs eam expertus. Celeritate verò ante omnia opus ad primos ciuilium bellorum motus, antequam coaluerunt vires; quæ cùm inualuerint morâ, sola propè partium internecione finiuntur. Neque quidquam facilius, quàm obruere hostem incogitantem. paratum maiori molimine vinces; longè etiam maiori à victoriis recentẽ: quem morâ magis, quàm armis franges. Sed & militem non rarò interiectâ morâ, cum Æmilio Paullo, accendes ad arma. dum enim contemptum quemdam tuorum inieceris, & è contemptu disciplinæ apud hostem neglectum, facile erit incautum, & nimiâ fiduciâ sui tumentem frangere.

57 *Velitationibus hostium vires tentandæ.* Illud etiam à plerisque obseruatum, vt, antequam se vniuersæ pugnæ committerent, leuibus hostiles vires velitationibus tentarent. Factum à Cæsare contra Pompeium in campis Pharsalicis, in Belgio etiam. *Quotidie enim equestribus prælijs, quid hostes virtute possent, & quid nostri auderent, periclitabatur.* vt suorum nimirum & hostium animos, vires, felicitatem experiretur: vtque ex his, antequam acie totâ concurreret, disceret quid sperare posset, quid deberet.

Matu-

Maturitatem,prouidentiam,consilia amabit. temerarios aufus,vt in nauigando scopulos,vitabit,quisquis se & Rempublicam saluam volet, quisquis posteritatis memoriam cogitabit. nec tam felices quosdam fortuitos successus temeritate natos, quàm infelices numero plures, & funestis regnorum internecionibus maximos recensebit. Meminerit è portentosis aliquando parentibus ingenuos nasci. at hoc portentum priore maius est. Et quis ideò monstra parentes deligat,quia è talibus nonnunquam felices partus? quin adeò cùm viderit monstra ferè mõstris nasci, vitabit, si potest, monstra. Idem in mediorum delectu dico. non committet salutem decusque suum fortuitis Dux prudens. Scio magnis Ducibus,temerarijs conatibus fortunatos respondisse euentus. fuit hoc felicitatis à Deo concessæ, prudentiæ non fuit. Illam quis sibi arrogabit? è cælo venit. & quàm paucis respondit! è millibus sors vnum, aut alterum enumerabis. Cæsarem vnum sæuos Adriatici maris fluctus scaphâ proscindentem; Alexandrum vnum,qui admotis ad Oxydracorum opidum scalis, *cunctantibus cæteris euadit in murum*. addit Curtius: *Iamque læuam,qua clypeum ad ictus circumferebat,lassauerat, clamantibus amicis, vt ad ipsos descenderet, stabántque excepturi. cùm ille rem ausus incredibilem atque inauditam, multóque magis ad famam temeritatis, quàm gloriæ insignem. namque in vrbem hostium plenam, præcipiti saltu semetipsum immisit.* Quid potest addi ad hanc regiam temeritatem? aut quid tam fatuum, quod huic conferatur? cessit feliciter. felicitatis cuiusdam fuit: prudentiæ non fuit. Ac nescio, an temeritas hæc minor: *Nauigabant omnium per quæ ferebantur ignari, quantum inde abesset mare, quæ gentes colerent, quàm placidum amnis os, quàm patiens longarum nauium esset, anceps & cæca æstimatio augurabatur. vnum erat temeritatis solatium, perpetua felicitas.* Quærit Oceanum Alexander, Oceani ignarus, viæ, loci, fluminum, hostium ignarus. in temeritatem gloria impulit: felicitas periculo eripuit. fortunæ fuit, prudentiæ esse non potuit. Vt bene Curtius,

38 *Temeritas damnãda, fugienda.*

tius,

tius, post enumeratas magni Regis virtutes: *Fatendum est tamen, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. quoties illum à morte reuocauit? quoties temerè in pericula ruentem perpetua felicitate protexit?* Hæc qui cogitauerit, feliciorem quàm prudentiorem fuisse inueniet. At quis felicitatem hanc sibi promittet? non est temeritas felicitatis mater. prudentia plurimùm felicem facit. neque enim certior felicitas illâ, quam ratio peperit, fouit, auxit. hanc sibi prudens figulabit. Non respondet prudentiæ felicitas? feret vir prudens, & ratione se solabitur: laudabitque prudentes conatus felicitate sua destitutos; damnabit fatuos felicitate sua laudatos. & cùm prudentia sit nobilissimum animarum ornamentum, tum felicitas non rarò ab aliena manu venit, & extra nos plurimùm est, fortuitorum socia, frequenterq; stolidorum socia conatuum. Temerarios proinde ausus vitabit vir prudens, infortunatis magnorum casibus edoctus; Flaminij, Varronis, Manlij, Cæpionis, Hostilij Mancini, Calpurnij Pisonis, Crassi, aliorum orbe toto notissimorum. Dispiciat proinde singula: nec in pericula se suosque vltrò proijciet. vitabit ignes & præcipitia, si potest. non potest? interritus calcabit; & cùm in illum locum deductus fuerit, vt solis pedibus salus paranda sit, antè solum, Machabæi exemplo, generoso signabit sanguine, quàm fuga. Gloriosa plerumque militi mors, fuga nunquam fuit. non proijciet se tamen cæco impetu in venabula, ferarum more. vitabit, si potest. negauit fortuna? non inultum hauriendum hosti dabit sanguinem, audebitque cum Leonida Spartano: *Hic prandete commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi*: apud cælites, dicet Christianus. aut cum Vibio Acceio, Valerio Flacco, Pedanio, Præfectis & Centurionibus in hostile vallum signa mittet inferétue; aut cum iuuentute Romana equo delabetur, & recolligendi se pediti locum dabit; aut denique, occupandum vbi designauerit tumulum, addet, Non dico, vt redeatis. sequetur præcedentem miles Ducem.

Ducem. Factum in Cæsare: *Qui timidè pugnanti in Neruios scutum detraxit, eóque tectus acerrimè præliari cæpit. aquiliferum etiam ineundæ fugæ gratiâ iam conuersum, in contrariam partem detraxit, dextramq; ad hostem tendens: Quorsum tu, inquit, abis? illic sunt, cum quibus dimicamus. & manibus quidem vnum militem, adhortatione verò tam acri, omnium legionum trepidationem correxit, vincique paratas vincere docuit.* Fortiter. imitabitur militiæ Dux. Audacissimum omnino factum Hecdicij: cùm Aruernorum vrbem à Gothis validè vndique obsessam, vt suis re & consilio adesset, intrare vellet, nec via reliqua illi, per confertos hostes audaci conatu armatus perrupit. describit Sidonius, suo more, doctè & eleganter. *Non potest vnquam ciuicis pectoribus elabi, quem te quantumque nuper omnis ætas, ordo, sexus, è semirutis murorum aggeribus in aduersum perambulatis, & vix duodeuiginti equitum sodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum, non minùs die quàm campo medio (quod difficilè sit posteritas creditura) transisti, ad nominis tui rumorem, personæque conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit: ita vt præ admiratione nescirent duces partis inimicæ, quàm se multi, quàmque te pauci comitarentur. subducta est tota protinus acies in supercilium collis abrupti: quæ cùm priùs applicata esset oppugnationi, te viso non est explicata congressui. Interea tu cæsis quibusque optimis, quos nouissimos agmini non ignauia, sed audacia fecerat, nullis tuorum certamine ex tanto desideratis, solus, planicie quàm patentissima potiebare, cùm tibi non daret tot pugna socios, quot solet mensa conuiuas. Hinc iam per otium in vrbem reduci, quid tibi obuiàm processerit officiorum, plausuum, fletuum, gaudiorum, magis tentant vota conijcere, quàm verba referare. siquidem cernere erat, refertis capacissimæ domus atriis, illam ipsam felicissimam stipati reditus tui ouationem, dum alij osculis puluerem tuum rapiunt, alij sanguine ac spumis pinguia fræna suscipiũt, alij sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant, alij de concauo tibi cassidis exituro flexilium lamnarum vincula diffibulant, alij explicandis ocrearum nexibus implicantur, alij hebetatorum cæde gladiorum latera dentata pernumerant,*

 rant,

rant, alij cæsim atque punctim foraminatos circulos loricarum digitis liuescentibus metiuntur. Ac licèt temeritate fors sua sit ad extrema deductus, animos ab audacia & necessitate mutuabitur; & cùm erubescet de temeritate, de fortitudine laudem cum Crasso sperabit. Neque ideò tamen temerarius erit, vt fortis esse possit. neque enim deerit etiam in prudentia fortitudini sua materia: maiorque, quàm à temeritate; quia duplici laude digna, prudentiæ, & roboris. Neque magnum est temerarium esse. stolidorum hoc ferè est. magnum est prudentem esse, prouidum, circumspectum, paratum. Omnia tamen vbi prudens Dux circumspexerit, si prudentibus consilijs non responderit euentus; fortiter feret, & ferendo cum Attilio, Scæuola, Zenone Eleate, Anaxarcho, Theodoro ostendet se virum esse, & aduersis fortiorem.

39 *Prudentia prima Ducis virtus.* Prudentiam verò omnium virtutum maximam Duci voueo. neque alia magis bello necessaria. magno proinde in re bellica delectu vtatur. nec noua omnia damnet, nec vetera probet omnia. nec fidem adhibeat omnibus, nec deroget omnibus. maturâ seriaque in re omni deliberatione opus, vt neque celeritate tamquam flammâ se suaq; amburat, neque nimiâ tarditate tanquam frigore & glacie concrescat. Sed & mala vitiaq; sua prudenter tegat. Singula denique dispiciat, hostium vires, animos, pugnandi genus, peritiam, industriã, mores, prouinciam in qua versatur; suorum etiam vires, animos, mores, ingenia, affectus, quibus animentur, excitentur, erigantur; quibus deijciantur & ignauescant, quibus etiam ad indignationem prouocentur, ad misericordiam flectantur, in vindictam ferantur; honore, an opibus capiantur, spe aut metu agantur. Illud etiam prudentiæ magnæ, nihil pati deesse militi, non armorum, non cibi potusque, vt anteprouidâ curâ quidquid bello necessarium prouideat militiæ ductor, cùm, quidquid euenire possit, seriò antè cogitauerit, singulisque de remedio prospexerit, vt paratus in fortunam omnem excubet, minimoq; damno aduersa excipiat ac sustineat.

neat. aduersus hostiles insidias mentem paret, fraudesque fraude depellat. Videat, ne ad iniquiora ducatur loca, ne ad commeatu destituta, ad valetudini aduersantia, ad palustria aut arentia, ad aquarum inundationibus oportuna.

Cauta in Duce consilia probanda. *Stratagemata veterum.*

Cauta in Duce consilia probo, & stratagemata veterum more inuenta, nouo peracta. 40 Pulcrum illud Camilli, qui Senones Gallos imparatos circumuenit, cecîdit, Romam sibi reddidit, liberam è captiua. Illud etiam Neronis, qui mirâ celeritate Salinatori se nocte iunxit; quo factum, vt non antè se cum duobus consularibus exercitibus Asdrubal pugnare rescirer, quàm ab vtrisque prosterneretur. Et illud Hannibalis, qui in Cannensi pugna prouidit, vt Solem & puluerem aduersos haberet; fugam dein simulauit, quo faciliùs incautos opprimeret; transfugas emisit, quò improuidos in ardore pugnę à tergo cæderet. factum, & secuta victoria, & cædes omnium propè quos Roma tulit maxima. Eadem arte contra Sempronium apud Trebiam vsus, cùm suos ignibus oleoque priùs fouisset. eadem apud Trasimenum, cùm nebula & palustribus virgultis tectus eques, pugnantium Romanorum terga inuasit. Fabium verò Maximum quis ignorare potest, qui saluberrimis cunctationibus Hannibalis ardorem tepefecit & fregit; & solâ morâ, nullo sanguine, vinci posse docuit? Iam Cæsar in Pharsalicis, consilio magis, quàm viribus vicit. & Marius cùm in Cimbros ducit, Hannibalem secutus, artemque Cannarum, primò nebulosum nactus diem, vt hosti inopinatus occurreret; tum ventosum, vt puluis in ora & oculos ferretur; acie dein conuersâ in Orientem, vt, quod ex captiuis cognitum est, ex splendore galearum ac repercussu, quasi ardere cælum videretur. Et non Punica arte & fraude, in ipsa sua victoria P. & Cn. Scipiones oppressi? quanquam & arte suâ victores à L. Martio exiguâ manu fusi. Et quanta clades apud Caudinas furcas accepta, cùm clausus per insidias intra saltum Romanus exercitus sub iugum à Pontio missus est? Laudatum illud Auli Posthumij contra

Latinos, qui iuuenes duos specie decorâ armis fulgentes immisit in equos candidos, cùm inclamasset Castorem & Pollucem auxilio venisse. creuit hoc vno animus Romanis, & secuta victoria est. Et illud M. Curij, qui cùm multitudine vinceretur, & circumueniri à Pyrrho posset, angustum delegit pugnæ locum. Factum idem à Pompeio in Albania: in Cappadocia verò eminentem elegit, à quo magno impetu in Mithridatem procurreret. fecerat id antè Lucullus in Tigranem & Mithridatem. factum idem à Cæsare. Ventidius in Parthos non antè eduxit militem, quàm vicinus hosti esset, quò facultatem illi adimeret eminus iaculis agendi, quo vnico pugnæ genere plurimum Parthi poterãt. Africanus etiam alta in nocte densis tenebris Asdrubalis & Syphacis castra incendio delet, victoremq; secutus flammam, ingentem exercitum nullâ suorum clade fundit. Epaminondas autem copiosum, submisso equitatu, puluerem excitat, ne videri à Lacedæmonijs posset; inde, circumducto exercitu, cùm à fronte expectaretur, à tergo hostem inuasit, & victor redijt. Elegans illud, cùm muliebri veste milites induit, qui cum reliquis mulieribus in hostilem vrbem admissi, portas occuparunt, aditumque suis dederunt. Pulcrum etiam illud eiusdem, cùm clàm noctu armis templo detractis quosdam è suis induit, pugnæque tempora indixit, quò fidem reliquis faceret Deos auxilio venisse. Cleomenes verò Lacedæmonius cùm ab Atheniensibus equitatu superaretur, præcisis arboribus locum instrauit, quò procurrendi facultatem equitatui adimeret. Sertorius verò scrobibus ductis hostilem equitatum à se suisque arcuit.

Simulatio Duci necessaria.

Vsitata etiam magnis Ducibus simulatio, cùm certo itinere expectãtem hostem, alio aggressi sunt. Factum à Quinctio Flaminio contra Philippum Macedonem, à Glabrione contra Antiochum, ab Hannibale in transitu Alpium, à Pericle in bello Peloponnesiaco, à Nicostrato contra Epirotas. Cæsar verò dum metum simulat, incautum hostem fiduciâ

sui,

sui, Romanorum contemptu fecit. omnibus deinde portis peditem equitemque in non expectantes immisit, in fugam vertit. fecit idem Labienus in Induciomarum, & Furius Consul. Marius verò & Sulpitius calones equis impositos, in medio ardore pugnæ è vicino monte descendere in substratam planiciem iusserunt. quâ nouâ exercitus specie hostem terruerunt, fugarunt. Ingeniosum omninò fuit Pisistrati factum: *Quæ ceperat nauigia Atheniensi milite compleuit: qua facie decepti Megarenses, tanquam suis, & cum successu renauigantibus effusi obuij, inermes oppressi sunt.* & illud Cononis. *Victa classe Persarum, milites suos captiuis armis induit, & iisdem Barbarorum nauibus ad hostem nauigauit: Persæ, quia & nauigia, & habitum superstantium agnoscebant, nil cauerunt. subitò itaque oppressi, eodem die nauali & pedestri prælio victi sunt.* Aristippum narrant Tegeam occupasse, cùm iumenta frumentariis saccis onerasset, militesque negotiatorum habitu immisisset; Thebanos etiam Sicyoniorum portum occupasse, clausis naui militibus, cùm tabulata mercibus onerassent; Antiochum autẽ Suendam occupasse, frumentarijs occisis, quorum vestibus cùm suos frumento onustos induisset, castello potitus est.

Consultò omnia Dux agat. eosque in primis audiat, quos longa militaris experientia docuit, quosque ætas ad maturitatem composuit: quique non sperare tantùm, sed & metuere prudenter didicerunt. calida, & tanquam à torculari mustea & spumantia adhuc, ingenia & consilia fugiat: temperata sequatur & secura. nec supra vires audeat, nec infra illas se abijciat; memor nimis arduis præcipitia adiacere, vilibus cõtemptum. non credat nimiùm audentibus, & quos non tam animus & audacia, quàm fatua quædam opinio sui in nocitura impellit. Nimis semper carò temeritas auctoribus suis stetit. Varro & Flaminius, & apud Germanos Varus mihi testis. Illud etiam Atheniensium præproperum, cùm à nobilissima victoria redeuntes Duces suos damnarunt, quòd militum corpora inter sæuientes Oceani fluctus, sepulturæ non 41 *Consultò omnia Dux agat.*

man-

mandassent; necessitatem improuidè punientes, cùm honorare virtutem debuissent. Inconsultam etiam fatuamque, & ante cogitata eorum executionē Alexandri Magni, loquuntur Lysimachus leoni obiectus, Clitus hasta traiectus, Calisthenes mori iussus, Parmenio cæsus, Philotas securi subiectus. Illud etiam Hannibalis stolidum, cùm nauium suarum rectorem interemit, quem postea maturiore deliberatione adhibitâ, rei veritate compertâ, absoluit, cùm eius innocentiæ nil præter sepulcri honorem dare posset. Non credidit tam paruo Italiam Siciliamque spatio inter se diuisas. vidit; non credidit, insidias veritus. absoluit mortuum, non profuturâ absolutione, serâ pœnitētiâ inconsultæ damnationis.

42 *Plures consiliis adhibendi.* Cùm verò consilio omnia Ducem aggredi velim, ac ei plures etiam in arduis adhiberi; tum nulli, aut perpaucis mentem suam aperiat: ac non nisi antè probatis. nocuit non rarò dixisse: silentium pro prudentia est. Scio rem periculi plenam, damno proximam, plures consilijs admouere. Scio propè inter se pugnare, peragenda retegere, & multorum sententiam pertentare. neque enim satis deliberari de re potest, nisi eam toto, vt ita dicam, corpore proponas, cùm ab vna circumstantia celata, tota consilij dandi machina pendeat. aperire verò mentem totam, nudamque ac quasi inuestem plurimis ostentare, magnis omninò periculis adiacet. Nam quis sperare prudenter possit, non vulgandam rem, tot tubis ac campanis, quot auribus & oculis cōcreditam? Quid faciet militiæ Dux inter hæc breuia constitutus, ne allidat prudentiæ suæ ratem ad has arenas, aut imprudentes euulgationis scopulos? rem aperiet primis exercitus sui Ductoribus? ô quoties in forti manu feminea lingua est! aperiet nobilitati? quoties in ea tacenda desideramus! quoties in generoso maiorum sanguine plus de muliere, quàm de viro est! & quàm nimis verum est, plus plerumque clauium & claustrorum in plebeio, quàm in patricio ore esse. cùm enim nihil dedecere nobilitatem suam putant, nulli parcunt; quin adeò

adeò omnia posse effundere,& omnibus omnia, nobilitatis quoddam genus arbitrantur. Iam, quàm multi ætate maturà, immaturo ore sunt! quàm pauci in prima iuuenta linguâ senes! quàm multi quadam sociorum fiduciâ silenda prodũt! quàm multi naturæ quadam facilitate labuntur! quàm multi, quod ore claudunt, improuido signo reserãt! Tutissimum fors fuerit, si militiæ Dux plura in deliberationem adducat, ac in vtramque partem singulorum momenta excutiat. Aperiunt se rerum difficultates ingeniorum, quæ in deliberationem adhibemus, collisionibus, dum singuli æmulâ quadam iudiciorum velitatione, sua firmare, infirmare aliena conantur. è pluribus dein propositis, deligat tacitus apud animum suum exequenda militiæ Dux. Quod de rebus dixi, de exequendi etiam ratione intelligo. par vtrimq; spes, metus ac momentum est. Consueuerunt etiam magni militiæ Duces, vulgarium nonnumquã militum, quos longa & ætas & experientia, & vetus militia docuit, mentem prudenter expiscari, faciles audire, nec rarò profutura è veterana mente discere. Non quòd velim Ducem aliorum consiliis alligare. audire tamẽ velim; iudicium penes ipsum erit. Certè cùm Iugurtha legatos, qui imperata facturum dicerent, misisset; *Metellus properè cunctos Senatorij ordinis ex hibernis accersiri iubet: eorum, & aliorum quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum, ex consilij decreto, per legatos Iugurthæ imperat argenti pondo ducenta millia.* Hæc Metellus, vir magnus, & cum primis omninò militiæ Ducibus componẽdus. Nam suo solius iudicio si steterit belli Dux, quid nisi fatuos euentus expectes? neque enim vnius est singula aut nosse, aut medicam tam varijs adhibere manum, aut tot simul occurrere malis, totque prouida hostium consilia euertere, insidias vitare, dolos retegere, aut anteuertere nocitura, aut semper profutura suggerere. Sed neque in vnum omnium rerum experientiæ cadere possunt, nec locorum omnium hostiumq; cognitio, non prospera, non aduersa. & securiùs res è multo-

tum consilio aggredietur belli Dux, minoreque laborabit inuidiâ quisquis plures in consilium vocauerit: habebitque amicos, quos habiturus aduersarios erat. ita namque comparatum est, vt inrogati damnemus, probemus rogati, vel hoc solo nomine, quòd prudentiæ aliquid nostræ concessum videatur. Iam, vt nusquam magis, quàm in bello dubij exitus sunt, ac nusquam magis fortuna ludit, consultissimum omninò Duci propugnatores habere. Habebit, quisquis consilia cum aliis sua contulerit, qui vel solâ verecundiâ, ne damnare videantur quod probarunt, fortiter in Duce consilia tuebuntur. Et certè nemo prudens vnum caput suum, tot liberis omnium linguis obijciet, tot æmulantium ac inuidentium iudicijs; eo magis, quòd mortalium plerique omnes ab euentu prudentiam metiantur. stolidè aut sapienter re institutâ, iuxtà habent: ab euentu felici aut infelici nomen indunt fatui aut imprudentis.

43. *Opere exequenda prudenter cogitata.* Nec satis, prudenter multa inuenisse. opere exequenda sunt. neque enim prudentia meditando, aut cogitando, sed faciendo absoluitur. Inuenias non paucos benè dicentes, cata consilia suggerentes, res momentis suis ponderantes, verum à falso, bonum à malo, vtile & decorum ab inutili & indecoro secernentes, apteque singula partientes, & in sua quæque membra distinguentes; in rerum verò executione timidos, dubios, lentos, inconstantes, affectibus indulgentes, amicitiæ, adulationibus, precibus, infelicissimos denique in delectu. ita prudenter cogitata negligunt, deteriora sequuntur, à melioribus deduci se facilè patiuntur. in quibus plus amor sui suorumque, plus priuatorum commodorum & fortunarum, & blandæ aliò trahentium preces, quàm ratio apud hos potest. Non sunt hi ad imperia nati, ad consilia danda meliores. Sunt alij, quibus ferè oratio inculta & aridior, incomposita partitio, nullisque vinculis decorè ligata; sed prudens rerum delectus, certa & constans executio. Et nescio, quomodo comparatum sit, vt perraro concinna & ele-

elegans dictio, blanda & sonora elocutio, numeris suis respondens, sectionibus apta ingeniosis, cum vera prudentia consistat. noluit fors Deus vtroque vnum, aut non nisi rarissimè beare; è multis nimirùm millibus vnum. vni plerumque dictionem, prudentiam alteri largitus, felicitatem etiam alteri. ita dispertit dona sua, vt varia terrarum & cæli ornamenta sunt: nec cælo terrarum, nec terris cælorum ornatum concessit. nec vni agro omnia, vni omnia regno. mutuis scilicèt hæc muneribus condecorare voluit. Ego verò, si quid in præsentiarum voueam, prudentiam Duci meo voueam, inde felicitatem, dictioni tertium locum tribuo. quam nec ambiam, si desit; nec reiiciam, si adsit; imò amem, si adsit. Nobile in Duce ornamentum exornata & potens dictio est, siue in suadelam & spem, siue in terrorem & audaciam. Cicero in exercitus Ductore hæc deposcit. *Hæ sunt virtutes imperatoriæ, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo.* Addo felicitatem & prudentiam, summa Ductoris præsidia. Et certè maiora longè prudentibus consiliis, quàm robore, aut militum numero peracta, omnium nos gentium vernaculæ docent Historiæ.

Nunquam exequendarum rerum, à quibus gloria speratur, honor depēdet, curām ei, qui inimico à se animo est, credat. vltrò rem perdet, vt expectatâ gloriâ defraudet. famam etiam suam proijciet, vt inimico deroget. Factum à Romano peditatu, ad hostium copias persequendas à Fabio Consule misso. insequi Ducis odio noluit. Illud etiam deterius, cùm sub Appio Duce voluntariâ fugâ exercitus, cùm vincere posset, terga hosti dedit; ne triumphum imperatori quæreret, odium expressit. Hoc etiam nouum, cùm præturam adepto Cn. Flauio humillimæ quondam sortis, annulos aureos sibimetipsis, & phaleras equis detractas abiecerunt Romani, odij & doloris impotentiâ. ad quæ non protrudat conceptū semel animo odium? Nemo proinde prudens opes gloriamque suam hostili dexteræ committet. Nemo enim inuidiâ

44 *Executio rerum nunquam inimico tradenda.*

grauido, aut maleuolentiâ pleno fortunas, vitã, decus suum familiaeque concredidit. Perpaucos Nerones & Salinatores reperias, qui priuata odia Reip. donent. pauciores Æmilios, Lepidos, & Fuluios Flaccos. paucissimos in Graccho Africanos, in Gabinio Cicerones, in Antonio Caninios, in Pompeio Caelios Rufos.

45 *Non credenda illi executio, qui alterius sententiae fuit.*

Sed neque illi rem committat, qui in deliberationibus, aut extra illas, alterius sententiae fuit. languidè talis rem aggredietur, negliget etiam, ne damnare vota sua videatur; adeoque & gaudebit de infelici euentu, quò sententiam suam firmet. & verò vincere nolet, ne consilium alienũ fortunato successu probet. maioremque prudentiae quàm fortitudinis in alieno consilio & imperio famam amabit.

46 *Denuntiatoribus nec temere credendum: nec negligendi.*

Non esse temerè denuntiatoribus credendum, monent sapientes. neque negligenda tamen omninò, quae denuntiantur. Perijt hoc neglectu Archias Thebarum Tyrannus, cùm in alterum diem legere distulisset litteras coniurationis indices. Sed & Caesar neglectu suo occubuit, cùm oblatam chartam funesto & vltimo die suo neglexisset. Et aetate nostra, qui oppido cuidam pro Imperio praeerat, cùm in medio lusu litteras, quibus hostilium molitionum monebatur, seposuisset, se & vrbem perdidit, hostique quas acceperat obseratas reliquit, negligentiae suae testes. Sed & nimia credulitas non minùs noxia. periere hâc plurimi. ita iacet Imperij paterni spes magna Crispus, nimiâ Constantini patris in fidẽ facilitate. Belisarius etiam Dux bello maximus praeproperâ Imperatoris credulitate inglorium exitum sortitur. Quid? quòd Dauid cùm Sibae fidem habet, amicissimi Ionathae filium, cui non semel vitã debebat, paternâ hereditate exuat. Hosti verò denuntianti spondentiq; ne facilè fide. peccatum hîc à Ionatha bellatorum maximo, cùm se Tryphoni tradit. peccatum à Simone, cùm se filiosque Mathathiam & Iudam Abobi filio, & in hoc Ptolemaeo, credit. crediderunt se etiam sexaginta viri, Israelitarum primi, cùm perierunt.

Pro-

Proditores non dico ama. vtere tamen illis, sed cum delectu, nec quidquam illis indicibus aggredere, in quo periclitari de summa rerum possis. In manu etiam tua sit proditor, in oculis & ferro tuo, ne impunitus dolum ferat. Quod si negatum, vxor aut liberi in potestate tua sint; aut sanè amicorum aliquis, in quem sæuire possis, si fallat. Præmijs verò illos dona liberali manu. ne parce. ante obsequiũ pauca subministra, post illud ampla. Consilia tamẽ illis non facilè credas. fluxa enim ferè tales & labili fide sunt. vbi spes lucri maioris affulserit, datam fidem fallent. tamdiu verò illis vtere quamdiu vtiles, nec vltrà. Fuit illud mirabile in Aureliano, de Heraclammone Thyanæ proditore. *Occidi passus sum, cuius beneficio Thyanam recepi. Ego proditorem amare non potui, & libenter tuli quòd eum milites occiderunt. neque enim mihi fidem seruare potuisset qui patriæ non pepercit.* probare non possum. 47 *Proditoribus cautè vtendum.*

Hilaritatem vultus præ se ferat, comitatem, humanitatem, benignitatem. imitetur magnos in hac re viros, Africanum, Vespasianum, Titum, Germanicum, Neruam, Augustum, Traianum, Seuerum, Antoninum, Alfonsum Aragonem, Maximilianum I. Vulneribus etiam graues ægrosq; soletur, & dum sanguinem præmiat, laudes ingerat, animos addat, egentesq́ue pecuniâ iuuet, maximè eos quos verecundia & pudor à petendo retrahit. Fecit Adrianus Imp. Spartiano teste, Plinio Traianus, Lampridio Titus. inter quos numerandi Agesilaus, Augustus, Rudolphus Imperator. 48 *Hilaritatem vultus præ sese ferat.*

Si doctum militiæ Ducem nactus fuero, laudabo. non caruerũt eruditione sua veteres. Alexander, Pompeius, Cæsar, Augustus, Lucullus, Sylla, & Romanorum pars magna, magna etiam Græcorum. Si caruerit, non damnabo. nec dubitabo ab aratro vocare Cincinnaros & Marios, ab agresti tugurio Hostilios, à mercatura Tarquinios Priscos, à famulatu Seruios Tullios. Si quid tamen dandum voto meo, frequentem in veterum maximè Historicorum lectione velim. nullo suo ab illis damno, & non magna lectione, profutura discet; 49 *Eruditio Duci optanda.*

gentium mores, ingenia, robora, opes, animos, institutum, militarem disciplinam; bellorum initia, progressus, finem, varios exitus, felices, infelices, dubios; regnorum incremẽta, interitus, caussas; quid dein cuique magnum, inopinatum, fortunatum, infortunatumq́ue acciderit, eorumq́ue caussas. Facit breuis lectio, quod vix plurimorũ annorum fastidiosa experientia. imò omnium ætatum, sæculorum omnium prudentem experientiam, breui compendio, è lectione, militiæ Dux discet. nec quidquam ferè inopinatum euenire illi poterit. nihil enim adeò nouum, quod non prior ætas, aliquo retrò sæculorum, in aliquo exercitus Ductore viderit.

50 *Castimonia in Duce optanda.* De Ducum castimonia nihil dico. Laudata hæc semper omnium ore & calamis. immortalem sanè illa laudem, omnibusq́ue triumphis nobiliorem tribuit Scipioni: qui exquisitissimæ formæ vltrò oblatam, cum dote remisit, nec tangere voluit, nec videre, tam castis oculis, quàm corde & manu. Factum idem ab Alexandro, vel hoc solo nomine Magno, cùm Darij vxorem ac filias miræ pulcritudinis benignè habuit, solatus est, vicem indoluit, habuitq́ue vt matrem & sorores, nec alio loco. Laudatissimum verò illud Aureliani, qui pollicem vni domesticorum præscindi iussit, quòd minùs castè castas hospitæ suæ vestes tetigisset. Damnati contrà Tarquinij filius, Nero, Caligula, Heliogabalus, Antiochus Syriæ Rex, Ptolemæus cognomento Physcon, alij plures.

51 *Liberalitas in Duce commendata.* Assuescat dein militiæ Dux cum imperio suo calculum ponere, tanquam rationem redditurus, & edicturus quid absumpserit. ita fiet, vt non absumat quod pudeat dicere. In munificentiam tamen semper sit pronior, quàm in tenacitatem. aliquid etiam, vbi ratio & commoda suaserint, prodegisse non improbem. quin imò in exercitus Ductore profusio semper tenacitate potior fuit. illâ suorum sibi animos parat, hæc auertit: beneuolentiam illa, odia hæc conciliat: animos illa addit, hæc adimit: ad audendum illa præmiorum spe accendit, hæc terret, & pro audacia ignauiam parit. Neque

que enim quisquam facilè gratuitò sanguinem suum fundit. vulnera mercedem expectant. præmia sanguis mercatur, quæ à prodiga munifici Ducis manu fortissimus quisque expectat. & ferè vilescit sanguis, si præmia ostentes. Quin & ante pedes, & in oculis prodigi ac benefici Ducis vitam profundere, dulce & pro præmio est. tantum liberalior ac prodiga quædam munificentia Ducis in milite potest. In præmiando proinde omnino munificus sit, sanguinemque suorum mercede diluat. in laudando copiosus, fortis in animando, fortior tamen factis; cùm facta dictis apud omnes, maximè apud milites, pluris sint. quorum omnium laus, non dictionis elegantiâ, sed factorum magnitudine continetur. Commendatum illud Germanici apud Tacitum: *Propriâ pecuniâ militem iuuit, vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens; alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura, sibi & prælio firmabat.* & illud Agrippinæ: *Femina ingens animi munia Ducis per illos dies induit, militibúsque, vt quis inops aut saucius, vestem & fomenta dilargita est.* Dignum factum, quod eat in virum, in militẽ, in Ducem. dignissima omninò, quę mulierẽ suam exuat, induat virum. O! quis non imperatoria hæc in femina facta laudet?

Addicta militi stipendia ex fide numerari curabit. quod vbi fit, puniri delicta possunt. cùm contrà durum sit, malignè stipendia numerare, & rapinas vindicare. exsoluat, quod debet militi Dux; & puniat: nec reluctantes inueniet nocentes, nec damnantes alios. at verò non exsoluere, & sæuire, barbarum & seditioni proximum est. præmiare & punire Ducis, punire tantùm carnificis, absoluere & punire iudicis est. Vis militarem disciplinam sacrosanctam & intactam? præmia benemerentibus, pœnas delinquentibus, vtrisque consueta debitaque militaria stipendia para. tardior in his es? seditionem expecta, Reip. interitum. 12 *Militaria stipendia exsoluẽda.*

Militaribus seditionibus fortiter Dux occurrat. faciet, si caussas illarum anteprouidâ curâ auertat, si pullulare semina non 13 *Militaribus seditionibus occurrendũ.*

non permittat;si quidquid est iactum,excaudicet;quidquid natum,demetat, aut in herba sua suffocet. magna hîc pietas est sæuire,magna nullis securibus parcere. Et sanè quidquid in hoc genere crudele, pium; quidquid pium, crudele est; cùm ex hoc vno capite, omnium ferè primorum orbe toto regnorum funesta excidia nata sint, & insepulta cineribus suis orbis imperia iaceant. Caussæ variæ. militaris improbitas, insolentia, bellorum lassitudo, armorum tædium, veterum fastidium,nouorum desiderium, speratæ in turbido opes,honores: Ducum auaritia, indulgentia, ignauia, crudelitas,superbia,luxus,violata fides,aut maritalis torus:priuati alicuius nimia potentia, gratia, ambitio, siue sceptri amore, siue regnantis odio,siue reliquorum contemptu nata: locorum asperitas, commeatus inopia, ærarij egestas, maligna stipendiorum solutio.

O meum Belgium,militarium seditionum facta pila!quoties caput extuleras,& portũ iam tenebas,cùm furenti te reddidit Oceano,& sæuioribus immersit vndis vna militaris seditio! crederes è terris, à quibus sperari malacia debuerat, destinatò

—— præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Et tristes Hyadas, & rabiem Noti,

& inimicos classibus ventos omnes, in vnius ruere interitum.O mea nauis!quæ posteritas credet,annis vix totis quadraginta,militaribus te iactatam seditionibus,pudor!propè triginta. quousque prouinciarum orbe toto nobilissima,regnorum, atque adeò orbis quà patet,ludibrium sedes? ô nimis consanguineo exteroque sanguine,tanquam rore & imbre fœcundum! nauigare non semel in barbaro hoc flumine potuisti.

O quid agis? fortiter occupa
Portum. nonne vides, vt
Nudum remigio latus,

Et

Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant; ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea,

non exercitus Ductores domi tuæ nati, ... *quos iterum pressa voces malo.* fuit cùm magnorum genitrix Ducum, mutuare regnis & imperiis Scipiones, Pompeios, Cæsares posses. nunc taceo. nec quidquam mihi, præter vota, super. Verùm quid queror? quæ vnquam imperia militarium seditionum inexperta? qui Reges, Imperatores? quantas legimus sub Tiberio, Claudio, Vespasiano, Nerua, Commodo, Pertinace, Caracalla, Macrino, Maximino, Gordiano, Maximo, Balbino, Philippo, Decio, Valente, Gallo, Volusiano, Æmiliano, Valeriano, Gallieno, Quintillo, Aurelio, Tacito, Probo, Floriano, Numeriano, Carino, Diocletiano, Maximiano, Constantio, Licinio, Galerio, Maxentio, Constante, Dalmatio, Valente, Theodosio, Gratiano, Arcadio, Honorio, Valentiniano Iuniore, Maximo, Auito, Maioriano, aliisq; pluribus? quantas deinde in Oriente sub Leone, Zenone, Basilisco, Anastasio, Iustino, Iustiniano, Tiberio, Mauricio, Phoca, Heraclio, Constantino, Heracleone, Cõstante, Iustiniano II. Leontio, Philippico, Artemio, Theodosio, Isauro, Copronymo, Irene, Nicephoro, Michaele, Theophilo, Basilio Porphyrogenito, Michaele Calaphate, Monomacho, Isaacio Comneno, Duca, Ioanne Botoniate, Alexio Comneno, Andronico, Angelo, Palæologo, reliquisque propè omninò omnibus? vt meritò audeat Liuius: *Æternas opes esse Romanas, nisi inter semetipsos seditionibus sæuiant. id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia essent.*

Quod ille de Romanis, ego de te, meum Belgium, orbis gemma, robur, sol magne: seu Oceani, fluminum, fontium, vallium, montium, nemorum, hortorum, varietatem, amœnitatem, fæcunditatem; seu ingenia scientijs, artibus, armis

nata cogitem. Ex te ſolo integros, nullo prouinciæ ſenſu, educo exercitus, inuictum peditatum, equitatum nulli ſecundum. Non decurro ad ſæcula Cæſaris, quibus omnium vbique populorum fortiſſimi Galli, omnium Gallorum fortiſſimi Belgæ. teſtis ipſamet nunc mihi Gallia, teſtis Germania tota, teſtis Hungaria, Bohemia, Italia, Hiſpania, teſtis India, quâ oritur, qua ſol occidit, omnis, Africaque mihi & Aſia teſtis, & quidquid orbe toto barbarum audit, barbarum loquitur, Belgicosque ſenſit animos & ferrum. & quis orbis angulus non ſenſit? Vrbium verò elegantiâ, nitore, diuite & concinnâ ſupellectile, roboreque & numero, quidquid vbique regnorum eſt, vincis. Plures ſanè ambitu non magno tuo vrbes complecteris magnas, locuplete vndique populo inſeſſas, quàm quâ latiſſimè patent Italia & Gallia ſimul, quâ Anglia, Scotia, Hiſpania ſimul, quâ Germania quaqua omnis, quâ Hungaria, Bohemia, Polonia ſimul, qua Ægyptus, & Græcia tota. Quid? quòd Principi tuo annuè eas pendere opes poſſis, quibus nullum Europæorũ regnorum maiores; vt è te ſolo annis ſingulis, octo facilè auri milliones ſperare Princeps poſſit. pone tantùm odia, & inimicum inimico & cõſanguineo populo ferrum. Claſſem etiam quingentarum bellicarum nauium, non magno molimine ſuppeditabis; nec deſtitues interim ratibus maria, non flumina. Quinquaginta, & quod excurrit annorũ ciuilia bella tuliſti, potentiſſimorum omnium Regum ac Principum, & Europæ propè vniuerſæ opes, vires, ferrum; & certare tamen etiamnum cum florentiſſimis, & æterna pace fruentibus, regnis & imperijs potes. ita ſi quis quaquaverſum agrum intueatur tuum, nulla ſenſiſſe bella credet, nulla vidiſſe; ſed neque quidquam aut hominũ, aut opum deceſſiſſe; &, quod magis fors mirandum, nihil amœnitatum. atque hoc poſt tot domeſtica ſanguinum flumina, tot exercitus in Germaniam, Italiam, Galliam, Bohemiam, Hungariam fæcundo ſinu effuſos: vt, ſi numerum recenſeas, credas in Arabiæ alicuius ſoli-

solitudinem iuisse prouinciam; si incolarum, dum hæc scribo, multitudinem copiâ se opprimentium, putes integros regnorum accessisse populos, emissum neminem. ita mortibus tuorum fæcundior exsurgis, tanquam si sanguis semen tibi foret diuite culmo fœnerandum. De prouinciæ totius robore nihil dico; res loquitur, cùm singulas propè vrbes ita naturâ & arte munitas videamus, vt nescias natura artem, an ars naturam vicerit, æmulâ vbique in roborationem concertatione. Vincuntur sanè hîc regna omnia. neque diffiteri hoc quisquã sine verecundia audeat, sine rubore & mendacio possit. De fęcunditate quid dicam? potuisse vnam prouinciam, domestico quinquaginta annorum bello, tot exercitus Germanicos, Ibericos, Italicos, Gallicos, Anglicos alere nullâ depauperati agri, vrbium, pagorum denudatione; quæ posteritas credet? tot vulturibus escam tot annis corpus vnum præbuisse? & quæ credet, in vicina remotaque regna, in medijs bellorum ardoribus, deprædationibus, varium vbique commeatum profudisse? quis Hispaniam, Italiam, Oceaníque non postremas insulas, non semel integris classibus frumentatas? quis tot exercitibus equos, currus, arma, tot classibus ligna reliquaque suppeditasse? Iam, si non dixero biferas oues, sed quinque vno partu prolium ouem vnam matrem stare, non pro miraculo erit? si dixero, curiosâ subductione, vnam Hollandiam prouinciarum non maximam, tot lactea annis singulis implere mulctralia, quot Gallia tota vini dolia, quis non inclamet, Beatam vberum fæcunditatem? tantum lactei depluere roris prouinciam è septemdecim vnam, quantum Gallia vniuersa vini, pro portento esse potest. De piscibus hoc audeo. nulla maria orbe toto, nulla flumina tam piscosa. vincunt numero & delectu quidquid vbique piscium est. Quis deinde non obstupescat, Belgium vnum, orbem propè vniuersum diuitissima linea supellectile, superbisque ad omnium retrò sæculorum inuidiam aulæis, arte materiam pretiumque superante, diuitare? Et quod

regnum nobilissimarum in omni genere Belgicarum picturarum ignarum est: Orbem impleuimus, incertum doctiore penicillo, acu, calamo. vt satis iam vbique ad laudem sit, è Belgio munus venisse, à Belgica, virili, aut erudita muliebri manu & acu.

De mercimonijs taceo. nihil enim orbis totus, ne si mentiri quidem velit, simile ostendat. Vincuntur in illis regna omnia, inuehendi, euehendi, dispertiendi, marium, fluminum felici oportunitate, hominum industriâ, inueniendi facilitate, exequendi promptitudine. à quibus paucis retrò annis orbis non semel enauigatus. In alijs gentibus pro portento fuit, vnum sæculo vno repertum, qui auderet. nunc ludus apud Belgas est enauigatus orbis. nouos quærunt, enauigaturi, si concesserit nouos Deus; & nescio, an non cælum ipsum, si enauigari cælum posset.. tantum corporibus animorum, solertia tanta. Altiùs prouectus sum. dabit hoc veritati, dabit amori meo lector, dabit iusto ciuilium bellorum dolori: & æternam mecum, positis armis, vouebit pacem prouinciarum regnorumque adeò omnium nobilissimo. Redeo ad seditiones, & ad illarum remedia.

Seditionis remedia. I. Caussa tollenda. In Duce est? à se remedia petat. in locorum asperitate, inhospitalitate? mutanda belli sedes. in commeatus inopia: occurrendum inopiæ; & Dux prouidus cauebit, ne in hanc necessitatem compellatur. in stipendiorum maligna solutione? prouidendū ante omnia huic malo est: neque enim quidquam magis pronum seditioni concitandæ. nec opus ingenti hîc molimine, rationem tantùm cum ærario suo belli Dux ponat. exhausit? prædas ex hoste permittat; aut solutionis spe, magnis sponsionibus alat. imperanda etiam hostili agro, exsoluendis militaribus stipendijs, pecunia est.

II. Ducis etiam liberalitas, licet in re tenui, plurimùm auertendæ seditioni prodest; si videant, nec sibi illum, nec suis parcere, modicisque contentum viuere, & obuijs ac leui parabi-

rabilibus. benignitas etiam comitaſque, & vltronea militum, maximè inferiorum, compellatio.

Initijs deinde occurrendum. inualeſcit morâ malum; & medicam omnem artem ſuperat vbi inualuerit; vt decurrendum plerumque ad ferrum & ignes ſit, remediorum extrema. quæ ferè medicamenta in ipſam inſurgunt Rempubl. III.

Danda verò in primis opera ſub initium, ne coaleſcant. ſi coaluerint, enitendum vt copiæ diuidantur. cadent animis, ſi feceris. factum à Dionyſio feliciter. IV.

Officijs dein demerendi, ſi admittant monita, ſi Ducis aut alterius conſpectum, aut alicuius ſibi grati colloquia; quæ mollibus ſi ſint referta verbis, culpamque minuant, & in paucos delictum conijciant, amoriſque & beneuolentiæ plurimum oſtendant, doloriſque & commiſerationis multum, non leui ad meliora incitamento erunt. factum à Scipione, à Germanico, ab Ottone, ab alijs, felici ſucceſſu. V.

Spe etiam veniæ & impunitatis prouocandi. in quo conandum, vt, cùm delicti magnitudinem intellexerint, periculumque, in quod Remp. coniecerunt, impunitatem altiùs in animum demittant, fortiuſque beneficium agnoſcant. VI.

Fortiter ſe etiam Dux ipſe aliquando opponat. Factum à Pompeio, à Cæſare, à Germanico. ſed magno hîc opus robore, conſtantia, fiducia; vt inter minas & ferrum, & barbaras voces interritus perſiſtat. Nemo proſpero hoc ſucceſſu faciet, niſi magna illum auctoritas, gratia, aut ingens militaris ſcientiæ opinio tueatur. Addidit ad hæc reprehenſionem acerbitate & ſæuitiâ plenam, variâ etiam exprobratione refertam Magnus Alexander. parem mihi ſi conceſſeris, parem orationem ſuaſero. Roboris etiam plena fuit Pompeij, Cæſaris, Scipionis, Cerealis. Cauendum hîc tamen, ne ſe temerè in diſcrimen Dux conijciat. VII.

Seditionum auctores, ſi conueniri poſſunt, indemnitatis & præmiorum ſpe molliendi, & ad meliora ducendi. VIII.

Committendi inter ſe ſeditioſi, aut ſeditionum auctores; IX.

auroque & sponsionibus auro grauidis, in mutuum prouocandi ferrum, diffidentiam mutuam.

X. Magnis propositis præmijs excitandi, qui seditionum auctores ferro aut quacunque re aliâ sustulerint. armandi proinde promissis socij in socios; vrbesque vicique, quorum ferro seditio extincta, ingentibus donandi præmijs.

XI. Seditione compositâ, nulla militaris muneris prærogatiuâ seditionum auctores donandi, ne præmia eant in audaciæ exemplum: inuicemq; disiungendi, & per varias turmas dispertiendi seditiosi, ne leui caussa, præteritorum spe allecti, iungantur animis & armis, qui corporibus iunguntur. vt verò à seiunctis periculi minus, ita à coniunctis iustior metus est. mutuò se venena affricant, adeoque & venenant mutuò. ita à vicinitate improbitas crescit, rariorque probitatis coalitio est. fæcundiora nimirùm malorum semina sunt, bonorum faciliùs exarescunt: illa latè luxuriari videas, hæc recenter spargi.

54 *In bello Dux pacē amet.* Amet in bello pacem, & per arma Dux pacem quærat. Hoc volo, vt non ad internecionem partium pugnet, sed tanquam pacem amet, & per bella quærat. non Æthiopum more, quos nudis propè odiis, internecina committere prælia accepimus, tanquam malè pugnatum sit, si quis prælio nuntius superfit. Noster fugienti hosti viam sternet, & aperiet. nam ab vltima desperatione præda nulla, laus exigua speranda, sanguisque mutuò dandus, isque fortissimi cuiusque & manu promptissimi. à desperatione namque in furorem itur. furor vires & arma ministrat, ac tigrium more cæco impetu ruit in ferrum; nec quid patiatur, intuetur, sed quid faciat: tamque prompto hilarique animo sanguinem fundit, quàm hauriat. prodigus sanguinis & vitæ, alienæ & suæ, furor est. furori cede. Neq; carere veteres omni voluere hoste; cùm hostili metu ciues in officio contineri arbitrarentur. at, vbi formido illa mentibus decessit, lasciuia & superbia, quas secundæ res amant, animos incessunt. Et non robore

re suo, in nimis alta pace & diuturna, regnum destituitur? vbi enim vniuersim cessant arma, ad ignauiam itur, & pro robore mollities succedit. ita fit, vt, si qua necessitas ingruat, hostibus regnum pateat, alienum dominatum accepturum si arma senserit.

Prima tam in Duce, quàm in milite Dei cura. Nulla sine Numine pugna. ante signa Deus, & in ipsis. ante pugnam delictorum pœnitudo, ne mors improuidum occupet, ne in medio scelere succidat vitam, ne anteuertat dolorem, ne præscindat tempus, & soli seræ nimiùm, & non profuturę pœnitentiæ locum relinquat. Scio in pari corporis vulnerumq; ac mortis periculo, bonos ac improbos versari; sed vt ignaui & fortes, in pari licèt periculo, famâ tamen impari sunt, ita impari exitu boni & mali finiunt hanc vitam: aut, vt veriùs dicam, alia atque alia æternitate vitam hanc claudunt. Quid? quòd vna pietas omni ætate & gente, nobilissimos de impijs hostibus triumphos duxerit. Nimis orbi nota Mosis pietas, nimis Iosue, nimis veræ pietatis triumphi in Amalecitas & Amorrhæos. & Ierichuntina mœnia tubarũ sonitu sepulta, quid aliud loquuntur? quid Iordanis aquæ, quid scissa maria, quid penduli fluctus Israeli in salutẽ, Ægypto in interitum? nimis etiam in Dauide noti Moabitę, Ammonitæ, Syri, Philistæi; in Ezechia Sennacherib; in Gedeone Madian; in Machabæis Gorgias, Lysias, Timotheus, Nicanor, Apollonius. Et quis in Christianis ignorare potest Constantinum in Maxentio; Gallicanum in Licinio; Theodosium in Eugenio, & Maximo; Heraclium in Cosroë; Belisarium in Wandalis & Persis; Narsetem in Totila; Catacalum in Saracenis; Ladislaum & Boleslaum in Russis; Henricum in Hungaris; Ioannem Comnenum in Scythis; Wencestaum Bohemum in Radislao; Pelagium, Alfonsos, Ramirum, Ferdinandos in Mauris? Pietas his omnibus, & in Deum fiducia, non ferrum triumphos dedit. Et quid magnorum horum Ducum hostibus contulit ferrum pietate exarmatum? Animos certè

55 *Prima in Duce cura pietatis.*

certè vna illis pietas dedit, vna armauit, audere docuit, fidere, vincere. numero, robore, militari peritia, ferocia, prosperrimarum rerum felici successu, locorum oportunitate, commeatu, bellico apparatu, longè superiores hostes; vna pietate inferiores. Discat ab illis militiæ Dux, quanta sperare possit, quanta cælo debeat. & imitetur pietatem, qui pares ab hostibus victorias amat. sequentur paria vota, mores, preces effectus pares. Idem Deus est, qui dedit; eadem pietas sit, quę impetret: & spondere paria, & maiora etiam audeo. Quid? quòd spondeat ipse Deus, qui nec fallere, nec falli potest.

CAPVT XXV.

Quibus modis milites à Duce monendi, animandi, terrendi?

Magna vis in Ducis oratione.

MAGNA vis in Ducis oratione. quâ vnâ non rarò victoria, inclinatis omnino rebus, stetit, erecti militũ animi, à fuga retracti, vincere edocti qui victi erant. Qua in re veteres imitetur exercitus Ductores. multa apud Historicos fortia & præclara in hoc genere inueniet. fruatur inuentis. pauca hîc de variis dabo, è Curtio, Liuio, Tacito, Sallustio, primis scriptoribus. ne pudeat summos imperatores sequi.

Exemplo suo, vulneribus, sanguineq; suos animet.

Vulneribus suis, & profuso fortiter sanguine suos in pugnam accendit Alexander. *Non postulare se vt fortiter capessent prælium, nisi ipse cæteris fortitudinis fuisset exemplum, se ante prima signa dimicaturum pro se. quot cicatrices, totidem corporis decora scire ipsos, vnum pæne se prædæ communis exortem, in illis colendis ornandisque vsurpare victoriæ præmia. Hæc fortibus viris dicere.* Vetus dictum, *Benedicere & facere, magnorũ est.* vtrumque in magno hoc Rege. Et verò dignissima hęc magno Duce & Rege verba sunt, exemplo suos prouocare, cicatricibus & vulneribus præire, nulli fuso sanguine cedere. Sed neque vllum diadema cicatrice in Duce nobilius.

Alibi

Alibi exemplo suo impellit. *Ex quo hoc vulnus accepi, non equo vectus sum, non pedibus ingressus. sed, si me sequi vultis, valeo amici. satis virium est ad toleranda ista. aut, si adest vitæ meæ finis, in quo tandem opere meliùs extinguar?* Magni animi dictio magna. Quid potentius poterat in sequelam adferri? necdum à vulneribus sibi redditus, valet, si præeuntem sequitur miles. integit gloria vulnera, sistit decus sanguinem.

Præmijs suos ad grandia prouocat. *Nihil tam altè natura constituit, quò virtus non possit eniti. Excedite in cacumen. præmium erit ei, qui primùm occupauerit verticem, talenta decem: vno minus accipiet, qui proximum ei tenuit: eadémque ad decem homines seruabitur proportiô.* Prudenter. quid non possunt in milite præmia? non sentit ferrum auro armatum, adeoque mollis mors est auro succincta. ac in plebeio plurimùm milite, plus aurum quàm gloria potest. vilis enim huic vita est auro coronanda. **Præmiis prouocandum viles.**

Commemoratione verò fortium antè factorum suos animat. *Non ignoro, milites, multa, quæ terrere vos possent, ab incolis Indiæ per hos dies de industria esse iactata. sed non est improuisa vobis mentientium vanitas. nunquam ad liquidum fama perducitur. omnia, illâ tradente, maiora sunt vero. Olim hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulæ debellare potuissent Eadem vanitas, copias peditum equitúmque numerat. ac flumen, quo latiùs fusum est, hoc placidiùs stagnat; quippe angustis ripis coërcita, & in angustiorem alueum elisa, torrentes aquas inuehunt: contrà spatio aluei segnior cursus est. Serò sanè hostium legiones numerare cœpistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis: cùm per Hellespontum nauigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit. Nunc nos Scythæ sequuntur, Bactriana auxilia præstò sunt. nec tamen illi turbæ confido. vestras manus intueor, vestram virtutem, rerum, quas gesturus sum, vadem prædémque habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meos, nec hostium exercitus numerauero. vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Nolite, quod pigri agricolæ faciunt, maturos fructus per inertiam amittere è manibus. maiora sunt periculis præ-* **Fortiorum antè factorum commemoratione.**

 mia.

mia. itaque non tam ad gloriam vos duco, quàm ad prædam Alexandro dignissima oratio, fiduciæ in suos plena. terrorem minuit, hostilem abstergit metum, summa omnia militi suo tribuit, sibi nihil. fortia illorum facta animosque dum recenset, ad maiora vocat, prædamque ostentat periculis maiorem, certiorem.

Reprehensione in officio continendi.

Acri alibi reprehensione suos in officio continet. *Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. sed solus quoque ire perseuerabo. Obiicite me hominibus & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis. inueniam, qui desertum à vobis sequantur. Scythæ, Bactriani erunt mecum, hostes paullò antè, nunc milites nostri. Mori præstat, quàm precariò imperatorem esse. Ite reduces domos, ite deserto Rege ouantes. Ego hîc à vobis desperatæ victoriæ, aut honestæ morti locum inueniam; neminem teneo. Liberate oculos meos ingratissimi ciues, læti vos excipiant parentes liberique, sine vestro Rege redeuntes. obuiàm ibunt desertoribus transfugisque. triumphabo mehercule de fuga vestra, & vbicunque ero, expetam pœnas, hos, cum quibus me relinquitis, colendo, præferendóque vobis. Iam autem scietis, & quantum sine Rege valeat exercitus, & quid opis in me vno sit.* Valida hæc non oratio est, nouacula est pectoribus scindendis, securis est animis secandis. Quid non hæc tanti Regis verba possint apud militem orbis domitorem? nec poterat quidquam generosis animis durius accidere contemptu. hinc militares lacrymæ secutæ, pudor, metus, obsequia.

Animat etiam suos Darius, maiorum exemplo, spe posteritatis & victoriæ, suo denique exemplo. *Ite alacres, & spiritus pleni, vt, quam gloriam accepistis à maioribus, posteris relinquatis. In dextris vestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. effugit mortem, quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur. Nec recuso, quo minùs imitemini me, siue fortitudinis exemplum, siue ignauiæ fuero.* Ferè Ducis sui vestigiis insistit miles, fortibus fortis, ignauis ignauus.

A coniugũ & liberorũ affectu impellendi.

Scipio verò tenero suos affectu incendit. nihil coniuge, liberis, patriâ tenerius. *Vnusquisque se non corpus suum, sed coniugem*

iugem ac liberos paruos armis protegere putet. nec domesticas solùm agitet curas: sed identidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus Senatum populúmque Romanum. qualis nostra vis virtusq; fuerit, talem deinde fortunam illius vrbis ac Romani imperij fore. Magnum incitamentũ, cùm vniuersam pop. Romani fortunam, orbis imperium, in suorum robore & manu ponat.

Hannibalis autem ad suos à necessitate exhortatio fiduciâ plenissima. *Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris. Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audaciùs fortiusque pugnaturi, quanto maior spes, maiórque animus inferentis est vim, quàm arcentis. Nihil vsque nobis relictum est, nisi quod armis vindicauerimus. Illis timidis & ignauis licet esse, qui receptum habent: quos ager suus, quos sua terra per tuta & pacata itinera fugientes accipient. vobis necesse est fortibus viris esse, &, omnibus inter vitam mortémque certa desperatione abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in prælio potiùs quàm in fuga mortem oppetere. Hoc si benè fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam, Vicistis. Nullum incitamentum homini ad vincendũ à Diis immortalibus acrius datum est.* Verum est. nihil necessitate ac desperatione quadam rerum potentius, vt mitissima etiam ingenia exasperentur desperatione. arbitreris ceruis leones nasci. arma nimirum & vires desperatio suggerit: animos & audaciam necessitas subministrat. & mori etiam iucundum est, & inter beneficia numeratur, cùm fugere non liceat. Nobiles sanè victorias triumphosq; desperatio dedit. *A necessitate fiducia prouocanda.*

Breuiter & fortiter in re ardua & dubia, & desperationi proxima L. Martius. *Scio audax videri consilium: sed in rebus asperis & tenuibus fortissima quæque consilia tutissima sunt. quia si in occasionis momento, cuius præteruolat oportunitas, cunctatus paullùm fueris, nequidquam mox omissam queraris.* Reliquiæ prostrati exercitus erant. quid non potest oratio? impulit in arma, & victores hostiles exercitus, perexiguâ quæ fugæ & cædibus superfuerat manu, prostrauit. *Ab ipsa desperatione monendi.*

A grati animi significatione incitandi. Prudenter Scipio militum virtutem, gratamque patris patriæque memoriam recenset. *Vos modò milites fauete nomini Scipionum, soboli imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite veteres milites, nouum exercitum, nouumque Ducem traducite Iberum: traducite in terras, cum multis fortibus factis sæpè à vobis peragratas. breui faciam, vt, quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultúsque, & lineamenta corporis; ita ingenij, fidei, virtutisque exemplum ac effigiem vobis reddam, vt reuixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat.* Cum gratissimam illorum memoriam sciret esse, beneuolentiam sibi ab ea captandam iudicabat. fecit, impetrauit, animos addidit.

Fortiter & suauiter impellendi. Fortis eiusdem & suauis ad seditiosos oratio est. fortitudine terret, suauitate mollit, ne, si acerbiora imperaret, in contemptum obsequia verteret. *Nunquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi. non quòd verba vnquam potiùs, quàm res exercuerim; sed quòd propè à pueritia in castris habitus, assueuerim militaribus ingeniis. Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Ciues? qui à patria vestra desciuistis? An milites? qui imperium auspiciúmque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum ciuium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Inuitus ea tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta tractatáque, sanari non possunt. Horret animus referre quid crediderint homines, quid sperauerint, quid optauerint. auferat omnia irrita obliuio, si potest: si non, vtcumq; silentiũ tegat. Non negauerim, tristem atrocẽq; vobis visam orationem meam. quanto creditis facta vestra atrociora esse, quàm dicta mea? Sed ne ea quidem ipsa vltrà exprobrabuntur. Vtinam tam facilè vos obliuiscamini eorum, quàm ego obliuiscar. Itaque, quod ad vos vniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis superque pœnarum habeo. nefariæ seditionis auctores sanguine luent, quod admiserunt. Vobis supplicij illorum spectaculum non modò non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens rediit, debet esse. De nullis enim, quàm de vobis infe-*

infestiùs aut iniquiùs consuluerunt. Prudentis Ducis & medici exemplum hîc habes. miscet dulcia amaris, & paucorum supplicio, dum reliquos in officio continet, perpetrati criminis obliuionem spondet.

Grauiter & seuerè Fabius ab Africano bello Senatum ac Scipionem deterret. *Cætera (neque ea eleuo) nullo tamen modo Africano bello comparanda, vbi non portus, non ciuitas socia, non Rex amicus, non consistendi vsquam locus, non procedendi: quacunque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Numidisque credis? satis sit semel creditum. Non semper temeritas est felix: & fraus fidem in paruis sibi præstruit, vt, cùm operæpretium sit, cum mercede magna fallat. Quod istud consilium est, ibi malle decernere, vbi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multò maiores; quàm vbi duobus exercitibus aduersus vnum, tot prælijs, & tam diuturnâ & graui militiâ fessum, pugnandum sit?* Africani belli difficultates extollit in maius, Italici verò belli oportunitatem deprædicat, pericula extenuat; vt ab illo Senatum & Scipionem reuocet, ad hoc impellat. *Grauiter, & seuerè & à difficultate terrendi.*

Fabij orationem refellit Scipio; Africana bella suadet, Italica dissuadet. *Vltrò metum inferre hosti, &, ab se remoto periculo, alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus externisque exemplis admonere opus non est. maius præsentiúsue vllum exemplum esse quàm Hannibal potest? multum interest alienos populére fines, an vri tuos exscindique videas. plus enim animi est inferenti periculum, quā propulsanti. Hîc modò nihil moræ sit, vnà & traiecisse me audietis, & ardere bello Africam, & molientē hinc Hannibalem, & obsideri Carthaginē. Spem dant Syphax & Massinissa Reges, quorum ego fidei ita innitar, vt benè tutus à perfidia sim. Multa, quæ nunc ex interuallo non apparent, bellum aperiet. & id est viri, & Ducis, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu, flectere ad consilium.* Consultiùs tutiusque, minoréque dispendio in alieno & hostili, quàm in suo agro bella moueri docet; certiusque alienam, quàm suam prouinciam periclitari. nec quisquam prudens hostem, si potest, admittit. minus enim in alieno, quàm in suo peri- *Consultius in alieno agro, quàm in domestico bella geri.*

culum est. nocentissima bella sunt, quæ visceribus continentur. ita nocentius vulnus est, quod cordi propius est. plus namque è vicino, quàm è remoto mala premunt. & venena, quæ propinquiora, nocentiora sunt. innoxia ferè remota videmus.

Ignominia impellendi. Paucis & validè Romanos Germanicus monet. *Neque enim Dij sinant, vt Belgarum, quanquam offerentium, decus istud & claritudo sit, subuenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos.* Ignominiâ terret. nihil hac apud generosos potentius. turpe nimirùm & inglorium, à Belgis Romanos fide, obsequio, robore vinci.

Libertate proposita incitandi ad magna. Non impari fortitudine in pari breuitate suos erigit Arminius. *Si patriam, parentes, antiqua mallent, quàm dominos & colonias nouas, Arminium potiùs gloriæ ac libertatis, quàm Segestem flagitiosæ seruitutis Ducem sequerentur.* Nihil libertate in ingenuis pretiosius, nihil seruitute inassuetis grauius. illa excitat, hæc terret.

A rei facilitate animandi. Quæ hostis in subsidium sibi parauerat, obfutura docet Germanicus. *Non campos modò militi Romano ad prælium bonos, sed, si ratio adsit, siluas & saltus. nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborum, & enata humo virgulta, perindè haberi, quàm pila & gladios, & hærentia corpori tegmina. densarent ictus, ora mucronibus quærerent.* Modum præscribit, quo vinci pellique hostis possit. fecit idem Cæsar in Pharsalicis, & vicit.

Seruitute propositâ monendi. Quo verò breuiùs, eo validiùs Arminius. *Meminissent auaritiæ, crudelitatis, superbiæ. an aliud sibi reliquum, quàm tenere libertatem, aut mori ante seruitium?* Mortem docet seruitio præponendam, maximè inter auaros, crudeles, superbos.

Generosa accusati defensio innocentiæ suæ innitentis. Generosa accusati Cordi dictio. posteritatis gloriâ se solatur, magnorum exemplo. *Verba mea P.C. arguuntur, adeò factorum innocens sum. suum cuique decus posteritas rependet. nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modò Cassij & Bruti, sed & mei meminerint.* addit Tacitus: *Quo magis socordiam illorum irridere lubet,*

Iubet, qui præsenti potentiâ credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam. Nam contrà punitis ingenijs, gliscit auctoritas. neque aliud externi Reges, aut, qui eadem sæuitia vsi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere. Vera hæc esse loquuntur Historiæ ætatum omnium, gentium omnium; semperque quo plus sæuijt tyrannis, plus gloriæ transmisit. mors omnium est, gloria paucorum. hæc ferè sæuitiam comitatur. Et non gloriosius alienis æternùm calamis viuere, quàm ingloriam in paucas æstates vitam protrahere? & quid refert quamdiu vixeris, si moriendum est? Benè & fortiter mortuum esse, ea demum laus magna est.

Caractaci in Britannia verba sunt. *Illum diem, illam aciem testabatur aut recuperandæ libertatis, aut seruitutis æternæ initium fore.* Benè, si Ducis sui orationi respondisset miles; aut si tam fortiter pugnasset, quàm fortiter ille dixerat. Nec potentior stimulus esse potest, quàm recuperandæ semel perditæ libertatis spes ostentata. Prudentissimus libertatis æstimator post amissam est, vt valetudinis bonæ morbus & dolor. *Libertas & seruitute propositâ excitandi.*

Digna viro in muliere Britannica, & magno dignissima imperatore Boudiceæ verba. *Si copias armatorum, si caussas belli secum expenderent, vincendum illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum. viuerent viri, & seruirent.* Non potuit fortiùs suos accendere, non validiùs extimulare. Mulier mori audet, & seruitutem morti præferant viri? vilis animi seruitus est, & indigna viro. Non absimile habes apud Cimbros & Teutonas, cùm vxorum cohortationibus repelluntur in hostem. *Vincendũ, aut moriendum, nil potentius.*

Suos ex aduerso Suetonius animat. *Spernerent sonoras Barbarorum & inanes minas. in multis legionibus paucos esse, qui prælia profligarent; gloriæque illorum accessurum, quòd modicâ manu, vniuersi exercitus famam adipiscerentur.* Nimirùm non in numero, sed in robore & animo, victoriam stare. hanc autem ferè paucorum esse. quid? quòd non raro exitio suis multitudo fuerit? certiùs pauciores imperia sequuntur. *Robori, non numero fidendũ.*

Mili-

Militaris tumultus paucorum pœnâ auertendus.

Militarem tumultum Otho componit, duorum pœnâ, omnium pœnitudine. *Tumultus proximi initium, non cupidine, vel odio, nimia pietas vestra acriùs quàm consideratiùs excitauit. nam sæpè honestas rerum caussas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum. num omnes nuntios palàm audiri, omnia consilia cunctis præsentibus tractari, ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? tam nescire quædam milites, quàm scire oportet. itaque sic Ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, vt multa per centuriones tribunósque tantùm iuberi expediat. Si vbi iubeantur, quærere singula liceat; pereunte obsequio, etiam imperium intercidit. Parendo potiùs, commilitones, quàm imperia Ducum sciscitando res militares continentur. & fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. Cæteri abolete memoriam fœdissimæ noctis, nec illas aduersus Senatum voces vllus vnquam exercitus audiat.* Egregia hæc documenta. paucis aperienda Ducum consilia: omnium parere esse, imperare paucorum: militis obsequi esse, imperare Ducis. Modestia ante bella, & post illa, laudata. & ferè timidissimus ac ignauissimus, ante & post pugnam ferocissimus est; in ipsa trepidat. Vir fortis in sola pugna miles est. extra quam mansuescit, nec in deditìtium aut fugientem sæuit; sæuit ignauus. ille preces admittit, & ad miserorum victorumque vota mollescit & flectitur, memor conditionis humanæ; hic nullis flectitur precibus, efferaturque in supplices. fortis nimirum est, cùm præter vota nihil fortuna aduersario reliquit.

A rerum arduarum magnitudine inhortandi.

Plotius Firmus fuso exercitu Othoni animos addit. *Ne fortissimum exercitum, ne optimè meritos milites desereret. maiori animo tolerari aduersa, quàm relinqui. fortes & strenuos etiam contra fortunam insistere spei; timidos & ignauos ad deliberationem formidine properare.* Fortiter & Romanè. Non est viri aduersa fugere, contrà ire virorum est; magis etiam, stare intrepidum inter illa; generosissimum, prouocare & gaudere. exhilarescit nimirum, si dignam robore animoque suo materiam na-

ctus

ctus fuerit. non dabunt hanc secunda, aduersa dabunt.

Otho Imperator respondet, ciuilem sanguinem detestatur, mortem deligit. *Hunc animum, hanc virtutem vestram vltrà periculis obiicere, nimis grande vitæ meæ pretiũ puto. quanto plus spei ostenditis, si viuere placeret, tanto pulcrior mors erit. experti inuicem sumus, ego & fortuna. Nec tempus computaueritis. difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu vsurum. Ciuile bellum à Vitellio cœpit. Ne plusquam semel certemus, penes me exemplum erit. hinc Othonem posteritas æstimet. Plura de extremis loqui, pars ignauiæ est. præcipuum destinationis meæ documentum habete, quòd de nemine queror. nam incusare Deos vel homines, eius est, qui viuere velit.* Acutè. ita ferè, dum mors properat, accenduntur sopiti ingeniorum ignes. Videntur verba optimi Principis, qui vnus mori deligat, quàm multorum sanguinem fundi. ciuium suorum parcit, non parcit suo. Nescio tamen, an non hîc aliquid degeneris animi est, & de fortuna desperantis. *Deterrendi à ciuili sanguine.*

Deliberantis de imperio Vespasiani oratio est: *Imperium cupientibus nihil medium inter summa & præcipitia.* Deterrere inhortantes amicos, malorum magnitudine conatur. *Prudens deliberãtis oratio de imperio.*

Intrepidè Mucianus: *Satis clarus est apud timentem quisquis timetur.* est, vt dicit. Quisquis timet, minor est: & ab alterius timore claritudinem, qui timetur, mutuatur. *Intrepida exhortatio.*

Temperat Antonius militum ardorem. *Diuisa inter exercitum Ducesque munia. militibus cupidinem pugnandi conuenire: Duces prouidendo, consultando, cunctatione sæpiùs, quàm temeritate prodesse. Vt pro virili portione, armis ac manu victoriam iuuerit; ratione & consilio, propriis Ducis artibus, profuturum. Neque enim ambigua esse, quæ occurrunt, noctem, & ignotæ situm vrbis, intus hostes, & cuncta insidiis oportuna. non, si pateant portæ, nisi exploratò, nisi die intrandum.* Auidum hîc pugnæ militem vides: moderatur Antonius. Inde quæ militum, quæ Ducum partes sint docet. robora militum, consilia Ducum esse. horum prouidere, illorum exequi & obsequi esse. Frangit deinde suorum audaciam, & præfidentiam temperat. *Esse adhuc Vitellio vires, ambiguas,* *Temperãdus militum ardor.*

biguas, si deliberarent; acres, si desperassent: initia bellorum ciuilium fortunæ permittẽda, victoriam consiliis & ratione perfici. Hostium vires recenset, vt suorum insolentiam mitiget: addit, ciuilium bellorum initia fortuita esse, successus consilio regi. O nimis vera! Taceo te meum Belgium. numeraberis inter exempla.

Ab vltima rerum desperatione animus non rarò addendus.

Amicorum ad Vitellium verba sunt. *Desperatione in audaciam accingeretur nihil atrocius euenturum, quàm in quod sponte ruant. Moriendum victis, moriendum deditis; id solum referre, nouissimum spiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem.* Addunt animos ab vltima desperatione. Audendo sperari victoria potest, aut mors viro digna. cadendo neutrum. Et verò inter arma fortius militem cadere, quàm deditum iugulari. ibi virtutis plurimum esse potest & solet, hîc ignauiæ plurimum. preponet virtutem ignominiæ quisquis virum redolet.

Maiorum exemplo animi firmandi.

Maiorum exemplo Vocula milites firmat. *Adeò nos, si fortuna in præsens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt. Quoties Romanæ legiones perire præoptauerunt, ne loco pellerentur? socij sæpè nostri exscindi vrbes suas, seque cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt. neque aliud pretium exitus, quàm fides famáque.* Optanda antè mors viro forti, quàm fuga. & gratior illa. Magnum inter socias vrbes exemplum Saguntum dedit. perire maluit, quàm fidẽ frangere. Et quis Saguntum nosset nisi perijsset? tantum fides potest. æternùm in cinere suo viuet, omnium ore, omnium calamis. non viueret, si stetisset.

Extenuando dictionẽ, facta extollendo miles prouocandus.

Cerealis militari more arma ostentat; facundiam extenuat, vt fortiùs probet. suspecta enim ferè eloquentiæ opinio est: quæ vbi inualuit, militares animos indurat. *Neque ego vnquam facundiam exercui, at populi Romani virtutem armis affirmaui. sed quia apud vos verba plurimum valent, bonáque & mala, non sua natura, sed vocibus seditiosorum æstimantur; statui pauca differere, quæ profligando bello vtilius sit vobis audisse, quàm nobis dixisse. Cæterùm libertas, & speciosa nomina prætexuntur, ne-*

que

que quisquam alienum seruitium & dominationem sibi concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet. vitia erunt, donec homines. Proindè pacem & vrbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, colite. Moueant vos vtriusque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quàm obsequium cum securitate malitis. Nimis vera. quisquis enim alienam Rempubl. amauit, speciosa prætexuit nomina. nulli hæc vlla ætate Principi defuerunt: nulli tyranno. ingeniosa ambitio & cupiditas est, semper inuenit quo se tueatur. O meum Belgium! quousq; ludes in religionis nomine, tuorum & orbis sanguine? Sequuntur eiusdem Cerealis verba pauca, sed fortia; vt videas militem potiùs fuisse quàm oratorem, & factorum magis quàm verborum diuitem. *Ite, nuntiate Vespasiano relictum à vobis in acie Ducem. Venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur.* Addit Tacitus: *Cerealis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, iniecto corpore, promptus inter tela, felici temeritate, & fortissimi cuiusque accursu, recuperatum pontem lecta manu firmauit.* Fortiter omnino. & non facta dictis potiora sunt?

Non barbarè Galgacus Britannus suos inhortatur. *An eamdem Romanis in bello virtutem, quàm in pace lasciuiam adesse creditis? nostris illi dissessionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt. quem contractum ex diuersissimis gentibus, vt secundæ res tenent, ita aduersæ dissoluunt. nisi si Britannorum plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutiùs tamen hostes quàm seruos, fide & affectu teneri putatis. Metus & terror infirma vincula caritatis. quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt. nullæ Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt. clausos quodammodo ac vinctos Dij nobis tradiderunt. ituri in aciem, & maiores vestros & posteros cogitate.* Ita est. Metus & terror infirma vincula sunt. remoue, in odia vertuntur: odisse enim incipiunt, qui timere desinunt. adeoque è timore ferè odia nascuntur. fortia dein proritamenta vxores & parentes

A maiorū, & posteritatis memoria incitandi.

Qq 2 sunt:

sunt: quorum memoriâ non vnus exercitus stetit. Maiores denique & posteritatis memoria vires acuunt, animos addunt.

Hostes deprimere, suos extollere plurimum semper ad victoriam valuit.

Romanè omninò suos Agricola in pugnam inhortatur. *Neque me militum, neque vos Ducis pœnituit. Neque nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia; sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridẽ mihi decretum est, neque exercitus, neq; Ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vitâ potior; & incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Ii sunt cæterorum Britannorum fugacissimi, ideóque tam diu superstites. quomodò siluas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignauorum, & metuentium. Imponite quinquaginta annis magnum diem.* A persona sua, à militum, beneuolentiam captat. in ferro & manu, non in siluis & montibus, ignauorum receptaculis, robora ponenda. Verum etiam illud, honestam mortem turpi vitâ potiorem esse. semper hoc generosi militis fuit. Eleganter etiam illud, non inglorium fore in terrarum vltimis cecidisse. nimirùm vbi ferro omnia aperueris, omnia subieceris, in ipsis terrarum finibus cadere, cùm nihil victoriæ supersit, quia nihil terrarum. Deprimit deinde hostes. Et verissimum istud, fortissimum ferè cadere, ignauissimum victoriæ superesse. in primo proinde congressu pericula ac discrimina esse, & dubiam fortunam. ad reliqua planior via est. Nobili dein epiphonemate claudit. maximus dies victoriæ est, qua bellorum anni coronantur.

A libertate opibus, gloria, Ducis exemplo fortiter miles prouocatur

Generosè Catilina, generosiùs si pro patria. quanquam & contra ipsam generosè: *Nisi virtus atque fides vestra satis spectata mihi forent, nequidquam opportuna res recidisset. neque ego per ignauiam, incerta aut vana ingenia, pro certis captarem. Sed quia multis & magnis tempestatibus vos cognoui fortes, fidósque mihi; eò animus ausus est maximum atque pulcerrimum facinus inci-*

incipere. Cęterùm mihi in dies magis animus accenditur, cùm considero, quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmetipsos vindicauerimus in libertatem. Nonne emori per virtutem præstat, quàm vitam miseram atque inhonestam, vbi alienæ superbiæ ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Tantummodò incæpto opus est: cætera res ipsa expediet. Quin igitur expergiscimini? en illa, quam sæpè optastis, libertas: præterea diuitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Vel imperatore, vel milite me vtimini. neque animus, neque corpus aberit à vobis. Suorum fidem dum extollit, ad magna prouocat. infelicem illorum post fugam conditionem aperit. Fortem mortem, miseræ vitæ præfert. nemo generosior illam timuit, timuit contemptum. Nec durum forti sanguinem fundere, durum ludibrio esse. Præmiorum quoque spe suos excitat, libertate, diuitijs, gloriâ. nihil adduci poterat potentius. Suo denique exemplo suos roborat. animum, corpus, omnia spondet.

Sequitur pacata Cæsaris, sententiam rogati, oratio. *Omnes homines P.C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. haud facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt. neque quisquam omnium libidini simul & vsui paruit vbi intenderis ingenium, valet: si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi P.C. qui Reges, aut qui populi, irâ aut misericordiâ impulsi, malè consuluerint. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundiâ deliquêre, pauci sciunt: fama atque fortuna eorum pares sunt. qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouere ita in maxima fortuna minima licentia est. quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur.* Sapienter. affectum consilia seponunt, si integra esse debeant. perdis illa, si affectibus indulges. nemo sanè cæco ductore tutò inambulat. cæcus ductor affectus omnis est. & ferè mentitur affectus, & à via abducit, tanquam si quis capiti iniectâ togâ velet oculos viarum ductores, vt hîc parieti illidat, alibi immergat foueæ.

Affectus in deliberando seponendus.

Publicè in deliberationibus, non priuatim studendum.

Fortis ex aduerso Catonis sententia, magisque vtilis quàm speciosa: *Nolite existimare maiores nostros armis Remp. ex parua magnam fecisse. alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam. laudamus diuitias, sequimur inertiam. inter bonos & malos nullum discrimen est: omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, vbi vos separatim sibi quisque consilium capitis: vbi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ seruitis. eo fit, vt impetus fiat in vacuam Rempubl. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, benè consulendo prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ te atque ignauiæ tradideris, nequidquam Deos implores: irati infestique sunt.* Maiorum mores & imperia probat, damnat ætatis suæ. publicas opes, priuatam egestatem commendat. fuit hæc, cùm floreret Respublica. periit priuatis opibus, publica egestate. Discrimina à virtute, non ab opibus sumenda, si firmanda Resp. est. In commune deinde consilia ferenda, nec tam priuatim, quàm publicè studendum. Vigilando denique & agendo, prosperè omnia succedere, ignauiâ perire. votaque Deum fortium, non ignauorum audire.

A periculis, gloria & necessitate prouocandus miles.

Redeo ad Catilinam iam pugnæ accinctum. *Compertum habeo, milites, verba virtutem non addere. neque ex ignauo strenuum, neque fortem ex timido exercitum, imperatoris oratione fieri. Quanta cuiusque animo audacia, naturâ, aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere: timor animi auribus officit. Quapropter vos moneo, vti forti atque parato animo sitis: &, cùm prælium inibitis, memineritis vos diuitias, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt. Commeatus abundè, municipia atque coloniæ patebunt. si metu cesserimus, eadem illa aduersa fient: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Nemo nisi victor, pace bellum mutauit. nam in fuga salutem sperare, cùm arma, quibus corpus tegitur, ab hoste auer-*

uerteris; ea verò dementia est. semper in prælio ijs est maximum periculum, qui maximè timent. audacia pro muro habetur. Cùm vos considero, milites, & cùm facta vestra existimo, magna me spes victoriæ tenet. animus, ætas, virtus vestra me hortantur: præterea necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Quòd si virtuti vestræ fortuna inuiderit, cauete ne inulti animam amittatis: neu capti potiùs sicuti pecora trucidemini, quàm virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis. Veri Ducis oratio. & qualem optem, si pro patria, non in illam. Gloria & pericula quem non armant, nequidquam ferrum circumspiciet. & non libertas, diuitiæ, honos, patria, pro muro & scuto sunt? omnia tuta victoribus, intuta victis. nec quisquam teget, quem arma nudarunt. audacia pro muro & ense est. timor exuit armis, animus induit. addit ad ætatem, vt virtutem, necessitatem validissimum telum. monet denique, ne inulti pecorum more cadant; cadant virorum, hostili natantes sanguine, dum natant suo.

Bocchum Regem Metellus ad pacem hortatur, & Rom. populi amicitiam. *Omne bellum sumi facilè, cæterùm ægerrimè desinere. non in eiusdem potestate, initium eius & finem esse. incipere cuiuis, etiam ignauo, licere; non deponi, nisi cùm victores velint. Proinde sibi regnoque suo consuleret: neque florentes res suas, cum Iugurthæ perditis misceret.* Prudentis Ducis verba sunt, & vera nimis. Mouere bella etiam inualidi & ignauissimi possunt; deponere non possunt. initia in manu nostra sunt, finis ferè in hostili. stultum verò est florentes res suas, deperditis aliorum miscere. vnâ namque plerumque ruinâ insepeliuntur fatuus auxiliator, & alieni indigus. *Exhortatio ad pacem.*

Militaris oratio Marij est, docta & elegans, dum ferrum loquitur & sudores: *Scio, Quirites, plerosque non ijsdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt, gerere. primò, industrios, supplices, modicos esse: deinde per ignauiam & superbiam ætatem agere. aliis, si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum & affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt.* *Potens exhortatio, quâ à factorum suorum magnitudine suos Dux inhortatur.*

ſunt. Mihi ſpes omnes in memet ſitæ: quas neceſſe eſt virtute & innocentiâ tutari. nam alia infirma ſunt. ita verò ad hoc ætatis à pueritia fui, vt omnes labores & pericula cõſueta habeam. Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulauere. Mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere iam ex conſuetudine in naturam vertitur. Quæ illi audire & legere ſolent, eorum partem vidi, alia egomet geſſi. Quæ illi litteris, ea ego didici militãdo. Nunc vos exiſtimate, facta an dicta pluris ſint. Quòd ſi iure me deſpiciunt, faciant idem maioribus ſuis, quibus, vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Inuident honori meo: ergo inuideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi. Næ illi falſi ſunt, qui diuerſiſſimas res pariter expectant, ignauiæ voluptatem, & præmia virtutis. Maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neque bona, neque mala eorum, in occulto patitur. Nam me quidem, ex animi mei ſententia, nulla lædere oratio poteſt. quippe vera, neceſſe eſt benè prædicet: falſam vita moreſque mei ſuperant. Non ſunt compoſita verba mea. parui id facio. ipſa ſe virtus ſatis oſtendit. Illis artificio opus eſt, vt turpia facta oratione tegant. Cùm tute per molliciem agas, exercitum ſupplicio cogere, id eſt dominum, non imperatorem eſſe. Maiores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam ſui præclaram: virtutem non reliquere. neque poterant. ea ſola neque datur dono, neque accipitur. Egomet in agmine atque in prælio conſultor idem, & ſocius periculi vobiſcum adero: meque voſque in omnibus rebus iuxtà geram. Plura dicerem, Quirites, ſi timidis virtutem verba adderẽt: nam ſtrenuis abundè dictum puto. Facta dictis potiora eſſe, omnium, & ſuo exemplo docet. illa ſpondet: hæc aliis concedit. Solam dein nobilitatem veram factis metiendam, non maiorum virtutibus, quas nemo moriens dare poteſt. diuitiæ, imagines, memoria ſui, dari poſſunt, & heredibus legari; virtus non poteſt. in animo cuiuſque naſci hæc debet. à qua verè quiſque magnus & nobilis haberi & dici debet; non ab alieno.

Securitatem in robore, periculum in fuga eſſe.

Suos Sylla hoſtibus circumfuſos hortatur, vt animo, non numero ſe metiantur. *Sæpè antea paucis ſtrenuis aduerſus multitudinem*

tudinem benè pugnatũ: quantum sibi in eo prælio minùs pepercissent, tanto tutiores fore; nec quemquam decere, quem manus armauerit, ab inermibus pedibus auxilium petere, & in maximo metu nudum & cæcum corpus ad hostes vertere. Securitas in robore & audacia; periculum in fuga. non est viri cæcum corpus ad hostes vertere: arma armis pulsare, & pectus dextera armatum hostili ferro obijcere, viri & militis est. nec quisquam tutior, quàm qui ferrum ferro propellit: intutissimus est, qui à pedibus auxilium deposcit. ab armis mutuatur miles, eo minùs periclitaturus, quo fortiùs presserit hostem. Et non sola semper militis salus in animo, & ferro: in fuga dedecus & mors est; decus & vita in armis.

Ex his nemo non videat, quid in Duce oratio possit, quid ad animandos milites, terrendos, excitandos, componendos, recreandos, mouendos, timorem pellendum, spem erigendam, temeritatem reprimendam, ignauiam deponendam, seditionem sedandam, mœrorem detergendum, verecundiam prouocandam. Nil sanè tubæ & tympana, nil prædæ magnitudo, nil honorũ & opum expectatio, nil ignominiæ depulsio, triumphi gloria, ad Ducis orationem. qua vna prodigiosas in desperatissimis rebus victorias secutas, Tacitus, Cæsar, Liuius, Curtius, Sallustius meminerunt.

Illa vim omnium maximè oratio habet, cùm generosa verba generosioribus ausis Dux ipse condecorat. magni Catonis in Lucano exemplum est. **Nulla validiora incitamenta Ducis exemplo.**

O, quibus vna salus placuit mea castra secutis
Indomita ceruice mori, componite menteis
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.

Et præit ipse fortioribus factis:

—— Dum primus arenas
Ingrediar, primosque gradus in puluere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo. sitiat, quicunque bibentem

Viderit, aut umbras nemorum quicunque petentem,
Æstuet; aut equitem peditum præcedere turmas,
Deficiat, si quo fuerit discrimine notum
Dux an miles eam. serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.
Lætius est quoties magno sibi constat honestum.

Magni hæc Ducis magna verba sunt; videamus facta.

Vtque calor soluit, quem torserat aëra ventus
Incensusque dies, manant sudoribus artus,
Arent ora siti. conspecta est parua malignâ
Vnda procul venâ: quam vix è puluere miles
Corripiens, patulum galeæ confudit in orbem,
Porrexitque Duci. squalebant puluere fauces
Cunctorum: minimumque tenens Dux ipse liquoris
Inuidiosus erat, Mene, inquit, degener vnum
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Vsque adeò mollis, primisque caloribus impar
Sum visus? Quanto pœnâ tu dignior istâ,
Qui populo sitiente bibas? sic concitus irâ
Excussit galeam, suffecitque omnibus vnda.

Dignissimum magno Catone factum. persimile huic Magni Alexandri est, de quo illud Curtij: *Poculo pleno, sicut oblatum est, reddito: Nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum diuidere omnibus possum.* Et premebatur extremâ siti Rex. sed cùm eâdem premeretur exercitus, delegit cum omnibus pati, omnesque exemplo suo animare. addit: *At ille thoracem indutus, nec aut cibo refectus aut potu, quà veniebat exercitus, constitit, nec antè ad curandum corpus recessit, quàm præterierant qui Regem sequebantur.* Illud etiam magnum. cùm exercitus frigore propè concretus inerraret siluis, lassataque passim miles humi corpora prosterneret; *Rex vnus tanti mali patiens, circuire milites, contrahere dispersos, alleuare prostratos.* addit: *Fortè Macedo gregarius miles, seque & arma sustentans, tandem in castra peruenerat. Quo viso Rex, quanquam ipse tunc maximè admoto igne refoue-*

fouebat artus, ex sella sua exsiliuit, torpentémque militem, & vix compotem mentis, demptis armis, in sua sede iussit considere. Ille diu nec vbi requiesceret, nec à quo esset exceptus agnouit. tandem, recepto calore, vt regiam sedem Regémque vidit, territus surgit. Quem intuens Alexander, Ecquid intelligis, miles, inquit, quanto meliore sorte, quàm Persæ sub Rege viuatis. illos in sella Regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit. Non absimile habes à Suetonio in Cæsare. *C. Oppio comitanti se per siluestre iter, correptóque subita valetudine, & diuersorio, quod vnum erat, cessit, ac ipse humi ac sub dio cubuit.* Eadem propè habes in Dauide. de quo Scriptura: *Irruperunt tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Sitiebat Rex, sanguine suorum emptam aquam, ne reliquis mollior videretur, bibere noluit. 2.Reg.23

Animando proinde militi non tantùm oratio, sed & res, & industria Ducis valuere. Ita Tullus Hostilius perculsos suorum animos ob Metij secessum, dum iussu suo secessisse denuntiat, reparauit. & Scipio negata à Syphace auxilia cùm edixisset promissa, animos addidit. Barbarum in Sertorio, qui denuntiantem Herculei mortem occidit, ne cædis illius fama suos exanimaret. Hannibal verò, cùm in Italiam transmitteret, tria militum auxiliatorum millia iussu suo retrò abijsse, quæ iniussu abierant, affirmauit. Lucullus cùm Macedonicum equitatum propensiorem in hostem sensisset, ad arma vocauit, in officio tenuit. Scipio dum in Africam exscēdens cadit, omen vertit in bonum: *Benè*, ait, *est, oppressi Africam.* Factum idem à Cæsare. Non absimile T. Sempronij Gracchi; cùm in Picenos ducenti intremuisset terra, perculsos suorum animos excitauit: *Optimè*, inquit, *cùm hostilis terra timorem suum testetur.*

CAPVT XXVI.

Quæ ratio tenenda in legationibus constituto?

ARDVA res legatio est, multorumque calamis, nec infeliciter, nec negligenter pertractata. plus tamen hæc à rebus, quàm à docta manu, prudentiæ & eruditionis trahet. non negligenda interim mihi, ne quid intactum, néue inausum quid transisse videar. raptim tamen in hoc mari magno littora tangenda, & eminus prospectanda ostentasse satis erit. nam vt omnia & singula cymbâ hac legam, temerarius audiam. Vt verò propiùs rem aperiam, quę Legato committuntur, scripto ferè traduntur: eoque nunc arcano, nunc publico; plurimaq; non rarò verbo tantùm. Sic Romani Legatis imperauerunt verbo, vt Achæorum corpus dissoluerent, singulasque vrbes proprij iuris facerent. concisa hoc consilio Achæorum potentia, dum singulæ vrbes pro libertate sua depugnant, & pro beneficio habent nulli subesse, parere nemini. Antiochus etiam per Aristonem Legatum ad priuatos amicos Carthaginem misit, per quos popularium animos ad se traheret: Heraclidi etiam Legato imperauit, vt Scipionis animum magnificis promissis tentaret. Cùm verò occulta hæc mandata vsitatissima magnis Regibus sint, tum tyrannis non rarò frequentata. Discimus hoc à Tarquinio, & à Seuero Imp. in Albino. potentiam non tulit. virtuti inuidebat: sustulit; & se metu & inuidiâ liberauit. Eadem habes in Capitolino, & Herodiano. Illud nouum. cùm bella Princeps meditaretur, nec tutum illi in aperta arma erumpere, nisi æmuli Principis Duce sublato: sustulit per Legatum. per quem timere primò docuit, inde potentiam in inuidiam vocauit, litteras etiam Ducis manum mentientes, quæ proditionem aperirent, tradidit. inde vincula, & mors. quo sublato, ad aperta descendit arma, certus de victoria, hoste sublato.

to. A Romanis etiam in hoc genere peccatum, cùm per Legatum, inter Africanas latebras Hannibali insidias struunt, mortem parant. Et secreta hæc ferè imperia, proba illa an improba sint, verbis, non litteris committuntur, ne qua fortuna diuulget, quæ occulta esse decebat.

Quid? quòd mittentis interdum fidei res tota committatur. factum non semel in libertate Romana, sub Imperatoribus, maximè Orientis. ita Claudio Marcello Consule, *senatus decem viros è primoribus legit, & in Græciam misit, vt de communi sententia cum Tito res Græciæ componerent*, teste Polybio; cùm populus Q. Flaminij voluntatem secutus, pacificationem cum Philippo firmam & ratam esse iussisset. & Antiocho superato, *decem Legatos decreuerunt, quorum arbitrio permissa rerum particularium administratio*, audito Rege Eumene, & Rhodiorum Legatis. Magnam verò facultatem post bella & victorias concedi Legatis solere testis Cicero. *Neque enim licet aliter; neque permissum nobis ab hoc ordine, vt bellis confectis decem Legatis permitti solet, more maiorum.* confirmat suprà Polybius: *Senatus decem viros è primoribus legit, & in Græciam misit, vt de communi sententia res Græciæ componerent.* & alibi: *Patres decem Legatos decreuerunt, ac cum mandatis miserunt, vt bello finem imponerent, & Prusiam pro iniuriis bello illatis pœnas Attalo pendere cogerent.* Magna omninò horum potestas, & sacrosancta decreta, & ferè sine limitatione potestas. qualis etiam fuit illa, quam Phaneæ & Damocli Achæorum Legatis concessam legimus. illa etiam, quam quinque Legatis datam narrat Polybius, quibus commissum, vt Ptolemæum iuniorem Cypro restituerent, regno nimirum Regem. & illa, quam idem auctor à Carthaginensibus Legatis suis concessam refert; qui Romanorum arbitrio Carthaginensium omnia permiserunt, cùm viderent spem nullam superesse aliam. prudenter. nam & libertati redditi, & bonorum possessioni.

Legatio tota Legatorum aliquando fidei committitur.

Philip. 12.

Est verò legatio omnis temporaria, aut perpetua. illa mandatis expletis finitur; hæc rebus ferè, non personis perpetuatur.

Legatio duplex: temporaria vna, altera perpetua.

tur. ita Pontifici Regum adhærent Legati, Regibus Pontificij. Perpetuare verò in legatione, maximè celebri, Legatum non probo, ne ex Legato Princeps oriatur, cùm prouincialium sibi affectum varia arte parauerit. ita namque crescente potentia, & amore imperandi, crescit animus, & audere incipimus, quod breui legatione ne sperare, ac ne cogitare quidem ausi fuissemus. Quòd si familiariùs externo Principi Legatus assuescat, periculum ne cum cælo & consuetudine affectum transferat, patriæque ac Principis sui obliuiscatur, immemor præteritorum, præsentium amator.

Legatorū definitio. Legatos autem ab euentu variè definiunt. Alij muneris publici ministros, pacis ac belli curatores, auctores, administros, mutuorum consiliorum factorumque speculatores; alij aliis nominibus decorarunt. Quos varios fuisse reperio. Minores. hinc illud Menandri: *Sophia Imperatrix Legatum misit ad Cosroëm Persarum, inducias promittentē, quas tantisper fecit, dum ab Imperatrice maximus Legatus mitteretur.* Missus exinde Traianus Legatus maximus, cuius operâ triennales induciæ concessæ. Sed & post maximos, quorum ampla potestas, minores submitti solitos, testis Menander: *Tiberius Theodosium Legatum ad Regem Persarum mittit, quòd Traianum maximum Romanorum Legatum summo honore affecisset. ab antiquo enim in more apud vtrosque Principes positum est, post magnos Legatos mittere alios minores, quibus non is cultus, qui magnis Legatis exhibetur, præstatur.*

Legati dignitatibus augendi. Augeri etiam dignitatibus solitos Legatos, quò augustior legatio esset, Malchus tradit. ita Zeno Adamantium, quem Legatum mittebat, Consulari dignitate auxit; & Menandro teste, *Tiberius Zachariam regium medicum, Exconsulis dignitate decoratum, ad legationem obeundam misit.* Eundem postea Ioanni & Petro Consularibus, Persicæ legationi coniunxit, quibus, Menandro teste, *maximorum Legatorum potestatem dedit.* Similem potestatem Cosroës Mebodi, plenam nimirùm facultatem pacis conficiendæ, dedit. Romæ sanè in veteri

liber-

libertate non nisi Consulares missi. itum deinde ad minores labente libertate. Caduceatores etiam ante Legatos mitti solitos è Polybio habemus: *Caduceator Musæus ab Antiocho missus dixit velle Antiochum Legatos mittere de summa re acturos. postulabat commeatum dari venturis. Re impetrata reuertitur caduceator. paucis deinde diebus venêre Legati à Rege Antiocho.*

Variè verò Legatos reperio solitos designari. Sorte; suffragiis. iisque nunc occultis, nunc apertis. De primo genere elegans apud Tacitum, inter Priscum & Marcellum concertatio. Eleganter, & verè Priscus: *Sorte, & vrna mores non discerni. suffragia & existimationem senatus reperta, vt in cuiusque vitam famamque penetraret.* Marcellus contrà niti: *Secundùm vetera exempla, quæ sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimicitiæ locus esset.* & auctore Tacito, *vicit pars, quæ sortiri Legatos malebat, etiam mediis Patrum annitentibus retinere morem. & splendidissimus quisque eòdem inclinabat, metu inuidiæ si ipsi eligerentur.* Confirmat hunc morem Dio: *Legatos his de rebus, alios quidem sorte, Claudium verò suffragiis electum miserunt.* & Cicero: *Senatus decreuit, vt Consules Gallias sortirentur, delectus haberetur, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates. atque hoc loco non queo præterire, quòd, cùm de Consularibus mea prima sors exisset, vna voce senatus frequens retinendum me in vrbe censuit. hoc idem post me Pompeio accidit: vt nos duo quasi pignora Reipubl. retineri videremur.* Mihi suffragia placent, aut Principis delectus. Quis enim militiæ Ducem prudens sortiatur? quis Senatorem, Consulem, Prætorem? quis athletam, cursorem, oratorem, & caussæ suæ patronum? Sors sanè probos improbosque, doctosque iuxtà ac indoctos, prudentes ac fatuos, prouidos & temerarios, peritos ac imperitos, fortes ac imbecilles muneribus ac honoribus dignatur. electio ex virtute munera partitur. Scio hanc errare posse. at sors fortuitò tantùm bona est; electio fortuitò mala. ac, vbi electionis error vnus est, sortis mille sunt.

Vario modo Legati designari soliti.

Hist. li. 4.

Lib. 59.

Variæ deinde mittendorum caussæ sunt. David Ammonita-

Variæ mittendi Legatos caussæ.

Profolatio in morte carorum. nitarum Regem per Legatos in patris morte solatur. faciunt idem Athenienses in Cleopatra Philippi filia, mortuo Alexandro Molossorum Rege. Cosroes Isdigunnam ad Iustinianum misit, per quem de Imperatoris valetudine certior fieret, donis etiam eumdem conciliaret. & cùm ingentia tulisset, retulit maiora.

Ad accipienda consilia. Ad accipienda etiam consilia missi Legati.

Ad diuertendum hostem. Ad diuertendum etiam hostem, bellaque auertenda. ita Anatolius & Nomius Theodosij Legati, barbaros efferatosque Attali animos munerum magnitudine pacarunt.

Ad hostilia arma mutuò prouocanda. Ad hostilia deinde arma mutuò prouocāda. ita Zeno Imperator Theudericum in Balamerum excitat, vt, cùm Gothico ferro Gothi cecidissent, spectator ipse hostilis sanguinis sederet, sat virium in vnum habiturus, qui in vtrosque non haberet. Eadem ratione vsus in Abaros. Subdit Menander: *Sic enim prudenter sentiebat, siue Abari vincerent, siue vincerentur; in vtramque partem, vt res cecidisset, ea quæ euenirent, suo commodo cessura.* Atque hinc gentis illius Legatis, Menandro teste, *catenas dedit auro variegatas, lectos, sericas vestes, & alia quàm plurima, quibus leniret & demulceret animos superbia & insolentia plenos.* Eadem video in Tiberio Orientis Imperatore, qui auro Longobardos conatus est in mutuum prouocare ferrum, Francos etiam & Longobardos. nec falsus est spe suâ, cùm Longobardorum plerique munerum magnitudine allecti ad Romanos transierunt. Eadem etiam in Mauricio Imperatorij exercitus ductore, cùm Biganum Persarum Ducem ingentibus pollicitationibus ad partes suas traducere conatur. Feliciter etiam Theodosius Acatziros Scythicam gentem contra Attalum ad se traduxit. & Iustinus per Zemarchum Legatum Disabulum Turcarum Ducem in Persas impulit. & Iustinianus Galdiahum Ontigororum Ducem in Zobellum; Hunnos nimirùm in Hunnos impellens, quò illorum potentiam frangeret, suam firmaret. Tiberius etiam Baianum Abarorū Ducem in Sclauinos Græciam

etiam deuastantes per Ioannem Legatum suum impulit, barbaros in barbarum, vt, dum ferocissimarum gentium vires mutuo ferro exscinderet, Imperium metu liberaret.

Ad armorum etiam inducias Legati missi. Sic anni vnius inducię Papirio Dictatore Samnitibus datæ. impetrauit etiam illas per Zachariam à Persarum Rege Cosroe Sophia Imperatrix. Menandri verba sunt: *Imperatrix Sophia Iustini, Legatum misit ad Cosroem Persarum Regem ex medicis Imperatoris. is vbi ad Persas accessit, quadraginta quinque aureorum millia dedit, & inducias annuas per Orientem fecit, tantisper dum ab Imperatrice maximus Legatus mitteretur.* Missus deinde Traianus, qui eas in triennium extendit. Ardeatibus autem in quindecim annos inducias concessas, auctor Dionysius est. in quinquagesimum etiam annum prorogatas sub Iustiniano Petro Legato Menander tradit. Et sub eodē Imperatore inducias cum Persa sancitas, quæ paci præluderent, eodem auctore reperio. Quid? quòd Blemmijs & Nabadibus centum annorum inducias à Maximino concessas Priscus Rhetor narret. *Ad armorum inducias.*

Bella verò per Legatos denuntiari solita, omnium gentium vernaculis Historijs docemur. Est in hoc genere illustre illud Fabij ad Carthaginenses: *In hoc ego sinu bellum offero & pacem. Vtrum eligitis, vtrum placet sumite. Cùmque succlamatum esset, vtrum vellet daret; Bellum igitur, inquit, accipite. & excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi pleno sinu bellum ferret, effudit.* *Ad denuntianda bella.* Flor. lib. 2. c. 6.

Pacem etiam per Legatos componi constat. Ita Antiocho per Legatos supplici, pacem atque partem regni pop. Rom. dedit, eo lubentiùs, quòd tam facilè cessisset. Et Philippo Macedoni bis victo, bis fugato, bis castris exuto, & ad tumulos Cynocephalos oppresso, pacem per Legatos petenti, Consul dedit, regnumque concessit. Pompeius quoque, per Legatos primò, inde per se supplicem Tigranem, regnare iussit, pacem victo fugatoque largitus. Decebalus Dacorum Rex à Traiano, Quadi à Marco, Wandali ab Aure- *Ad pacem componendam.*

liano, Narseus Persa à Galerio per Legatos pace
& impetrasse Petrus Patricius narrat. Ipsos etiam
Reges per se supplices leginius; Iugurtham ad Ca
otarum ad Ciceronem, Herodem ad Cæsarem,
ad Corbulonem, aliosq; ad alios venisse. Sed & ve
Omnia experiri prius quàm armis sapientem decet.
Menelaus ab Agamemnone Troiam missi, Fabi
ginem, Popilius ad Antiochum, ad Achæos A
nior, Flaminius in Liguriam; ad Prusiam, ad Pers
lippum, ad Syphacem, ad Tigranem, ad Bocchum
cum, in Græciam, in Asiam, Cyprum, Tarentum
scos, Fidenates, Sabinos, Faliscos, varij missi, alij a
per Legatos tentare ferè pacem Romanum fuit,
inde ad bella, tanquam iusta, prosilirent. Rom
Imperatores veteris Romæ morem secuti, paci
Legatos miserunt. Aurelius, Theodosius, Marci
Zeno, Iustinianus, Iustinus, Tiberius, Mauricius,
ad Attilam, Gensericũ, Parthos, Persas, Wandalos
Longobardos, Turcas, Abaros, Sclauinos, Hunni
ces, Alanos, Medos, Saracenos, Bulgaros, alio
Africæ, Europæ populos. quasi nefas esset ad arma
re, nisi aut vltrò antè impeterentur, aut Legatos
nam, licèt gloriosum sit mori pro patria, pro Rege,
tamen quoddam genus est, nolle pace frui, nisi p
nem & cædes, perque viduatas habitatoribus p
per incendia, & stantium ciuitatum ruinas. Et q
mus quisque per ferrum quærit, si non pacem? n
eò barbarus est, vt in sanguinem eat propter ipsu
ergo si sine ferro consequi possumus, cur in cæde
armamus intentatâ prius pace? Aut honestius
est per vulnera & mortes optata pace frui, quàm in
pore viribusque? Nunquam sapiens ferro vindic
sine illo potuit. Extremum remediorum ferrum
medicorum ad hoc decurrit, nisi reliquis mitioribus

in ſalutem. ita non niſi in deſperatis morbis, qui mali magnitudine clementiora remedia reſpuunt, itur ad ferrum. Imitatur medicos Princeps. vltimum ipſi remediorum, ferrum eſt. & potior illi ſemper cum Scipione & Fabio cura integritatis ſuorum, quàm hoſtilis ſanguinis. vnus nimirum ciuis carior bono Principi, mille hoſtibus eſſe debet.

Pacis verò fœdera vario, pro gentium varietate, ritu celebrata. per fæciales Romani, Albani, Carthaginenſes: Siculi ferè per tibicinem. ſunt qui porco, ariete, tauro immolatis fœdera inire ſoliti: agno verò candido alij, alij pullo: alij datis mutuò lanceis: mutuo Medi & Lydij ſanguine guſtato: mero, ſanguine mutuo permiſto, Scythæ; imitatus Catilina: inter frequentes epulas poculaque vxoribus liberiſque præſentibus Perſæ, Germani, Thraces, Ægyptij: pane gladio diuiſo libatoque Macedones: Ætoli & Parthi ante altaria, tanquam Dijs teſtibus, libatis primùm ſacris.

Ad controuerſias autem inter Reges populoſque natas componendas Legati miſſi. Decem à Romanis ad res Aſiæ Antiocho victo componendas delecti. in Africam Africanus, Cethegus, Rufus, ad Maſſaniſam & Carthaginenſes conciliandos deſtinati. *Ad controuerſias componendas.*

Ad gratulandum de imperio Legati mitti ſoliti. Gratulatus Hiram Rex Tyri Salomoni de regno: Zenoni reſtitutum Imperium per nuntios gratulatum eſſe nepotem, auctor eſt Malchus. *Ad gratulandum.*

Ad beneuolentiam etiam animumque beneficijs parem teſtandum, adeoque & ad gratulandum miſſi Legati. Ita ex vniuerſa Græcia ad laudandum L. Flaccum omnium conſenſu delecti. Poſt euerſum Perſeum vndique Legati miſſi gratulabundi ob rem feliciter geſtam. comiter excepti omnes. Carthaginenſes etiam poſt victoriam de Samnitibus relatam gratulabūdos Romam Legatos miſerunt: addiderunt donum, auream coronam. Hernici denique Legati de concordia patrum & plebis gratulationem coronâ decorarunt. *Beneuolentiæ cauſſa.*

Ad auxilia poscenda. Ad auxilia poscenda, danda accipiendaque consilia, subsidiaque æraria, ad accusandum, deprecandum, profugosque deposcendos legati mitti consueuerunt. Factum postremũ à Cosroe Persarum, & à Chagano Abarorum Duce. Ad res etiam reposcendas, captiuosque. Ita ab Abaris Legatus missus qui rapta ablataque repeteret, redditaque Iustini Imperatoris iussu sunt. Ad res repetendas missi Roma Legati ad Persen Philippi Macedonis filium. Heraclium denique exercitus sui Ducem Zeno à Gothis reddi imperauit.

Ad amicitiam renouandam. Ad renouandam amicitiam, actionemque gratiarum Legati missi. Ita Ptolemæus Ægyptius Numenium mittit, gratias pro beneficijs acturum. Ariarathes verò Cappadociæ Rex Legatos Romam destinat ad societatem amicitiamque renouandam, quæ illi cum populo Romano intercedebat. laudataque omnium ore legatio. Factum idem à Ionatha Iudæorum Principe, cùm ante illum Iudas Eupolemum & Iasonem misisset, ad amicitiam & societatem cum Romanis statuendam.

Ad hostiles conatus perquirendos. Ad hostiles etiam conatus perquirendos. Ita C. Sulpicium & Sergium missos, vt de Antiochi & Eumenis consilijs inquirerent, núm quæ bello necessaria pararent, armaque & commeatum expedirent, Polybius auctor est. Tiberium etiam Gracchum, Liuium, Lentulum, & Glauciam, vt Demetrij molitiones obseruarent.

Ad cõmeatum & liberum transitum petendum. Ad commeatum, & liberum exercitui transitum petendum legationes habitæ. Romanos à Ptolemæo Ægypti Rege frumentarium subsidium petiuisse, Polybius narrat. à Sehon Amorrhæorum Rege transitum Israel frustra per Legatos petijt: ferro inuenit.

Ad munera deuehenda. In muneribus deuehendis Legatorum vsus fuit. Plurimas apud Nicæam Bithyniæ ad Valentinianum legationes missas, quæ aureas coronas deferebant, Petrus Patricius scribit. Simonem etiam Iudæorum Ducem auream Demetrio Regi coronam misisse Machabæorum libri tradunt. addunt: *Mi-*

sit

sit Numenium Romam habentem clypeum aureum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem.

Ad locupletandos aliquando Legatos, Legati missi. audiamus Priscum Rhetorem. *Attalus Legatos ad Romanos Orientales mittit, qui transfugas repeterent. ac illos Romani perquam humaniter exceperunt, & plurimis donis ornatos dimiserunt.* Alios exinde misit tertiò ac quartò. *nouas subinde caussas fingebat, & varias occasiones Legatorum mittendorum excogitabat, & ad suos necessarios, quos liberaliter complecti volebat, eas legationes deferebat.* ***Ad locupletandos Legatos Regum amicos.***

Missi denique in remotas legationes, in pœnam magis quàm in præmium. Accidit viris magnis. quorum aut potentiam Respublica non ferebat, aut æmuli: abesse proinde placuit, ne metus à propinquo exsurgeret. ita Scipio Nasica in Asiam missus, Lentulus in Siciliam, Cato in Cyprum, Otto Siluius in Lusitaniam, Germanicus à Tiberio in Orientem: Aristides, & Cimon etiam exulare iussi. ***In pœnam Legati missi.***

De numero verò Legatorum nihil certi affirmem. Video Romanos, quoties Reges appellandi, vnum ferè Legatum misisse; ad Massanissam, ad Ptolemæum vnum. Ad repetendas res sæpè fæciales quatuor, bellumque indicendum. factum Fidenaribus. quanquam certi nihil nec moribus receptum, nec legibus cautum. Nunc multi, exinde pauci, vnus pluresúe pro rerum varietate, & ad quos mittuntur dignitate, Legati designati. tres in Auentinum, tres ad Gallos, duo Saguntum ad Hannibalem, quinque Carthaginem, decem Antiocho deuicto in Græciam, tres ad res sub Philippo cognoscendas, viginti ad Maximum occiso Maximino, Senatores omnes; cæso verò Iuliano centum ad Seuerum. Paria his isti omni gente reperies. Ætoli Romam Legatos mittunt quinque, Achæi tres, Antiochus tres, tres Rhodij, Ptolemæus duos, decem Saguntini gratulatum Senatui, Carthaginenses victi decem, inde triginta omnes miserandâ specie. Artaxerxes Persarum ad Alexandrum Romanum quadrin- ***Varius Legatorũ numerus.***

gentos, omnes corporum proceritate & ornatu insignes; vt meritò dubitauerint spectatores, corpora ornatum vestibus, an vestes corporibus darent. ita mutuò in his forma & vestis lenocinabantur, mutuoque splendore decus addebant & admirationem. Isdigunnas Cosrois ad Iustinianum Legatus quingentos secum comites traxit. Ad Magnum Alexandrum, nunc vnum, nunc triginta, nunc quadraginta missos reperio. Hungari ad Fredericum III. Legatos tres, quibus comites in terrorem & fastum, addiderũt equitum tria millia; sat multos ad exercitum, non tantùm ad legationem.

Belli Ducibus Legati olim adiuncti.

Belli etiam Ducibus, Consulibus, Proconsulibus Legati olim adiuncti, periculorum & consiliorum socij. C. Cæsari decem Senatus attribuit, Pompeio piratico bello quinque & viginti, Q. Fuluio Consuli tres; aliis alios, pauciores, plures.

Vnus legationi præficiendus, licet plures mittantur.

Et quamuis vniuersim sæpiùs plures reperiam Legatos missos, ne vnius prudentiæ vniuersa Reip. fortuna incumberet, periculo maximo; vnum tamen putarem legationis principem statuendum, ne, si ex æquo munere illo fungantur, mutuis dissidiis Remp. perdant. Euenit Achæis, cùm Romanæ legationis principes Diaphanem & Lycortam pari auctoritate fecissent. Euenit idem in pari imperio Romanis; cùm enim Q. Cæpio, & C. Manlius priuatis dissentirent odijs, exercitum prouinciamque inter se partiti, cæsi à Cimbris, binis exuti castris sunt. ingens omninò clades, vt sanguine natare Romano Cimbri possent, octoginta militum millibus, lixarumque ac calonum quadraginta millibus cæsis. neque tamen illi tam Cimbrorum armis, quàm mutuis odiis perierunt. nemo iunctos vicisset. odium disiunxit: victi sunt, & secum Rempubl. in extremum discrimen traxerunt. Non quòd Legati illi, sed Consules. verùm è priuatis Consulum odijs, Legatorum odia, damnaque ex his nascitura, pensari possunt. Quòd si quæ ante legationem dissensio, M. Æmilij Lepidi, & Fuluij Flacci Censorum exemplo, ponatur; cùm indignum arbitrarentur priuatis odiis dissentire, qui publicè summa

ſumma iuncti poteſtate forenti Liuij etiam Salinatoris & Neronis; Africani & Ti. Gracchi; Pompeij, Craſſi & Bibuli; Ciceronis, Gabinij & Vatinij; P. Pulcri & Lentuli; Caninij & C. Antonij; Ariſtidis & Themiſtoclis. Quamquam de numero hoc dixero, vnum ferè ſæculo noſtro mitti mos eſt, & in ſtatarijs ac longi temporis vnum tantùm. in reliquis comites aliquando adiunguntur legationis principi, ſiue legationes illæ ſacræ, ſiue profanæ fuerint, belli, pacis, auxiliorum, explorandarum rerum, conſiliorumque, gratulationumque cuiuſcunque generis. Quòd ſi plures mittantur, nefas ſit ſocijs inconſultis aliquid aggredi, aut litteras ad eum dare à quo miſſi erant, re cum ſocijs non communicatâ; niſi aliud regni ſalus exigat, & periculũ regno à ſocijs ſit.

Tranſeo ad Legatorum virtutes. in quibus, paucis multa complectar. Ac Primò fidem in Legato requiro, antè notam domino, non in legatione noſcendam. neque in re tanta, à qua regna dependent & prouinciæ, prima fidei rudimenta ponenda. Quis tironi, & bellorum inexperto exercitũ, quis Oceani fluctuumq; ignaro nauem, quis valetudinem curationum neſcio, quis in quacunque arte, artis imperito, ſe ſuaque prudens commiſit? Peritiſſimos ſapiens deligit, quibus res ſuas credat. neque prima experimenta ſumit à maximis; ſumit à paruis, in quibus peccaſſe non magnum. quæ reparari delicta poſſunt, rudibus credi poſſunt: non-reparanda non niſi experientiſſimis, & quos antè per læuigata & aſpera, per mollia & dura, per trita & lubrica, per plana & pendula & minitabunda præcipitia fortuna virtuſque ſua deduxit. Quem ergo Princeps ad magna deſtinat, minoribus antè functionibus exerceat, vt fidere in magnis poſſit. cuius enim antè non ſemel fidem in minoribus ſtetiſſe ſenſerit infractam, inconcuſſam ſperare in maioribus eandem poterit. ferè enim fidem in magnis ſeruabit, qui in paruis tenuit. Domino in his ác Reip. ſtuduit, non ſibi; res ſuas illius poſtpoſuit, ac vbi certamen natum, fortunas præpoſuit domini;

I. *Prima Legati virtus fides.*

nec

nec præmiorum ſpe, aut priuatæ vtilitatis commodiſque, à debita domino fide deflexit;ſtabit in magnis,eo certiùs,quo rei magnitudo plus periculorum ac dedecoris ſecum trahit. Vt verò fidem ſuorum Princeps augeat, fiduciam oſtendat: vna enim aliam fiduciam protrudit, vt diffidentia vna procudit aliam. ac licèt non extra omnem metum Princeps ſit, plus tamen fiduciæ oſtendet: cuius ſolius oſtentatio fidos non ſemel ex infidis dedit. Inuigilandum tamē hîc Principi, & primò præſcribenda omnia etiam minora: inde fide ſuorum exploratâ, maiora paullatim committenda. ſic enim minorum ſucceſſu diſcet,quantum in maximis credere poſſit & debeat.

II. *Prudentia Legati.* Atque hinc etiam in prudentiæ ac induſtriæ ſuorum cognitionem veniet Princeps. Quam nunquam conſequetur, quamdiu ex præſcripto, tanquam è prætoria tabella, commiſſas ſibi res, puerorum aut præconis more, recitabūt. prudentiam,concreditæ res Legatorum libertati,oſtendūt. in minoribus tamen, vti & fides, hæc pertentanda. in quibus qui documenta dedit certa, ſperari poteſt in maioribus daturus. Quid? quòd tunc demum conatum omnem depromunt,dum prudentiæ ſuæ plurima relinqui vident. prudentiæ enim nomen ambiunt omnes:opinionem conſequuntur aliqui,rem perpauci. Quales ferè eſſe debent,quibus liberis mandatis magna, aut ſumma rei committitur. quod plerumque in remotioribus legationibus fieri ſolet, in ſubitis, in incogitatis,in magnis, à quibus non rarò regnorum ſalus pendet. Factum à Tiberio, cùm Druſum ad componendas legiones mitteret;ab aliis non rarò.

III. *Rerum experientia Legato neceſſaria.* Hos rarò in prima adoleſcentia reperias: quare ad hæc ſimiliaque ſenes magis deligendi,quos longa rerum experientia, fortuitiq; ac deſtinati caſus docuerunt. certiùs enim experientia, quàm multa lectio aut ratio docet:propoſitumq; ſibi finem certiùs tenent, quos ſine ratione frequens experientia,quàm quos ſine illa ratio ducit. vt verum ſit illud Sapien-

pientis: *Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus & consilium! corona senum, multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* & alibi: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Hinc imperio senes aptiores, laboribus iuuenes. in his robur, prudentia in illis est; & cùm audacia iuuenum sit, constantia senum est. acumina lubens largior adolescentiæ, iudicij maturitatem senibus. Nec tamen iuuenes omnes excludi à legationibus velim, quemadmodum nec à ducendo exercitu. Nemo ignorare Africanum potest. ætas illi quanta in Hispania? quanta in Africa? quanta Magno Alexandro? quanta Pompeio eunti in Mithridatem & Tigranem? Verùm è millibus vnum fors Africanum dabis. hunc talem & bellis & legationibus præficio: quem non anni, sed iudicij altitudo senibus pariauit. quare iudicio magis, quàm ætate senem volo. quanquam sæculum vnum, vix vnum alterumúe iuuenem-senem dabit. vbi dederit, & bellis & legationibus præfice. Eccli. 25. Iob 12.

Commissorum sibi arctissimum custodem Legatum volo. leuissimi enim animi est celare consilia non posse. & quid illi committi tutò potest, cui tacere graue est, quod facillimum natura esse voluit? Audi Sapientem: *Ei, qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Hæc in priuatis, ac familiari consuetudine; quid diceret in publicis legationibus, à quibus non vnius salus, sed omnium pendet? quàm fortiter deterreret, ne talibus publica salus committeretur? Audi eumdem monentem: *Attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorū insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Credas Legato dictum, cuius linguæ lapsus in interitum, ipsi & regno est. Sanè cùm legationis salus ferè à silendis pendeat, & à secretorum firma custodia, prima propè virtus Legati est, premere silenda posse. quid sperari potest, adeoque quid non timeri ab eo, qui virum linguâ exuit, mulierem induit? cumq; à consiliorum præmeditatarumq; rerum cognitione euentus plerum- IV. *Secretorū arctißimus custos.* Prou. 20. Eccli. 28.

Tt quę

quæ rerum pendeant, quò occurri, præcaueri, euerti consilia possint, nemo non videt, quantum in silentio momentum sit. ferè enim hostilia sciuisse consilia, vicisse est. vt plus longè roboris in hac scientia, quàm in armis statuam. Quo fit, vt prudentissimi Regum nullis, in hostilis consilij exploratione, sumptibus pepercerint. neque, si quid iudico, in re alia vtiliùs regia expenduntur æraria, vt etiam profundi in hac re velim. parcant in aliis Reges, hîc prodigant. ab hac enim profusione regnis regibusque sua salus & ærario stabit. Et verò exiguo non rarò milite occurri, quæ præsciuntur, malis potest, ac sæpè nullo: nam & aliò auerti mala possunt, & nouus aliquis hostis parari; & non magno molimine turbæ, hosti propinquiores, nobis remotiores excitari, & solo etiam noui motus terrore, hostilia in aliud flecti consilia. Vsi feliciter hac arte Imperatores, Aurelianus, Theodosius, Iustinianus, Iustinus, Zeno, Tiberius, Mauricius, alijque, cum Hunnis, Gothis, Turcis, Scythis, Persis, Saracenis, Abaris, Wandalis, Parthis, Sclauinis, Carpis, Quadis, Dacis. Plura qui volet, ex Prisco Rhetore, Malcho Philadelphiensi, Menādro, Petro Patricio, Eunapio Sardiano, Dexippo Atheniensi intelliget. Ita plus semper hostilium consiliorum cognitio, quàm arma potuerunt. Centum ergo clauibus concredita sibi recondet Legatus, & antè vitam quàm commissa profundet, Pompeium imitatus. de quo illud Valerij: *Qui dum legationis officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cùm Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit. Eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit.* Magnum omninò virum, & Magni nomine dignissimum. Spectator stetit stillantis in foculo digiti; stetisset dexteræ, iuguli, linguæ, & antè animam proiecisset, quàm in legatione concredita. Ingens in eliciendis rebus Alcibiadis felicitas, qui antequàm legationem exponerent, concredita à Spar-

Lib.3.c.3.

Spartanorum Legatis elicuit, eodemque astu auertit.

Ad huius secreti fidem seruandam, cùm sibi Legatus imperauerit, tum in illius, qui ab epistolis sibi est, delectu magna vigiliq; cura incumbat. nulla re magis periclitatur Legatus: nulla, res maximæ certiùs euersæ. Grauis hic verò error ætatis nostrę in primis quibusq; Regibus ac Principibus; grauis in Legatis, qui adolescentes propè ignotos asciscunt in familiam. secretissima credunt; nec clausum illis quidquam. Hinc nihil propè apud quemquã Principum ac Legatorum secreti. Vix cogitata produntur. sanè necdum decreta, incocta & cruda, & in primam deliberationem vocata, dum vltro adhuc citroque res aguntur, denuntiantur hosti. Nemo mirabitur, qui primam talium cogitauerit adolescentiam, omniumq; plerumque egenam. Et hostile aurum quid non potest in egente? quid non in iuuene digna Regibus munera? cuius non iuuentutem dona flectant? cuius non aurum & opes? Hispania, Germania, Gallia, Anglia, reliquæq; Europa tota prouinciæ docuerunt. Et inuoluimur etiamnum iisdem erroribus. audiuimus auctores. accesserunt pœnæ; & ijsdem insistimus vestigijs. aut putamus pœnis auaritiam terreri? acuimus præmiorum magnitudine. Quid ergo? Legati deligantur, quales dixi. Nulli hi credant, nisi oculis manibusque suis, à quibus regnorum aut rerumpublicarum salus pendet. non illis qui ab epistolis? nulli. At graue onus Legatorũ calamo cuncta suo exarare. imò leue: neque enim summa illa, à quibus regna pendent & imperia, multa esse possunt. Hæc pauca cur alteri quàm sibi Legatus credat? & quis labor in re tanta? Graue hoc alicui est? non præficiatur legationibus, non Regum Principumque epistolis. non deerunt viri magni, qui munia illa, maioribus etiam permista sudoribus, læti amplectentur. Et sanè misera Regum Principumque conditio, quibus nihil arcanum hosti est, quorumq; inimicis scrinia patent. Narrant non defuisse in Regibus vnum, qui supra quadraginta aureorum

Magna cura ponenda in iis, qui ab epistolis Legatorũ sunt.

Suâ, non alienâ, manu Legati scribant, à quibus regnorum salus pendet.

millia, per Legatum vni ex his ſcriptoribus obtulerit, quō conſilium domini aperiret. Narrant alterum, quinquaginta aureorum millia iuſſiſſe effundi, vt in delatoris cognitionē venire poſſet. Nil opus hac tam prodiga effuſione. non committantur res magnæ ſcriptorum horum fidei, & effugere delatores non poterunt, cùm in vno aut altero ſtabit proditio. cuius defectu factum non ſemel, vt quidquid Legati fidei concreditum fuerat, id omne ante Legati aduentum ſciret is, ad quem mittebatur, etiam abditiſſima, & quæ ignorari regni intererat. Infelix ſæculi noſtri conditio, ignaua circumſpectio, ſtulta fiducia.

Cùm verò ſcriptionis mentio inciderit; hoc dicam, nulli rei magis incumbendum Regi, in nullamque rem hilariùs aurum profundendum, cùm nihil ſecurius regnis ſit, quàm hoſtilia noſſe conſilia; nihil magis noxium, quàm ſua prodi alijs. quo maiori cura huic vni inuigilandum. Exemplum ſub Zenone habemus: *Comprehenſi ſunt, qui ea, quæ in vrbe facta erant, ad Theudericum ſcripſerant, Anthemius medicus, Marcellius, & Stephanus.* Addit Malchus: *De his Senatores quæſtionem habuerunt, quos multis illatis plagis perpetuo exilio condemnarunt.* Nihil parcendum in hoc genere. perdit qui parcit. Pietas eſt patriæ ſtudere & conſulere. conſulit, qui non parcit. Et publico etiam exemplo terrendos reliquos puto. audaciam pœna minuit, & aurum plerumque tormenta excludūt. magnum continentiæ incitamentum certus mortis timor eſt. Factum anno 1417. in Legato Galliæ ad Burgundiæ Ducem, cui cùm qui illi ab epiſtolis erat, domini ſecreta prodidiſſet, carcere ſerui crimen dominus luit.

Sedulus in ſcribendo ſit Legatus.

In ſcribendo verò ſedulus erit, nec quidquam teſtatum omittet, quo Principi ſuo fidem probet. Quem ſi nactus fuerit minutiſſimarum rerum auidum, nihil harum omittet. ita tamen vt minuta hæc in ſingulares litteras conijciat, in alias grauiora; ne miſceantur ludicra ſerijs, parua magnis. Priuata verò in Principem ſuum dicta negliget: publica ſcribet,

bet, ne fôrs alius diligentiâ præueniat. moderabitur tamen illa, non exasperabit. Sed neque alienas ad Regem litteras mittet rogatus, nisi eas legerit, ne fôrs displicitura domino contineant. Nec nouum hoc scriptori videri debet. neque enim celandum quidquam Legatum, cui regni sui secreta Rex commisit.

Constantiam non minore animo quàm facto colat. Præstitit C. Popilius Legatus ad Antiochum missus: *Procul salutanti Regi, & dexteram porrigenti, tabellas quas manu tenebat, Senatusconsultum continentes tradit, atque omnium primum id legere iubet. Hæsitantem verò Regem circumscripsit, ac priùs quàm circulo circumscripto egrederetur, respondere iussit. Obstupefactus Rex, vbi parumper hæsitasset, Faciam (inquit) quod pop. Romanus iubet. tum demum Popilius, & qui cum ipso erant Regis dexteram omnes prehendêre, & comiter ipsum salutauere.* Audaciùs an constantiùs nescio. aliquid sanè insolentiæ præ se factum tulit & temeritatis, nisi à Romano factum, & illius populi nomine, qui imperare didicerat Regibus. Et sanè inter admiranda potiùs, quàm inter imitanda factum hoc reponam. Laudo constantiam, temerarium hunc ausum laudare non possum. non damno tamen in populo orbis domitore; in alio damnem. Facilè enim obliuisci sui insolenti hoc facto Rex potuit: paruit. modestiæ & prudentiæ fuit; & stupor facti nouitate natus regium perculerat animum. vbi verò se collegit, agnouit imperium, & fortunam suam. Constantis omninò animi exemplum à Polybio habemus, in Flaminio Popilio Lænate, qui Legatus ad Ligures missus, cùm Ligustico agro excedere iuberetur, contempsit. impedimentis exinde exutus, perrexisset contemnere. vulnere denique non vno saucius, vix pelli potuit. arbitreris opus fuisse exercitu, vt vnum Legatum pellerent. Constantiam ergo in Legato desidero, qui pro concreditis sibi vitam audeat ponere, & antè sanguinem fundat quàm commissa prodat. animi deinde excelsi, quem non arma, non minæ, non tormenta terreant. quinul-

V. *Constantia Legati.*

lis aduersis frangatur, nullis cedat, cuique per dura & aspera tanquam per amicas exercitationes crescat animus, & cui mens semper inter ardua maior; qui primam gloriæ suæ partem putet oppugnari, postremam inter secunda & mollia viuere. Vnica nimirum huic vita & decus, patriæ Principique suo viuere, & interritum mori. Exemplum huius animi à Prisco Rhetore in Apollonio Orientis Legato habemus. dabo ipsa verba. *Attilas irâ æstuans, quòd sibi tributum & stipendium à Theodosio, & optimis quibusque rerum Imperatoris studiosis & cupidis constitutum, non solueretur; Legatum minimè admisit, eum à quo missus erat ludibrio habens. Quo tempore Apollonius magnanimi viri facinus ausus esse dicitur. Etenim quamuis Attilas minimè ratam haberet eius legationem, neque sui conueniendi potestatem facere vellet; nihilo seciùs dona, quæ ad eum ab Imperatore Apollonius attulerat, sibi tradi postulabat; ni daret, mortem illaturum minabatur. Apollonius autem respondit, non decere Scythas in aliqua dubitatione versari, vtrùm dona, an exuuias accipiant, cùm ea res esset in eorum arbitrio posita. indicans dona quidem à lubentibus & volentibus accepturos, si se tanquam Legatum admitteret; sin minùs, quæ eriperet, spolia potiùs quàm munera censeri debere.* Barbarè Attilas. quo generosiùs Apollonius, & vitæ contemptor magnus: terruitque inopinato responso, & intentatæ mortis contemptu barbarum hostem, tam facilem alioqui in sanguinem, quàm in prædam. Imitetur Legatus fortis Legati exemplum forte. Fortitudinem suauitate Valentinus Tiberij Legatus ad Turoxanthum Turcarum Ducem miscuit. Verba illius è Menandro sunt: *Ni grauissimum foret, & maximè nefandum nos à te occidi, ex quo nunquam interitura apud omnes homines te maneret infamia; ego ense tuo traiectus optarem extremum diem videre potiùs, quàm audire aut Imperatorem nostrum mendacio delectari, aut nos dolum ac fraudes struere. Itaque oramus, vt iræ tuæ modum statuas, & acerbiorem animi motum humanitate mitiges, & legi, quæ sacrosanctos Legatos esse constituit, parcas. sumus enim pacis operarij & ministri, & sanctis rebus dispensandis*

ſandis præſumus. Pacauit efferam mentem Legatus robore & modeſtia, Imperatorem propugnauit, à ſe crimen auertit, ſanguinem obtulit, preces adhibuit, minaſque, & intentatum ferrum fregit. Fuerunt illa animi magni ſigna & verba Legati Romani, cùm vrina reſperſus, Appiano teſte, *Accipio,* ait, *omen: plura enim datis quàm petimus, & veſtem hanc ſanguine lauetis. nunc gaudete, Tarentini, breuiter, nam longùm lugebitis.*

Inuictum in primis inter munera Legatum volo. magnū roboris huius exemplum in Curio eſt: ad quem cùm Samnitium Legati *ingens auri pondus, publicè miſſum attuliſſent, benignis verbis inuitatus, vt eo vti vellet, vultum riſu ſoluit, protinuſque, Superuacuæ, inquit, ne dicam ineptæ, legationis miniſtri, narrate Samnitibus, Curium malle locupletioribus imperare, quàm ipſum fieri locupletem. atque iſtud vt pretioſum, ita malo hominum excogitatum munus refertote: & mementote me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi poſſe.* Nec inferioris in Q. Ælio Tuberone: *Cui conſulatum gerenti, cùm Ætolorum gens omnis vſus vaſa argentea, magno pondere, & exquiſita arte fabricata, per Legatos miſiſſet, qui ſuperiori tempore ad eum gratulandi cauſſa profecti retulerant, fictilia ſe in eius menſa vaſa vidiſſe, monitos, ne continentiæ quaſi paupertati ſuccurrendum putarent, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit.* Non premo ſilentio Fabricium Luſcinum, de quo illud Valerij: *A Samnitibus decem æris, & quinque pondo argenti, totidemque ſeruos ſibi miſſos, in Samnium remiſit, continentiæ ſuæ beneficio, ſine pecunia prædiues, ſine vſu familiæ abundè comitatus. quia locupletem illum faciebat, non multa poſſidere, ſed modica deſiderare. Ergo domus ipſius, quemadmodum ære & argento & mancipiis Samnitium vacua: ita gloriâ, ex his contemptis partâ, referta fuit.* Hæc à Conſulibus, in Legatorum populorumq; muneribus. Videamus Legatos ipſos. Q. Fabius Gurges, Cn. Fabius Pictor, Q. Ogulnius, *Legati ad Ptolemæum Regem miſſi, munera, quæ ab illo priuatim acceperant, in ærarium, & quidem priùs, quàm ad ſenatum legationem referrent, detulerunt. de publico ſcilicet miniſterio, nihil cuiquam præter laudem benè adminiſtrati officij, accedere debere*

VI. Contra munera inuictus.

Val. li. 4. cap. 3.

bere iudicantes. Addit Valerius: *Iam illud humanitatis Senatus, & attentæ maiorum disciplinæ indicium est. data sunt enim Legatis, quæ in ærarium reposuerant, non solùm Patrum conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu: eaque Legatis quæstores promptè vnicuique distribuerunt. Ita in iisdem Ptolemæi liberalitas, Legatorum abstinentia, Senatus ac pop. Romani æquitas, debitam probabilis facti portionem obtinuit.* Nihilo his inferior Seuerus Zenonis ad Wandalum Legatus. de quo illud Menandri: *Huius vitam frugi & modestam admiratus, eius consuetudine delectabatur. maximum verò in illo visum, quòd, cùm ei Barbarus pecunias largiretur, & munera Legato digna daturus esset, reiecit, dicens nullum donum viro Legato dignius & conuenientius, quàm captiuos in libertatem vindicare. Hinc omnes ei captiuos Barbarus dedit, qui sibi & filio obtigerant.* Fortis animi dignum præmium. Non damno munera omnia in Legato, & vsu ferè receptum, ne indonati dimittantur. Palàm si dentur, minùs improbem. clàm erogata non immeritam suspicionem ingenerant fidei, non dicam violatæ, sed aliorsum flexæ. Quæ verò ad tentandos corrumpendosque animos dona porriguntur, omni morte infestiùs fugienda. Exemplo est Phocion Atheniensis: qui Alexandri Legatos rogans, cur, cùm plurimi Athenienses essent, sibi soli duo, Regis sui nomine, talenta offerrent, cùm ex iis audisset, vnum se illum virum bonum & honestum iudicasse: *Ergo sinite*, inquit, *me talem haberi, & esse.* & reiecit donum. Nec minor Epaminondas, quem per Legatos Thessalorum Princeps, & Rex Persarum nequidquam tentauit. stetit quippe regijs donis maius infractum Epaminondæ pectus, non ferro, non auro vincendum. Eadem à Scipione habemus, qui ingentia Antiochi dona spreuit. eadem in Xenocrate, Lysandro, Pompeio. Neglexisse etiam Demosthenem Philippi dona, adeoque & reiecisse, sunt qui referant. Pulcrum illud, & omnis posteritatis memoria dignissimum, cùm Cyneas Pyrrhi Legatus neminem Romæ inuenit, cuius domus mune-

muneribus pateret. Pulcrum etiam illud Menandri de Bigano Perſarum Duce. *Itaque quamuis barbarus eſſet, maximis Mauricij pollicitationibus minimè aures præbuit, neque de recto mentis ſtatu deiectus, ab honeſto deceſſit. Iuſtam enim & legitimam ſeruitutem erga eum qui regno præerat, longè diuitiis honorabiliorem duxit.* Mauricius Tiberij Conſtantini Dux Biganum Perſarum Legatum auro aggreſſus fuerat. reperit inuictum.

Munera à Legatis palàm oblata Romani admittebant.

Conſueuiſſe verò Romanos, à Legatis munera palàm oblata accipere, variarum gentium Hiſtoriæ tradiderunt. Simonis clypeum aureum admiſerũt, Carthaginenſis & Hernici Legati coronas aureas. aureas etiam coronas Eunapius Sardianus, Iuliano ad Imperium euecto oblatas narrat: nec pretio, nec numero inferiores Valentiniano.

Dari munera legatione functis conſuetum.

Dare etiam munera legatione functis, tanquam hoſpitalitatis quoddam pignus, ſolitos Hiſtoriæ docent Sic Maſſaniſſæ Legatis *ſagula purpurea cum fibulis aureis, equos phaleratos duos, bina equeſtria arma cum loricis, & tabernacula, militaremque ſupellectilem, danda & ferenda Regi decreuit. In ſingulis verò Legatis, non minus quinûm millium; comitibus autem eorum mille æris, & veſtimenta bina Legatis, ſingula comitibus.* Legatis verò Ptolemæi & Cleopatræ Ægypti Regum *munera dari iuſſit, in ſingulos quaternûm millium æris.* Saguntinis muneris ergô *in ſingulos dari non minus decem millia æris.* Sed & moris Romæ fuit amicorum Regum populorumq; Legatis, publicum ex ſenatusconſulto hoſpitium decernere. Nec Romæ tantùm hæc munera, ſed & alibi. Hinc Iuſtinum Imperatorem Abarorum Legatos magnis donaſſe muneribus Menander narrat. & de Attila Priſcus: *Omnes Scythiæ Principes, qui in eius comitatu erant, donis Maximinum ornare iuſſerat. & vnuſquiſque certatim illi equum contulerat. At ille cùm frugi ſe probare, & moderationis gloriam reportare ſtuderet, ex equis oblatis paucos acceperat.* Vides munera, & Legati continentiam. Et de muneribus ab Attila datis: *Tribus deindè diebus elapſis, muneribus donati dimiſſi ſumus.* Narrat Malchus, iuſſiſſe Leonem vt Petro Saraceni

Principis Legato, Senatores munera largirentur. præiuit ipse exemplo. Factum idem à plerisque Orientis Imperatoribus veteri exemplo. Et quidem amicorum Legatos liberaliter haberi, largaque manu excipi, largioreque dimitti, testandæ beneuolentiæ & amicitiæ, volunt omnes. non abnuo.

Hostium Legati munificè habendi.

Verùm & hostium Legatos non minore munificentia haberi velim, eoque maiore, quo cultus ab illis maior. quem tamen premi velim, ac quasi muneribus integi: hostilitatem simulari, si simulationi locus; sin minùs, generosos & infractos animos ostendi, metum non ostendi. Quid? quòd munerum largitas metum minuat, si non dantis, accipientis animo. Sed & obstrictum hunc tenet, & cùm admirationem prouocet & amorem, hostilitatem exuit. incipimus enim amare, cuius munera amamus. abit enim in donatorem munerum amor. ita, quæ à mari flumina, in mare redeunt. Sic liberalitatem Tiberij Abarorum Legati experti, adnitente Ioanne Tiberij Legato, arma ab Imperatore in Sclauinos verterunt. pari Zeno munificentiâ in Theodorici Legatos, arma à se in Balamerum vertit. Chagani Abarorum Legatum, à quo in Romanum bellum impulsus fuerat, donis expugnauit Tiberius.

Legatus acceptorũ munerum Principem suum certiorem faciat.

Cùm verò Principi liberalitatem in exteros Legatos suadeo, tum auctor Legato sim, vt donati acceptique muneris certiorem Principem, à quo missus, faciat, ne quid celasse voluisse videatur. tenera enim in hoc genere Principum ingenia sunt, & in timorem ac suspicionem prona. adnatum diademati etiam tuta timere, & in summa felicitate trepidare. ipsa nimirum altitudo attonitos facit, & magnis præcipitiis coniunctus metus est: vt sola rupium montiumque cacumina, etiam è valle & tutò intuentibus, horrorem inijciant. quo magis Principibus, cùm è fastigio suo pendula præcipitia intuentur, magnorum, fors & maiorum suorum, sanguine purpurata? Nihil ergo cómittet Legatus, quod vel in minimam infidæ mentis suspicionem adducat, memor,

non

non stare, sed crescere sub diademate suspiciones solere, & è tenui filo montes intexere; vt, quod sole occidente digitalis de torrente lapis fuerat, oriente Alpium superet iuga. Ne fide meritis quisquis Legatus es, non nudæ innocentiæ. suspicionum caussæ vitandæ sunt. imprudens, & nimis recti conscius incurrit in illas. ita nimia non rarò innocentiæ fiducia, in pœnitenda dominum coniecit. Timere discat quisquis sceptris minor est. nam & illa extra metum nunquam sunt, nec in filio quidem & thori socia.

Sed neque Principum in se affectui nimium tribuat. rarus amor purpuræ est. Si est; sibi est. tange vel leui sceptra verbo, ex amico hostis es. offende verbo, præteritorum, etiam fusi sanguinis, memoria nulla est. ne mirere. sibi nata sceptra sunt. extollunt ad magna? magis time. quo quisque sceptro propior, hoc & ruinæ est. Ita incendio propior, qui ignibus est; & præcipitio vicinior, qui montium vertici inambulat. Ne fide, non didicerunt sceptra parcere, non magis quàm ignes incendia extinguere. Vide an filijs pepercerint. Constantinus nos docet. & nullum orbe toto, sine exemplo in filio, in coniuge, regnum est. & è leui plurimùm suspicione, aut falsa improborum delatione, itum in sanguinem est. Nil opus veterum exemplis. sæculum nostrum taceo. posteritas sine inuidia, & in exemplum referet, & inclamabit, Ne fide purpuræ. *Non nimiū tribuat Legatus Principis in se affectus.*

Nihil verò Legatus, nisi ex Principis sui mente faciet. ac in liberis mandatis, cùm prudentiæ Legati multa committuntur, conabitur res ad ingenium Principis sui dirigere. in reliquis fortiter imperatis insistet. Peccauerunt in hoc genere Rodoaldus & Zacharias, Nicolai Pontificis ad Michaëlem Legati: Missenus etiam & Vitalis, Felicis Papæ III. Legati. Damnati proinde à Pontificibus ingloriam vitam duxerunt. Peccauerat olim Carthaginensis Hanno, quem triumphalem morte condemnarunt, quòd senatus edicto minùs obtemperasse videretur. Fuit illud in Atheniensibus VII. *Nihil nisi è Principis sui mente Legatus aggrediatur.*

feueritatis plenum, qui Legatos in Arcadiam missos, quòd alio quàm imperatum fuerat itinere iuissent, re licèt felicissimè gesta, reuersos capitis damnarunt. grauis pœna in tenui delicto. Sed nimirum, nullum tenue in Legato mandata transgrediente delictum est. Lacones etiam Legatum, quem ad Antigonum Demetrij filium miserant, quòd Regem illum appellasset, graui pœna mulctarunt. Peccauit in hac re grauiter Callicrates Achæorum Legatus, qui, Polybio teste, missus vt Rempub. cum Lysiade & Arato tueretur, prodidit: imperatisque sibi neglectis, suos euertit. Grauissimè Cotys, de quo illud Petri Patricij: *Mithridates Iberorum Rex nouas res tentauit, & se ad bellum Romanis inferendum præparauit. Huic mater contradixit; &, quoniam non persuadebat, fugere voluit. at ille, quamuis in apparatu esset, volebat tegere quod susceperat. itaque Cotym fratrem mittit Legatum ad Claudium, qui gratulationes deferret. Sed non ex fide legationem obijt, & omnia, quæ frater animo voluerat, enuntiauit, & Rex Iberiæ Mithridatis loco constituitur.* Videant Principes cui se suaque credant. nullum sanguinem diademata norunt: ignorant vterum. Nec tutum mittere, qui regnare possunt. nimis dulce regni nomen. non meminit vberum: ac plurimùm, nec Dei. Oeconomus etiam vnus ex Abarorum Legatis ad Iustinianum, Iustini muneribus victus, admonuit, Menandro teste, *Abaros aliud in ore habere, aliud sentire.* Constantium verò, qui conscribendis præerat epistolis, Attilas & Bleda, cùm proditionis nomine suspectus esset, in crucem egerūt. Munera Legatum, vt Priscus tradidit Rhetor, vicerant, prodiderunt munera.

Mutatis tamen rebus consilia etiam in Legato mutanda puto, cùm res moram non patitur, & expectari Principis imperium non potest. dictum enim verè, in subitis & inexpectatis, consilium in arena sumendum: aliquid enim, vt dici solet, aduersarij vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis, oculorum iactatio intuentē monet. Quid fieri soleat, quid deceat, quid oporteat, vniuersim mandari

&

& scribi absentibus, etiam posteris, potest. an verò fieri debeat, quibusque modis, ex longinquo nemo prudentior suadebit. cum rebus nimirum ipsis deliberandum est. in quibus cùm certò imperari nihil possit, non pauca Legatorum prudentiæ cõmittenda sunt. sæpè enim occasiones fugiunt, nec rehaberi elapsæ semel possunt, vt sera post fugam pœnitentia sit. Quare mutatis rebus, vbi decurri ad Principem non potest, mutanda consilia sunt. Fecit hoc Africanus, fecit Belisarius. Et ferè scriptis mandatis plus inesse consilij quàm imperij, auctoritatisque plurimum, necessitatis minimum, non pauci arbitrati sunt. Quid? quòd magni ferè Principes facultatem Legatis etiam scripto largiri consueuerint, supplendi quæ mandatorum litteris continentur. Magna tamen in his cautione & prudentiâ opus in Legato: cùm plurimùm non populus tantùm, sed & Principes res euentibus metiantur. Consiliorum postrema cura est. à fortunatis successibus prudentiam fidemq; metimur. Sanè Iustinus *Ioannem legationis non ex vtilitate Reip. gestæ condemnauit. nec enim se inscio, aut non iubente, debuisse mittere aliquos in Suauiam; nec hanc ab Imperio suscepisse prouinciam, vt, aut Suauis suaderet, vt se Romanis subderent, aut huius rei gratiâ Byzantium Legatus veniret. itaque Ioannem Imperator ab se alienatum dimisit, & eorum numero habuit qui minimè commodi rebus suis essent.* Si Ioannis conatibus respondisset euentus, non damnasset Imperator. non respondit: damnauit. Vt ingenti circumspectione Legato opus sit, & tutiora eligenda. eliget, qui non decedet ab imperatis. neque vnquam dubiæ rei fortunam suam exponet quisquis sapit, & ad priora retrò sæcula oculos conijciet. Magna extra imperata præstitisse, gratiam referet non magnam: in exiguo deliquisse, indignationem magnam. Quare nisi certissimus de euentu sit, quem putat placiturum domino, non egredietur limites præscriptos. errare non potest, si se illis contineat; potest, si transgressus fuerit. tutiora proinde prudens eliget; nec allidet gloriæ nauem

ad regios ſcopulos,eo nocentiores, quo implacabiliores. irreſpirabile enim hîc ſemel depreſſis profundum eſt, è quo è millibus vix vnus eluctetur.Prudenter proinde apud Polybium Antiochi Legatus, vbi reſponſa Romani ſenatus accepit, *quoniam poſtulata fines mandatorum longè excedebant, quæ dicta fuerant pro indictis habuit,ac deinceps publico congreſſu abſtinuit*.Sequetur hunc prudens Legatus,nec fortuitis ſe ſuaque credet. Quanquam negare non poſſim,miſeram ferè Legatorum conditionem eſſe; cùm ferè omnes minùs fortunatum obitæ legationis euentum in Legatum conijciant, ab euentu,plebeio more, prudentiam, adeoque & fidem metientes.egreſſus limites mandati eſt,cùm ſpe maximâ prouocaretur? damnatur,ſi minùs res votis reſpondeat. continuit ſe mandatorum finibus, & oblatam ſpem neglexit: imprudentiæ & timoris accuſatur, minùs idoneus legationibus cenſetur.

VIII. *Nihil ſpõdeat Legatus, quod exequi non poteſt.* Nihil deindè ſpondeat,non Principi ſuo,non alieno,quod exequi non poſſit. aut enim ſeruanda fides, aut à pollicitationibus abſtinendum. Nobile in hoc genere in Q. Fabio Maximo exemplum: *qui de captiuorum redemptione cum hoſtibus cùm perege̒ſſet, idque pactum in Senatu improbaretur, fundum ſuum ducentis millibus vendidit, & ſatisfecit.* Quantas coronas ciuicas promeritus in vnius agri venditione! Quid faceret vir nomine ſuo digniſſimus? aut fallenda fides,aut ager vendendus. vendere, quàm fallere maluit. Poterat deſtituere captiuos. deſtitui maluit agro,& potiores agro ciues habuit, & ſi quo alio,hoc facto Maximi nomen promeritus.

In promiſſis parcus ſit Legatus. Sed neque prudens Legatus amplis ſponſionibus Principem ſuum implebit.parcus ſit verborũ,rerum diues.nec difficultates extenuabit; augebit potiùs, & in immenſum tollet. Hinc fiet, vt,ſi ad ſperatum exitum rem deducat, gloriæ referat plurimum: ſi non reſpondeat conatui euentus, facilior veniæ locus ſit.Difficultas vt laudem, ita excuſationem meretur. Quid? quòd conatus in arduis laudem promereatur.

tur. Neque dubia, aut inania denuntiabit, ne, si talibus assuescat, etiam in veris fidem non inueniat.

IX. *Mendacia Legato vitanda.*

Mendacia verò calamorum & oris vniuersim vitanda. simulare potest, mentiri non debet. turpe mendacium viro. Quid? quòd prudens cautaque in Legato simulatio, non vltima virtutum sit. nam, quod de imperantibus dictum, *nescire imperare, qui dissimulare nesciat*, non minùs in Legato locum habet, in quem, vt in hostem, omnium oculi intenti: cuiusque singula, non tantùm verba, sed & signa, leguntur. è cuius fronte, oculis, incessu, manuum iactatione, oris deductione, incessus tarditate, celeritate, profutura nocituraque aduersarij colligunt. Premet proindè Legatus altùm consilia sua. nec sinistræ indicabit, cogitationes dexteræ suæ. Tristia sunt? læta præ se feret. Læta? deiiciet vultum. Bella cogitat? pacem loquetur. Pacem? bella proferet. Videt damnanda? silentio premet. Obfutura illi populo, cui adest? fouebit; sine crimine tamen. Exardescere sentit in communem hostem? armabit verbis. Indignari? perget auertere à se arma, vertere in alios promeritos. Domesticas dissensiones? non mitigabit. non quòd caussam velim dari odiorum; sed prudenter à regno suo ferrum diuertet. Cùm verò in omnibus magna vti dissimulatione possit, mentiri non debet. indignum mendacium omni viro forti, & cui masculum pectus. Docemur à M. Atilio Regulo: *Qui ex victore speciosissimo, insidiis Asdrubalis, & Xantippi Lacedæmonij Ducis, ad miserabilem captiui fortunam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. Legatus, vt ex se, & vno, & sene, complures Pœnorum iuuenes pensarentur: in contrarium dato consilio, Carthaginem repetijt; non ignarus ad quàm crudeles, quamque etiam meritò sibi infestos hostes reuerteretur. Verùm his iurauerat, si captiui eorum redditi non forent, ad eos se rediturum.* Fallere noluit, redijt, pœnas subiuit. *Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec vltimo siue carceris, siue crucis supplicio est deformata maiestas: imò ex his omnibus admirabilior. Quid aliud quàm victus de victoribus, quia Carthago non cesserat,*

de

de fortuna triumphauit? Populus autem Romanus multò acrior pro vltione Reguli, quàm pro victoria fuit. Metello Consule apud Panormũ sic hostem cecîdit, vt non ampliùs in ea insula concitaretur: M. Fabio Buteone Consule classem hostium in Africo mari euertit: Luctatio demum Catulo Consule finis belli impositus apud insulas Ægates, cùm totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo Carthago operuit. tanta fuit ea victoria, vt de excidendis hostium muris non quæreretur. superuacuum nimirùm visum in arcem murosque sæuire, cùm iam in mari esset deleta Carthago. Tantis victoriis, tot hostium classibus, tot millium cædibus, totiusque propè nobilitatis interitu parentatum Regulo est. promerita hoc integritas, & seruata etiam hosti fides.

X. *Seria in rebus deliberatio à Legato adhibenda.*

Nihil etiam leuiter aggrediatur. maturè antè deliberet. discutiat singula. si spem videat magnam, parem spei diligentiam adhibeat. sudor & spes, valida ad expugnandum ardua, momenta sunt. Prudenter Africanus: *Aut tentare non oportet, aut sic tentare, vt omnibus viribus quod instituisti coneris perficere. nam bis ad eundem lapidem offendere, simul periculosum est, & contemptui obnoxium prorsus reddit.* In quam rem fortiter & verè Sallustius: *Vigilando, agendo, benè consulendo, omnia eueniunt. vbi te socordiæ ignauiæque dederis, nequidquam Deorum auxilia implores: irati infestique sunt.* Quanquam non diffiteat adnatam quibusdam felicitatem, quorum etiam temerarij conatus felicē sortiuntur exitum: quibusdam infelicitatem, quorum prudentissima consilia infelicibus clauduntur euentibus. cælo, ac naturâ hæc dari credas. Illa tamen securior felicitas est, quam quisque prudentibus factis sibi parauit, quam suâ aliorumque experientiâ collegit, quam præprouidâ futurorum cognitione præuertit, quamque solerti hostilium consiliorum indagatione perscrutatus est. cui si adnatam naturæ dono felicitatem adiunxeris, legationem beabis.

In

In rerum autem peragendarum executione lentitudinem nimiam fugiet, & æstum nimium. noxium enim vt gelu, ita & calor est. Nec ardentes siluas amo, nec frigore depastas: nec densata gelu flumina, nec accensa flammis. neutra ætatem ferent: temperata æternant. nam, quæ fulminum more feruntur, præcipitio proxima sunt, & in ipso plerumque prolapsu antè moriuntur quàm feriant. quot enim è fulminibus solum aërem feriunt, solum scindunt? plus ferè terroris & minarum, quàm cædium secum trahunt, terruisse contenta. & tonitrua quanto impetu proruunt! orbi interitum minantur, & inter nuda plerumque murmura se tenent. dumque mollia nubium latera minitabunda quatiunt, à tam molli elemento repercutiuntur; vt paucissima scissâ nube sua, collidantur terris. Eadem à præproperis & tanquã à Babylonia fornace raptis consilijs videbis. in interitum potiùs hæc sui, quàm aliorum nata credas. flammas euomunt, & latè intonant: sed infra sonum & æstum, robur est, minorque adeò sonitu vita est. è stolido ferè hæc procursu labuntur. nec minùs in amica, quàm in inimica sæuiunt pascua, fluminum more, quæ ruptis aggeribus, cæco fatuoq; in obuia voluuntur cursu. Arcenda proinde à legationibus præpropera ingenia puto: ignes hæc regnorum inijciunt tectis, & ferro propinquiora quàm paci sunt. seque non raro & Remp. vnâ ruinâ inuoluunt: paucisq; nonnunquam nimiùm calentibus deuomunt verbis, quæ nulla postmodum reuocet pœnitentia. Arcenda etiam tarda nimis & lenta ingenia puto, quæ limacum more, mille spiris, rectum ac breue iter fatigant, & ignauo ductu signant, intuentibus in horrorem, patientibus in nauseam. Et sanè quid ab hoc frigore aliud quàm frigus speres? quis etiã peritissimus nauclerus enauiget hæc spisso gelu concreta flumina? nullis ignibus liquescunt, nullo sole soluuntur: perpetua quædam glacies tam altè pectus obsidet, vt ne in patriæ quidem incendio incalescant. omnibus his benè gerendarum rerum

XI. *Vt nimia frigora, ita & calor nimius fugiendus Legato.*

labitur occasio: effluit spes omnis, cùm nimis tardo molimine cuncta circumspiciunt, nec antè sese erigunt, quàm incendia ambusti senserint. ac ne tunc quidem, non nisi lento gradu ad extinguendas flammas properant. Stoicæ Philosophiæ nata veriùs quàm Reip. ingenia, &, vt sibi viuant, bona, vt alijs, mala; in interitum potiùs multorum, quàm in salutem nata. omnia ferè etiam tutissima cùm timeant, perpetuo timore natant, arcenturque æquè à certis, quàm à dubijs metu, milleque sibi rationes propugnandi timoris fingunt. & dum sapientiam tarditate profitentur, stolidâ se resque sibi concreditas lentitudine commaculant. nimia nimirum hos prudentia stultos dedit, neutri parti gratos, ingratos omnibus.

XII. *Morosa & fastuosa ingenia à legationibus arcenda.* Fastuosa etiam ac morosa ingenia, & quæ fastidium sui aliorumque secum trahunt, arcenda à legationibus arbitrer. turbandis rebus magis, quàm pacandis animis hęc nata. non connectuntur dura duris: mollibus coalescunt. nihil verò durius moroso & arroganti ingenio. Et quid speres à fastu præter fastum? vna morositas aliam prouocat, acerbitas vna aliam. atque hinc indignationes, quæ in odia demùm exsurgunt. inde bella nata, quæ frequenter nonnisi cum interitu partis alterius, ac vtriusque etiam, posita. Ingentis vtrimque arrogantiæ exemplum à Menandro habemus. *Miserat Abarorum Dux ad Laurentium Sclauinorũ Ducem, vt Abaris dicto audientes essent, & eorum numero se adscribi finerent, qui tributa illis pendebant. at Laurentius, & gentis Principes, Quis hominum, inquiunt, est, qui Solis radiis tepescit, qui nostram potentiam possit sibi subigere & domare? aliorum enim regionis dominatum acquirere solemus, non alij nostræ; qui nos certò manent, donec erunt bella & enses. Ad hunc modum superbè & arroganter loquentibus Sclauinis, non minore superbiâ & arrogantiâ erga eos Abari sunt vsi. Hinc in probra & conuicia itum. Sclauini cùm iræ moderari nequirent, Legatos, qui ad se venerant, occiderunt.* Arrogantissimam Legatorum Decebali Dacorum Regis ad Domitianum denuntiationem

tionem narrat Petrus Patricius: *Pacem Decebalum facturum, si vnusquisque Romanorum vellet illi quotannis pendere duos obolos.* Retulit arrogantiæ mercedem: *Decebalus in conspectu Traiani arma abiecit, & in terram cadens adorauit, & ad eius pedes prostratus iacuit: Legatos etiam Romam misit, qui mancipiorum more erant manibus vinctis.* Non potuit barbarus fastus certiùs deprimi, nec validiùs, quàm ad hostiles pedes frangi. Mezamirus etiam Legatus, cùm in verba arrogantiora, quàm Legatum decebat, prorupisset, ab Abaris, *spretâ*, vt Menander ait, *quæ Legatis debetur reuerentiâ, nulla habitâ iuris religionisque ratione, occiditur*. Insolens in Legato superbia necem parauit. non debuit; factum tamen. Impotenti etiam & insolenti oratione suâ Abarorum Legatos nihil à Iustino Iuniore impetrasse narrat Menander, contraque fractam illorum arrogantiam forti Imperatoris dictione. Ludibrio etiam ab eodem fastum Mebodis Persici Legati habitû, Saracenorumque Legatorum barbaram insolentiam superbiamq; generosè repressam, nec admissos quidem cum arroganti comitatu suo in conspectum. vt meritò erubesceret Mebodes, & impotens Saracenorum concideret fastus serâ arrogantiæ pœnitentiâ. Dignissima superbiæ merces. quæ quo magis in Legato displicet, hoc commendatior modestia, benignitas, mansuetudo, comitasque in omnes est.

Gratum hæ virtutes Legatum, etiam barbaris, facient. incessus moderatus, gestus decorus, frons læta, ridentes oculi, vultus ad temperatam hilaritatem compositus. Oratio matura, & quæ virum suum loquitur; blanda & suauis, sed intra viri mores & robur, procul à muliebri mollitie & fuco. breuis dein sit, & quæ cùm sententiarum plurimum, tum verborum habeat minimum: quæ nec nimis exquisita velim, nec nimio studio exculta. neglectum potiùs præ se ferat. Displicet sanè Principibus prolixitas. & ferè in vno pectore prudentia & multiloquentia stabulare non solent. & suspectus nimius dictionis ornatus est, tanquam

Qualis compositio corporis in Legato laudata?

Qualis oratio Legati esse debeat?

in fraudem compositus. Philosophum denique suum magis, quàm Oratorem loquatur. Sed neque effundatur in iram, non extollatur in aliorum contemptum, non procurrat in plebeiam scurrilitatem, non in satyræ dentes & morsus, nec quidquam sonet non castum. absit morositas omnis, & tristitia, & aceto perfusa dictio, & quidquid agrestem rusticitatem sapit. Nulli sua benignitas obfuit, profuit plurimis. ita Menandro teste, Valentinus Tiberij Legatus molli benignaque responsione Toxandri Turcarum Ducis feritatem & minas fregit. cedunt nimirum aspera mollibus. Blanda etiam Anatolij & Nomij Zenonis Legatorum oratione efferam Attali barbariem delinitam, cùm & gratuitò captiuos redderet, & donis etiam Legatos prosequeretur, auctor est Priscus. Narsetem verò Persarum sub Constantio Legatum, asperitatem litterarum quas afferebat, morum verborumq; lenitate temperasse ex Petro Patricio legimus. Valuit verò plurimùm Legatorum modestia, etiam in victoribus & barbaris. cui cùm supplex accederet oratio, quantumuis efferatos animos molliebat. Elegáter hoc Petrus Patricius in Persico Legato expressit: *Dixit Apharban, imperatum sibi fuisse à Narseo, vt, etiamsi æquitas à Persis staret, tamen de iure proprij regni decederet, & omnem rem humanitati Romanorum committeret, neque conditiones ferret, quibus pacem fieri vellet, sed id omne Imperatoris arbitrio committeret.* impetrauit à Galerio, quod voluit. Nec minùs in Dacorum Rege. verba illius sunt: *Decebalus misit ad Traianum Legatos ex his qui pileos ferunt (hi enim apud Parthos sunt honoratiores) qui cùm ad Traianum venissent, abiecerunt arma, & manibus post terga vinctis, mancipiorum & captiuorum instar, Traianum orabant, vt cum Decebalo in colloquium veniret.* concessit Traianus, pacemque dedit quibus legibus Decebalus voluit. Illud etiam in populo Rom. clementiæ magnæ. pacem Philippo Macedonum petenti, pacem vi-
Lib.4.c.8 cto dedit, regnumq; concessit. Addit Valerius: *Philippo Macedonum Rege superato, cùm ad Isthmicum spectaculum tota Græcia*
con-

conuenisset, T. Quintius Flamininus tubæ signo silentio facto, per præconem hæc verba recitari iussit: S.P.Q.R. & T. Quintius Flamininus imperator, omnes Græciæ vrbes liberas atque immunes esse iubet. Quid augustius victrix Græcia sperare poterat, quàm vt legibus viueret suis, & auita libertate frueretur? supplex impetrauit, quod arma negassent. Subdit Valerius: *Quibus auditis, maximo & inopinato gaudio homines perculsi, primò, velut non audisse se quæ audierant credentes, obticuerunt. Iteratâ deinde pronuntiatione præconis, tantâ cælum clamoris alacritate compleuerunt, vt certò constet, aues quæ superuolabant, attonitas pauentesque decidisse.* De Antiocho Florus: *Victo & supplici pacem atque partem regni dari placuit, eo lubentiùs, quòd tam facilè cessisset.* De Pompeio Magno in Tigrane Valerius: *Diu supplicē iacere passus non est, sed benignis verbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti reponere iussit: certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit, æquè pulcrum esse iudicans, & vincere Reges, & facere.* De Carthaginensibus Polybius: *Quinque Romam Legatos miserunt, per quos arbitrio Romanorum se suaque omnia permiserunt. Consul exposuit Senatus sententiam, quòd rectam consilij viam iniissent concedere illis Patres libertatē, leges suas, & agrum insuper omnem, & omnium aliorum possessionem, quæ ad Remp. aut priuatos pertinerent.* obsides tantùm imperat. Quid poterat mitius? quid munificentius? Tarentinis etiam expugnatis, petentibus pax & libertas à L. Papirio Cursore concessa.

Lib. 2. c. 8.

Lib. 5. c. 1.

Vt verò supplex Legatorum oratio hostes emollijt, & ab armis ad pacē flexit: ita superbè haberi Legatos, aut insolenti ac arroganti oratione lædi, efferauit animos, & in ferrū impulit. Audiamus Hannibalē: *Vestri quoque, vt audio, Patres non nihil etiam ob hoc, quòd parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem; Hannibal peto pacem.* Duriùs nimirùm habiti Romanorum Legati; vnde in ferrum itum est. Superbè etiam Veientibus Legati excepti, hinc bella, & octo triumphi, & decennalis obsidio, & nobilissimæ vrbis à Camillo euersio. Iam & Achæorum tres duces cæsi, & Corinthus euersa ob

Bella è superbè habitis Legatis nata.

Legatos duriùs compellatos. & Dalmatico bello, Polybio teste, caussam dedit acerbior responsio Legatis data, minæ intentatæ, equi adempti. Perses verò arroganter & contemptim dum Romanorum Legatos excipit, bellum sibi parat: quo tandem à Paullo Æmilio cæsus, captus, in triumphis cum filijs ductus, in carcere vitam finijt. Cæsar Legatorum suorum ab Ariouisto contemptum, ingenti Germanorum cæde vindicat. testis in hac re Cicero, *In qua ciuitate non modò Legatus pop. Romani circumsessus, non modò igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publicè satisfactum sit, ei ciuitati bellum indici atque inferri solere*. Venio ad alios. Massanisa non contentus suorum aliquem misisse, Gulussam filium Carthaginem Legatum mittit. excluditur vrbe; indè ex insidijs impetitur. è quo nata bella, & Carthaginensis exercitus cæsus, impietatis præmium tulit. Parthorum autem Legati, cùm nequidquam apud Crassum querruntur, quòd contra fœdus cum Lucullo & Pompeio percussum, bello peterentur; coacti ad arma conuolant, quibus fœderis violator Crassus pater & filius cadunt.

Læsos etiam Legatos sacrosancto gentium iure calcato accepimus. sed nullus inultus diu sanguis stetit. Asculani Rom. populi Legatos occidunt. arsit hac cæde Italia tota. expugnato tandē à Pompeio Strabone Magni patre Asculo, Præfecti, Centuriones, ciuitatis Principes virgis cæsi, securi percutiuntur. ita sanguine, sanguini Legatorum parentatū. Ligures Flaminium Legatum impedimentis exuunt, vulnerant. hinc Q. Opimio Consule, Agitna, in qua violatus Legatus, obsessa, capta, in seruitutem ciues dati, auctoresque iniuriarum catenis onusti Romam ablegati. Lartes autem Tolumnius Veiorum Rex, quo auctore à Fidenatibus Romanorum Legati cæsi, bello cadit; & exinde, Floro teste, *laborat annalium fides, vt Veios fuisse credamus*. Fidenates verò cum Rege suo cæsi, vrbs capta, direpta, ciues sub corona venditi. Mithridates cùm Q. Oppium, & M. Aquilium Consulares

lares Romanorum Legatos in vincula conijcit, occidit; multis cladibus à Sylla, Lucullo, Pompeio attritus, regnoq; exutus, suâ & serui manu cadit. Legatos M. Curius ad Senones Gallos pro redimendis captiuis miserat. cæsi Legati, secuta bella, & ingenti prælio à Dolabella Senones propè deleti. tãto sanguine Legatorũ sanguis expiatus, vt natare terra sanguine potuerit. Iam Liburni, Teutâ muliere imperante, Romanorũ Legatos securi feriunt. hinc Cn. Fuluio Centumalo duce strictæ in Principem gentis illius secures, Legatorũ manibus litauere. Quid? quòd Dauid iniuriam ab Ammonitis Legatis suis illatam fortiter vltus sit. audiamus Scripturam: 2. Reg. 12.
Prædam ciuitatis asportauit multam valdè. populum quoque eius adducens serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum. sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon. Nouum vindictæ genus, & sæculis retrò omnibus inauditum, quo sceleris in Legatos commissi magnitudinem testaretur Rex magnus, & Deo plenus. crudele supplicij genus arbitreris, nisi à tam pio pectore natum. Et sanè sæua tormentorum nouitas è tam benigna mente, sceleris in Legatos commissi grauitatem designat. Nec sanguinem tamen fuderant Ammonitæ. barbarum medietatem raserant, præsciderant vestes. nisi fòrs in generosa mente, grauius sanguine dedecus sit. Sanè ignominiâ, vel ipsa mitissima pectora exasperari satis constat, eoque decurrere, non quò ratio ducit, sed quò cupido vltionis impellit. & duram patientiam euincit dolor pius. Neglexisse etiam Romanos in Legatis iura gentium video. secuta vindicta. neque enim vlla diu scelera impunita. fuso non vno loco exercitu Roma capitur, igne, ferro, manibus solo æquatur. ac, nisi exul Camillus, plus pius in patriam, quàm pietatem expertus, victoriâ insolentes Gallos, cùm ad iniqua pondera gladium etiam adderent, iniquiore quàm pondere voce, *væ victis*, subitò aggressus cecidisset, incendiorumq; vestigia Gallici sanguinis inundatione deleuisset, vestigia fòrs nunc vrbis quærerent-

rerentur. Atheniensium vrbem Romanæ aliquãdo vrbis æmulam, tot Ducibus, victorijs, triumphis claram, quòd Darij Legatos violasset, euersam, & tantum-non solo æquatam, Herodotus auctor est. Arabes etiam post Legatorũ necem, non magnâ Herodis manu cæsos fugatosque narrant. ingentem exercitum, & qui solâ ruinâ integere Herodianum posset, solo sanguine sorbere, à parua manu cæsum, nemo mirabitur, qui Legatorum sanguinem cogitauerit. Illud etiam diademate indignissimum, cùm *Legati Turcici mixto cibis lethali veneno, à Persarum Rege perempti sunt.* atque hinc Discibulo duce, Turcarum & Persarum inimicitiæ, exercitus, sanguis, quo solo flumina nasci; cadaueraque, quibus integi non vno loco Oceanus posset. Sclauini verò cum Abarorum Legatos occidissent, tantùm-non à Baiano horum Duce deleti, meritas retulerũt pœnas. Et, vt recentiora tangam: Clodouæus Francorum iniuriam Legato suo à Gothis illatam ferro vindicauit. Carolus dein Magnus è simili caussa Saxonibus bella mouit, maximamq; nobilissimæ prouinciæ partem habitatoribus viduauit. Fuitq; hoc omnium adeò gentium moribus receptum, vt sanctissimè Legatorum suorum integritatẽ tuerentur; non opibus, non sanguini parcerent; integrasq; prouincias regnaq; funditùs delerent. Nec alia iustior armorum caussa visa, sed neque fortunatior. tanquam si Deo auctore, duce, vindice ad arma decurrerẽt. Atque hinc etiam cæsis Legatis publicè statuæ positæ. Factum Tullio Cluuio, L. Roscio. Sp. Ancio, C. Falcinio, à Fidenatibus, alijsque alibi cæsis. Ciceronis verba sunt: *Cn. Octauij (legati ad Antiochi nepotem) clari & magni viri, qui primus in eam familiam attulit consulatum, statuam videmus in rostris. Laodiceæ à quodam est interfectus. reddita est ei tum à maioribus statua pro vita, quæ multos post annos progeniem eius honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam sola extaret. Atque hinc etiam Tullio Cluuio & L. Roscio, & Sp. Ancio, & C. Falcinio, qui à Veientum Rege cæsi sunt, non sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob Rempubl. honori fuit.*

Cæsis Legatis statuæ posita à Romanis.

Philip. 9.

A pri-

A priuato Octauius occisus: & tamen Senatus decreto statua Legato posita posteritati in exemplum & incitamentum. Quid? quòd etiam morbo extinctum Legatum statuâ donare placuerit. Grauiter Cicero: *Ita censeo: cùm Ser. Sulpicius Quinti filius, difficillimo Reip. tempore, graui periculosóq; morbo affectus, auctoritatem senatus, salutémque pop. Romani vitæ suæ præposuerit, contráque vim grauitatémque morbi contenderit, vt ad castra Antonij, quò Senatus illum miserat, perueniret; isque cùm iam propè castra venisset, vi morbi oppressus vitam amiserit in maximo Reip. munere; eiúsque mors consentanea vitæ fuerit sanctissimè honestissiméque actæ, in qua sæpè magno vsui Reip. Ser. Sulpicius & priuatus, & in magistratibus fuerit; cùm talis vir ob Remp. in legatione mortē obierit, senatui placere, Ser. Sulpicio statuam pedestrem æneam in rostris, ex huius ordinis sententia statui; circúmque eam statuam locum gladiatoribus ludísque, liberos posterósque eius quoquoversus pedes quinque habere; quòd is ob Remp. mortem obierit, eámq; caussam in basi inscribi. Locum etiam sepulcro in campo Esquilino, seu alio loco pedes triginta quoquoversus C. Pansa Consul designet, quò Ser. Sulpicius inferatur. quod sepulcrū ipsius, liberorum, posterorúmq; eius sit, vti quod optimo iure sepulcrum publicè datum est.* Prudenter. Quis non lubens legationem obeat, & in ea mortem, cùm pro breui vita æternam memoriam tribuat? magnum, præmio donari æterno, adeoq; & vitâ viuere æternâ. Viuit, qui in statua viuit, meliore sæpè quàm suâ vitâ. nec ipse tantùm, sed posteritas illius omnis in illa viuit. Atque hinc fòrs generosum Atheniensium Legati ad Philippum Macedonē mortē intentanti responsum, Si caput hoc præscideris mortale, dabit immortale patria. Vnde illud etiam vsu receptum, vt iniuriam Legatis factā ipsi Principes, apud quos versantur, vlciscantur. Videtur enim Principis maiestas lædi, Legatis, qui apud ipsum sunt, læsis. Cùm enim publica Principis fide in alieno regno versentur, publicam censendi sunt violasse fidem qui Legatos violant. Vnde fòrs lex illa: ***Quod ad Legatos, Oratores, comitésq; attinet, si quis eorum quem pulsasse,***

Yy *siue*

siue iniuriam fecisse arguetur, lege Iulia de vi publica tenetur. E quo etiam natum, vt qui contra ius gentium in Legatos peccassent, dederentur ijs quorum Legati erant. ita Apolloniatis & Carthaginensibus dediti, qui Legatos illorum pulsauerãt; & à Demetrio Romanis, qui Legatum occiderant. Saturninus etiã, quòd Mithridatis Legatos duriùs accepisset, morte à Senatu damnatus.

Præmia danda benè legatione functis. Neque post mortem tantùm in legatione obitam, sed & legatione benè functis præmia, pro personarum qualitate danda. ampla dari auctor sim: ne, si ampliora apud alios inueniant, fidem industriamq; omnem suam aliò transferant; aut sanè labascat ad ardua animus. Et quis virtutem amplectatur, præmia si tollas? quis sudorem sanguinemq; vilem habeat, non remunerãdum? Vult Princeps à Legatis magna? magnis legationem condecoret præmiis. nunquã deerunt magni, qui maxima lubentes obeant, si coronari sudorem viderint. Opes & honores laborum præmia ad quæ non impellant? nescit vitæ parcere, adeoq; & prodigus sanguinis sui est, qui munificam Principis dexteram capiti inhærere suo vidit: magis, si sentiat.

Legati sacrosancti. Quid? quòd in cogitato etiam crimine parcitum Legatis, &, quod magis mirere, in interprete. Bigilas, Maximini Legati Theodosij interpres, cùm coniurationis, seu molitionis Chrysaphij eunuchi conscius esset, qua Ediconi persuadere conatus fuerat, vt Attilam de medio tolleret; audit ab Attila, *Se illum in crucem acturum, & prædam vulturibus præbiturum fuisse, nisi iræ suæ acerbitas legationis reuerentiâ leniretur & inflecteretur.* hæc barbarus. quem nulla pietas, religio nulla, nullus Deus flecteret, flexit legationis reuerentia. Huc illud Ciceronis: *Nomen Legati eiusmodi esse debet, quod non modò inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.* Et illud Liuij de Tarquinij Legatis: *Quanquam visi sunt commisisse vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit.* cùm tamen ad prodendam patriam iuuentutẽ animassent, virgis cæsa iuuentus nobi- *Philip. 5.*

nobilissima, & securi percussa, quòd de reducendis in vrbem Regibus cogitasset. in quo exuit patrem Brutus, vt Consulem ageret: orbusq; viuere, quàm publicæ vindictæ deesse maluit; & cùm non parceret filijs, pepercit Legatis, sceleris auctoribus. tantum Legatorum nomen potuit. Idem accidit in Syphacis Legato, cùm Massanissæ necem procurasset. sceleris cogitati reprehensus. nec aliud.

Rebellium etiam ciuitatum legatio sacrosancta.

Nec Regum tantùm aut Principum Legatis immunitas hæc concessa, sed & rebellium ciuitatum ac personarum. Factum olim sub Spartaco, Sertorio, Viriato, Tacfarinate, alijsq; non paucis. bono enim publico cùm legationes hæ instituantur, & ad pacanda regna & prouincias, gaudere ijsdem immunitatibus videntur Legati debere; etiam serui, & familia vniuersa. Est hæc opinio virorum doctorum. ego nihil affirmem. subditi enim ad dominũ legatio propriè non est. Sic non admissos coloniarũ quarumdam Legatos à Romanis tradit Liuius; &, quod in ciuilibus bellis euenit non semel, vt aut non admitterentur Legati, aut malè haberentur; factum ab Antonio, à Flauianis etiam in Vitellij Legatis, à Senatu etiam in Fuluij filio. Quanquam probare hoc non possim, minùs mihi humanum; vt non immeritò queratur Cæsar Legatis sua iura non seruata. Scio periculi plenam legationẽ esse, in seditionibus ac secessionibus popularibus & militaribus, in ciuili ferro; quo cautiùs instituẽda legatio est. immunitas tamen aliqua cõcedenda videtur, ne asperentur animi, néue ab vltima desperatione consilia mutuentur, ne alterius partis internecione finis imponatur. Scio Principum iura. sed & hoc scio; seditiones, siue illæ populares, siue militares sint, bellaque ciuilia, non nisi inhonorata ferè pace poni. Solere Reges vltrò etiam Legatos priores mittere. Factum à Senatu Rom. ad populum non semel, ab Imperatoribus etiam. ita Drusus à Tiberio missus, Petilius à Vespasiano, alij ad alias legiones rebelles. Faciunt Reges, quod parentes in filios immorigeros. vltrò etiam orant, ne perditum eant. nec pudet

pigetúe ad indigna quædam, aut non digna patrio nomine descendere, ne se perditum eant filij, quorum salutem dignitate suâ potiorem habent.

Temperantia & continentia Legati. Temperantem & continentem in primis Legatum velim. turpe à vino, turpe à muliere vinci. ab armato, nec nouum, nec indignum viro. à vino & femina, muliebris ingenij est. Benè Polybius Demetrio: *Sobrius esto. nemini fidem habere memento. hi sunt nerui prudentiæ. spes tuas in te ipso pone*: non in vino, non in muliere. prodent quidquid illis credideris. Malus enim custos consilij vinum; pessima secretorum seruatrix mulier. quātum prodi vis, tantum vtrique committe. Hinc illud dictum verè: *Inepti ad legationes, qui vino & veneri indulgent.* cùm enim commissorum sibi tenacissimum Legatum esse deceat, proditrixq; mulier & vinum secretorū sit, nemo non videat arcendos à legationibus, qui se regnorumq; salutem tam infidis ministris committunt. Non quòd Legatum à conuiuijs arceam; arceo ab ebrietate. Quin adeò, si cōscius ipse sibi temperantię suæ est, & imperare gutturi potest, non auersetur conuiuia. fors inter liberiora aliorū pocula, discet, quod nec ingenio, nec auro posset. ferè enim aliquid inter conuiuales hilaritudines elabitur, quod scire Legatū deceat. Quin & conuiuia ipse nonnunquam instituat, ne auarus audiat; audiat splendidus. aliquid enim splendoris opinio affricat Legato. Solitos verò Legatos adhiberi mensis, & augustiùs haberi, omnium propè gentium mores docent. hinc illud de Antiocho Ægypto occupatâ: *Græci Legati venerunt, de pace ad eum missi: quos cùm benignè suscepisset, primo die ad epulas magnificè instructas inuitauit, postridie sui conueniendi potestatē fecit.* Illud verò Prisci Rhetoris, Attilæ in Maximino sociisq; Theodosij Legatis splendorem, in se modestiam indicat. *Cæteris quidem barbaris, & nobis, cœna omni eduliorū genere referta & instructa præparata erat, & in discis argenteis exposita; Attilæ in quadra lignea, & nihil præter carnes. moderatum pariter in omnibus se exhibebat. conuiuis aurea & argentea pocula, quibus bibebant, suppedi-*

peditabantur: Attilæ poculum erat ligneum. Et de Resca Attilæ vxore Priscus: *Nos etiam ad cœnam inuitauit. ad eam, vt erat multis Scythiæ Principibus comitata, accedentes, contigit nobis eius humanitate frui. illa verò nos excepit mellitis & iucundis confabulationibus, & magnifico epularum apparatu. Tum vnusquisq; eorum, qui aderant, surgens, Scythica comitate poculum plenum nobis porrexit, & eum qui biberat, amplexus & osculatus, illud excepit.* Subdit: *Postridie iterum nos Attilas ad cœnam inuitauit, & eodem quo priùs ritu ad eum accessimus, & ad hilaritatẽ nos conuertimus.* De Zenarcho socijsq; Iustini Legatis à Disabulo Turcarũ Principe exceptis Menander: *Inde se ad conuiuium conuerterunt, & quod reliquum fuit diei, in eodem territorio, genio indulgentes transegerunt.* De ebrietate verò, & incontinentia vini socia, in exemplum Legatis sunt Darij Persarum Legati: qui cùm petulantiùs inter pocula, quas putabant mulieres attigissent, Amyntæ Regis iussu cæsi, incontinentiæ & immodici vini præmia retulerunt. Memor deinde quicunque Holofernis, Balsasaris, Samsonis, Alexandri, Dauidis, Salomonis, Hannibalis, Antonij, Herculis fuerit, quid vinum & mulier in viro possint, perfacilè videbit. Iam si incontinentem esse in gente sua turpe, quid erit in aliena? Et cùm è Legati moribus iudicium ferè de gente tota faciamus, quantum inurat genti suæ dedecoris incontinẽtiâ suâ Legatus, nemo non videat. Vt taceam, captum amoribus gentis alienæ, degenerare plurimũ ab affectu gentis suæ. Et incredibile quid mulier in viro possit, quàm validè mentem etiam fortissimi ac prudentissimi, rapiat & in se trahat, ac à se in gentem vniuersam suam transferat. immemor patris & matris suæ est omnis amans, immemor adeò Dei. exempla nos docent, virorum robustissimi Samsonis, sapientissimi Salomonis. illum in interitum, hunc in alienorũ Deorum cultum, vtrumque in dubiam salutem mulier perpulit. quo faciliùs quemcunque Legatum in se trahet. Quid non potest amor? omnium obliuionem, etiam sui, inducit. quo magis fugienda incontinentia Legato est.

Iustitiæ cultor Legatus.

Iustitiæ deinde cultorē Legatum desidero. Neminem dolo circumueniat. abesse à viro forti fraus debet. imbellis ac imbecillis animi dolus omnis est, & de virtute sua diffidentis. Neminē iniustè lædat. improbæ mentis soboles iniusta læsio est. Neminem calumniâ dedecoret. non est virilis animi; muliebris linguæ calumnia est. A cōuicijs verò, vt à veneno, manum retrahat. in conuiciantē conuicia cadunt, quasi in iaculatorem suum retorqueantur tela. Peccauerunt in hac re Romani, qui apud Antiochum Hannibalē calumniati sunt. Peccarunt Philippi Regis Legati, qui adulterino T. Quintij signo litteras signantes, caussam patri dederūt, vt Demetriū filium, tanquam regni insidiatorē, clàm de medio tolleret. Peccauit Siba, qui Miphiboseth dominū suum, Ionathę filiū falsò detulit. credidit deferēti Dauid, & media bonorū parte seruum donauit, dominū spoliauit Fugiet proinde Legatus quidquid quocunque modo iniustitiam redolet; neque enim re aliâ magis Legati integritas apud exteros stabit.

Munificentia Legati.

Munificum præterea Legatum velim. nolo prodigum: liberalem volo. quanquam, si alterutrum necessariò deligendum, prodigum malim, quàm sordidum. profusio vni dum obest Legato, prodest plurimis. sordes inuisæ omnibus, fœdeque legationem cōmaculant. amicos deinde profusio parit, nimia parsimonia hostes. illa fidos, hæc etiam domesticos infidos facit. Nolo opes proijcere tanquā iratum, sed neque recludere tanquam amorem promeritas. Sanè si extorquere regnorum secreta velit, profusione non rarò opus erit. & ferè solo auro abditissima recludas. hoc terris erutum, cordium profunda eruit. nec vllâ re magis exprimas quod voles. proditor domini regnique aurum est, quo vno regna eruuntur, venduntur. nec quidquam tam sanctum est, quod non violet aurum; etiam parentem hosti tradet. Auro ergo Legatus hostilia domino suo reserabit regna. Facit hoc qui regnorū consilia domino aperit. aperiri hæc auro possunt. nec vlla re certiùs. Nec quidquā facilius, quàm vnum è Secretariorum

scribis

ſcribis ſeruiſq́; auro trahere. aude: flectes in quā voles partem. nihil auro imperuium: nec coniugalis quidem thorus.

De Legati eruditione nihil dico. Olim illud fuit,

—— Si bella vocabant,

Miles eram; ſi pax, poſitis toga geſtiet armis.

Alternare vtrumque, prout fors ferebat, Romanū erat. nunc ferè præter nuda vota nihil habemus. Hoc tamen vniuerſim dici poteſt, bellicas res militi, togato pacis committendas, gratulationes nobili, ſplendidas opulētis, & qui profuſionibus Principis tueri dignitatem velint & poſſint. denique pro rerum ad quę quiſque deſtinatur, varietate deligēdum. Eloquentem probo, ſed qui plus rei habeat quàm verborū, plus ſententiarum quàm elegantię. Et verò perrarò in vna ſtabulare mente reperies floridam elocutionē & prudentiam, diuitem dictionē cum diuite ſapientia, & iudicij cum eloquentiæ magnitudine. Ferè enim pauperantur ingenio, qui diuitantur verbis: aut, ſi ingenij illis acies magna, hebetatur iudicium. vtrumque qui aſſecutus fuerit, beatus. *Quales Legati deligendi.*

Hiſtoriarū in primis cognitionē, gentium omnium, voueo Legato: ex hac enim id aſſequetur, vt plurimas ipſe obiuiſſe videri poſſit legationes, dum in varia orbe toto gente, facta, dicta, fortunatos, infortunatoſq́; euentus leget, ad quæ mores ſuos componet, prudentiam colliget, fugienda amplectendaq́; diſcet, labore ſuo non magno. Felix, qui aliorum damno periculiſque, damno ſuo nullo, vitam moreſq́; componit. Nulli Hiſtoricis certiùs docent, nulli tutiùs, nulli minore fuco. nulli audaciùs præeunt, nulli fortiùs. Hos ergo Legatus familiares ſibi faciat. ab his profutura mutuetur: noxia in fugam, bona in ſequelam. Addo hîc tamen, viros doctos ferè legationibus magis idoneos. dicunt ornatiùs, cautiùs, prudentiùs, meliùs certiuſq́; de tractandarū rerum æquitate iudicant; ſecuriùs etiam de pacis, fœderum, matrimonij cōditionibus: reſq́; momentis ſuis ac rationibus accuratiùs ponderant, & moderatiore plerumq; ingenio, magiſq; *Hiſtoriarum cognitio Legato neceſſaria.*

ad

ad ferendum composito. ita tamen si Reip. aliquā aliquando partē tetigerint; magis, si magnā, & in illa spem sui, ac prudētiæ signa magna dederint. nam de nudè litteratis nihil dico.

Non mittendi Legati qui odio laborant apud eos ad quos mittũtur.

Adlaborandum verò, ne qui mittitur Legatus, à quacunque caussa odio apud eos ad quos mittitur laboret. Romani in Sacrum montem Menenium Agrippam, in Auentinum L. Valerium & Horatium, plebi gratissimos miserunt: Iustinianus etiam ad Cosroëm Persarum, Theodorum & Zachariam medicum modestiâ, gratiâ, scientiâ caros: ad Cassium Rhodij Archelaum, quo magistro aliquando vsus fuerat: Iustinus Zenarchum ad Disabulum, cui pro gratia, qua apud ipsum valebat, Persicū bellum persuasit: Magnentius & Britannio Rusticum ad Constantium: Attalus Edeconē ad Tiberium: Isdigundam Cosroës ad Iustinianum: Galerius & Diocletianus Probum ad Narseum Persarū Regem; alij ad alios, è suis deligentes, quos gratissimos fore arbitrabantur. Nam vbi alienior mens à Legato est, nequidquā felicem exitum speres. exasperandis, non cōponendis, animis hæc nata sunt. Quare nullus mittendus Legatus ad Principem erit, quem aliquando offendit. non solent inimicitiarū obliuisci Principes. Demosthenes sanè ire Legatus ad Alexandrum, quem oratione offenderat, noluit. Conuenit etiā Principis maiestati, vt subditum sibi, non externum mittat. minus etiam, illius ad quem mittitur, subditum. Malè hæc res cessit Gallico Francisci Regis Legato ad Franciscum Sforzam, quem olim suum & profugum in vincula coniecit, securi subiecit. Peccauit etiam in eadem re Perseus, qui ad Illyrici Regem, subditum aliquando Gentio Regi Legatum misit. Iurene, an iniuriā Sforza fecerit, non disputo. probare factū non possum: damnare nolo. Moderatior fuit Gentius, & propiùs ex mente mea.

Forma in Legato laudata.

Valet etiam in hanc rem forma. non illa mollis & muliebris, sub qua muliebre regitur ingenium; sed virilis, & quæ virum suum loquitur. Nolo comptum, & à speculo suo factum,

ctum, ne plus de femina quàm de viro circumferat. nolo è capsa & acu natum. forma virum neglecta decet. sordidum tamen nolo, qui arceat, non alliciat & prouocet in familiaritatem. scio sub inculto corpore magna sæpè ingenia latere. docemur in Agesilao, breui, claudo, deformi. Sed in quo mens magna, erecta, decora: vt maior semper ratio ingenij, quàm corporis habenda sit. quòd si vtrumque concessum, beabis; gratior enim ferè est pulcro veniẽs è corpore virtus. Prouocare enim hęc in admirationẽ & amorem solent. cùm sola corporis venustas, si viduata ingenij bonitate sit, risum & cõtemptum excitare veriùs, quàm laudem soleat. Et sunt, qui barbâ solâ & pallio legatione funguntur, alij vestium splendore, famulorũ turba. mutuantur nimirùm ab his prudentiæ opinionẽ, cùm domi non habeãt. At falluntur miseri: vbi enim infantiã suam prodiderint, in dedecus potiùs, quã in laudem, externa erunt. quoq; maior erat ab ascititijs expectatio, eo, cùm interna non respõdeant, contẽptus maior est.

Vestis patriam referat. à qua non facilè degenerabit Legatus. grauis omninò caussa sit, quæ ab illa decedere cogat. Aliquid tamen in hoc genere aliquando factũ à Legatis non nego. Audiamus è Menandro Turoxanthum Turcarum Ducem ad Valentinũ Tiberij Legatum: *Quandoquidẽ, ô Romani, huc venientes me in maximo luctu constitutum offenderitis, (recenter enim pater meus est mortuus) oportet vos facies vestras gladijs deradere, & legi, quæ apud nos in iustis mortuorũ inualuit, obtemperare. Tum confestim Valentinus, & omnes qui cum eo erant, gladijs genas suas deraserunt.* Deliniuit hæc res exasperatum antè animum Turcæ, & mitigauit efferam barbariem, qua Tiberij Legatos minitabundus exceperat. Idem dico in graui luctu, aut Regum Principumq; apud quos versantur morte, non decedere à patrio, quantũ Christiana pietas permittit, vbi versantur, ritu. neque enim deceat, omnibus in mœrore positis, doloremque veste testantibus, vestium hilaritudinem præ se ferre Legatum. ita tamen, vt in hoc lugentium vestium *Patriã ferè veste vtatur.*

genere, non decedat à patrio more, ne in alienam transisse gentem videatur.

Linguâ plurimùm vtatur patriâ.

Linguâ etiam vtatur patriâ: ad imperij enim maiestatem facit linguâ suâ vti. quod in solemnibus legationibus maximè locum habet. Catonem sanè accepimus Græcæ linguæ peritissimum, ne Athenis quidem Atticè, sed Latinè loqui solitum. Æmilius etiam Paullus, Perseo superato, conuocatis Græciæ Principibus, Latinè locutus: quæ Græcè reddidit Octauius Prętor. noluit Paullus, cùm posset, Gręcè loqui, ne maiestati Romanæ quidquã detraxisse videretur. Ciceroni verò vitio datũ, quòd in Græco senatu Græcè verba fecisset. Per interpretem etiam ferè legationes suas obiuisse, Galerij, Maximini, Traiani, Valentiniani, Theodosij, Tiberij, Leonis, Iustiniani, Iustini, Zenonis, aliorumq; Impp. Legatos ad Persas, Sclauinos, Gothos, Hunnos, Abaros, Alanos, Parthos, Scythas, Wandalos, Saracenos, narrant illorum temporum Historici; cùm plerique tamen linguarum illarum periti essent. In priuatis tamen colloquijs, patriâ, in qua versantur, linguâ Legatos vsos video. Quin & Principes linguarum ferè peritos legationibus delegisse lego. Credi enim nõ potest, quanto adiumento Legato linguarum peritia sit, ne vni interpreti, fòrs non fido, & hostili pecuniâ circumuento, Reip. suæ salutem credere cogatur. Et non raro omnem dictionis elegantiam interpres deuenustat, sententiarũ robora negligit, vim eneruat, proprietates non exprimit, seria emollit, exasperat mollia, humanitatẽ verborum rusticitate dedecorat, milleq; modis à verbis ac sententijs decedit. Accidisse hoc Mebodi Persarum Legato apud Menandrum legimus, cui insolentiùs insurgenti cùm Iustinus dixisset, *Non sentis te cum Romanorum Imper. & Iustino sermonem habere? Consternatus Mebodes præ pauore pronus in terram se ad eius pedes prostrauit, negauitque à se talia prolata fuisse. Quâ excusatione cùm vteretur, visus est Imperator adduci, vt fidem haberet; & dixit: Videtur igitur interpres nobis alia pro aliis suggessisse.* Vnus hic interpres ad quæ non

non descendere coëgit Legatum, ac ad quam excusationem offensum Imperatorē! De Bigila etiā interprete suo Maximinus Theodosij ad Attilam Legatus non immeritò dubitauit.

De domesticis, ac comitatu Legati quid dicam? mediocritatem laudo. De Æmiliano Scipione illud Valerij Maximi est: *Scipio Æmilianus post duos inclytos consulatus, totidemque sua præcipua gloria triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est. itaque cùm per socios & exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, sed victoria numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantū amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur.* De Catone verò illud eiusdem: *Si quis tribus seruis comitatus Hispaniam regat, & quingentorū assium sumptu transmarinam prouinciam petat, nónne mirabilis existimetur? atqui ista patientissimè Superior Cato tolerauit.* Quantis comitatum credimus ad legationem processurum, qui ad regendam prouinciam tribus contentus fuit? De posteriore Catone habemus illud apud eundem: *Is cùm bellis ciuilibus interesset, filium secum trahens, duodecim seruos habuit, numero plures quàm Superior; temporum diuersis moribus, pauciores.* Alij septem habuisse, nec plures, referunt. Ducebat exercitum Cato, & se intra hunc seruorum numerum continebat. quid credimus in legationibus facturum? Nunc decus omne, si longo impedimentorū, equorum, curruum, famulorum ordine plateæ fatigentur; si ad vniuersum luxuriæ apparatum explicandum vix domus sufficiat, vt in Comicam pompam delecti Legati videantur. Aliquid tamen in hoc genere dandum moribus gentis ad quam destinatur Legatus, ne nimiùm discedere ab ijs videamur, & damnare sumptu aut inopiâ. Mediocritas in hoc genere à prudentibus semper laudata: damnandæ sordes iuxtà ac profusio. Splendorem tamen Europæis moribus secum Legatus trahat, vt & mittentis, & ad quem mittitur maiestatem tueatur. Nolo contemni parsimoniâ, nolo profusione rideri. Sapiens in medio consistet. nam & nimia parsimonia auaritiam digito designat: quâ qui tenetur, legationem dominumque

Mediocritas in Legati comitatu laudata.

Lib. 4. c. 3

venalem habet. auri quem sitis tenet, aurum bibet, si propinaueris. etiam turbidam bibet quicunque magnâ siti premitur: nec valetudinis aut dignitatis rationem habet. validior nimirùm salute ac dignitate sitis est. obliuiscitur sui suorumque, quisquis nimiâ siti exuritur. Nimia etiam profusio insipientiam prodit. ferè enim qui virtutibus, animorum opibus destituuntur: ad externa decurrunt, vt sapientiæ opinionem ab auro mutuentur, cùm à virtute non possint. moderatum ergo splendorem probo, qui nec auaritiam, nec fastum redoleat.

In comitũ delectu magnam curam Legatus habeat.

In comitum deinde ac famulorum delectu magnam curam adhibeat, vel ob hoc Ciceronis ad Q. Fratrem: *Quos verò aut ex domesticis cõuictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda sunt*. tum quòd ex horum probitate moribusq; iudicium ferè de Legato sumatur. Sed neque omnibus quos delegit sua credet. fidem priùs vniuscuiusque variè tentabit, sequeturq; illud Ciceronis ad Q. Fratrem: *Si quis est, qui tibi nunquã in suspicionem auaritiæ venerit, nihil est, quod non ei & committi & credi rectissimè putem. Sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.* Notat auaritiam, tanquam infidam comitem credendarum rerum. Subdit: *Si quis est ex seruis egregiè fidelis, sit in domesticis rebus ac priuatis. quæ res ad officium imperij tui, atque ad aliquam partem Reip. pertinebunt, de his rebus ne quid attingat. Multa enim, quæ rectè committi seruis fidelibus possunt, tamen sermonis & vituperationis vitandæ caussâ, committenda non sunt.* Æmulationem hæc & inuidiam prouocare solent. & plurimùm, tam diu fidos hos reperies, quàm diu liberaliore manu non prouocantur in alterius fidem. Seruorum hoc ferè est, qui obsequia pręmio, non amore, metiuntur. Quo in genere auctor sim, vt Legatus deligat ex gente sua, & quibus honestæ domi opes, parentes, amici: quos pudor & verecundia suorum in officio teneat.

Alienis

Alienis verò, qui de familia non sunt, quanta fides adhibenda sit, audiamus Ciceronem: *In prouincia verò ipsa, si quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus; huic quantum credendum sit vide. Non quin possint multi esse prouinciales viri boni. sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura; frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur, oratio verò sæpissimè. Quapropter, qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, à quibus nos diuulsi esse non possumus? Quo ex genere si quem fortè tui cognosci amantiorem (fieri enim potest) quàm temporis; hunc ad tuum numerum libenter ascribito. Sin autem id non perspicies, nullum erit genus in familiaritate cauendum magis: propterea quòd & omnes vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ caussâ faciunt; &, quicum victuri non sunt, eius existimationi consulere non curant.* Et ferè aut Legatorũ opibus insidiantur, & commodis suis student, aut callidi consiliorum Legati scrutatores sunt. nulli talium fide silenda, quantumuis probissimus tibi videatur. Quis enim alienis magis studeat, quàm suis & patriæ? è millibus vix vnus. ni fors, aut præmij magnitudine patrium amorem exuerit, aut grauis indignatio, aut accepta domi iniuria, aut metuenda pericula aliò mentem transferant. quanquam & tunc prouidè res pertractanda. dicant illi quæ retecta periculũ auctoribus creare possint, non audiant ex te. & vtere tu aut improbitate, aut ira illorum; sed non effundas, quæ ruborem tibi incutiant, aut damna accersant. Vnum proinde in hoc genere cogita, & sequere: Omnia tuta si suspecta habueris, tutus eris. nusquam hoc certius, quàm in legatione. Facilis proinde ad audiendum Legatus erit, ad fidem tardus; ad præmiandum in dubijs parcus & lentus, in certis celer & profusus: ac dum ipse fidus est omnibus, nulli ipse fidat, nisi quem validè obstrictum tenet. cui tamen nihil credet, quod patriæ, quod sibi damnum creare possit. discetque ex Prisco Rhetore, exemplo Chrysaphij Eunuchi

Quantam fidem externis habere Legatus debeat.

Theodosij, & Bigilæ interpretis Maximini Legati. Magnis muneribus, maioribus sponsionibus cum Edecone Attilæ Legato Eunuchus egerat. spoponderat Edeco. aperuit inde Attilæ comparatam coniurationem, & auri pondus de quo conuenerat. Captus Bigilas, & spe suâ & auro frustratus Eunuchus est. neque enim Bigilam, quem in vincula coniecerat, liberum ire Attilas permisit, nisi auro omni numerato, quod Eunuchus Edeconi spopóderat. benè. neque vnquam probata Eunuchi molitio. Florus mihi testis de Viriato, qui ex venatore latro, ex latrone dux & imperator, &, si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus. post varias de Romanis in Lusitania victorias, *tandem eum Fabius Maximus Consul oppresserat. Sed à successore Seruilio Cæpione violata victoria est; quippe conficiendæ rei cupidus, fractum Ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudes & insidias, & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuisse.* Quin adeò turpissimum hoc facinus visum Romæ, percussorem in hostem mittere; eoque deterius, quia domesticum, & in ea vrbe, *in qua venale Regis Pyrrhi caput offerentem Curius remisit*, aut sanè Fabricius.

Li.2.c.17.

An vxor circumducenda Legato? Tacit. lib. 3. Ann.

De Legatorum vxoribus fortiter sub Tiberio disputatum à Seuero Cæcinna, & Valerio Messallino. Vicit Messallinus, cumq; Cæcinnæ argumētis respondisset, clausit orationem: *Malè eripi maritis consortia rerum secundarum aduersarumque, simul sexum naturâ inualidum deseri, & exponi suo luxu, cupidinibus alienis. Vix præsenti custodiâ manere illæsa coniugia: quid fore si per plures annos in modum dissidij obliterentur?* Et erant exempla maximorum Ducum, qui vxores circumduxerant. Philippi, Magni Alexandri patris, Mithridatis, quem vxor per arma & fugam, aspera iuxtà ac mollia, viro solatium secuta. Liuiam sanè Augustus, dum per Orientem ac Occidentem exercitum ducit, comitem habuit. Druso per Illyricum vxor sociata. Imitatus hoc M. Antoninus Philosophus in sua Faustina, Theodosius in Placilla, Traianus in Plotina, Cæcinna in Salomina.

lomina. Agrippina sanè Caligulæ mater fortiter se & prudenter habuit in Germanicis castris. Caluisij etiam Sabini vxor marito militari habitu sociata. De Zenobia Odenati vxore feminarum generosissima, Capitolinus: *Solita virum in omnibus comitari.* De qua Trebellius ex epistola Aureliani: *Prudens in consiliis, constans in dispositionibus, erga milites grauis, larga cùm necessitas postularet, tristis cùm seueritas posceret. possum dicere, illius esse quòd Odenatus Persas vicit. vixit* verò *regali pompâ more Persico, adorata est more Regum Persarum, conuiuata Imperatorum more. ad conciones galeata processit. venustatis incredibilis. tantus illi candor in dentibus, vt margaritas plerique eam putarent habere, non dentes. Vox plena ac virilis: seueritas, vbi necessitas postulabat, tyrannorum; bonorum Principum clementia, vbi pietas requirebat. larga prudenter, conseruatrix thesaurorum vltra femineum modum. fertur tria, vel etiam quatuor millia frequenter pedibus ambulasse. cuius ea castitas fuisse dicitur, vt nec virum quidem suum sciret, nisi tentatis conceptionibus.* Dignissima imperio, & quæ mulierem suam exuat, virum induat. dignissima quæ duceret in triumphum nō postremos militiæ Duces; indigna quæ duceretur. eoq; magis admiranda, quòd rarissima sit coniunctio formæ & animorum. & non alterum in femina magnum, speciosissimam mulierum dici, aut generosissimam & fortissimam? vtrumque maximum. cum primis Imperatoribus animo, & bellicarũ rerum peritia & prudentia certare potuisse mulierum speciosissimā quis crederet, nisi illius æui scriptores, & Aurelianus ipse testaretur? talem si quis nactus fuerit, sociam admittat profectionum, legationum, bellorum, consiliorũ. De Germanis, Gallis, Scythis, Hunnis, Longobardis, Gothis, reliquisque è Septemtrione nihil dico, Historiæ loquuntur. Quod tamē maximè concedendũ puto in legationibus longioribus, vt solitudinis fastidia vxor tollat, aduersa molliat, aspera mitiget, habeatq; in cuius sinum tutò maritus domestica deponat, incontinentiæ remedium, ægritudinis solamen. Non quòd huic sexui regnorum abdita credenda putem,

Vxori Legatus domini secreta non cõmittat.

tem, neque necessum thalami sociam, sociam habere premendorum. non didicit tacenda premere mulier: ac nescio an teneatur silentij legibus. tanta pronitas naturæ est. quare indulgendum, si commissa edixerit. Damna secuta sunt? primo narratori, non mulieri hæc ascribe. Volebat non vulgari? non credidisset mulieri. credidisse, voluisse vulgare est. nil opus præcone in denuntiandis rebus. vna mulier omnibus præconibus, tubis, tympanisq; potentior est. Committet ergo Legatus vxori, ad quorum narrationem, serâ pœnitudine, non erubescat. nec plura. Nõ quòd omnis vxor talis: sed quòd consultum Legato tutiora in dubijs deligere, certaq; incertis anteponere. nullum à silentio periculum, à narratione est. vitabit pericula prudens, & quidquid ad illa ducit. Sociam ergo Legatus vxorem habeat thalami, mensæ, consiliorum priuatorum, aduersarum secundarumq; rerum, valetudinis bonæ, malæ, opum, & honoris: legationis sociam non habeat. hoc volo: sibi silenda seruabit, & altùm premet quidquid Remp. tangit. Prouidebit deinde, ne aliarum consuetudine, patriæ oblita mores imbibat non patrios, ne trãseat in alienos, ne vitia gentis nõn suæ hauriat, ne, dum placent externa, domestica displiceant; ne familiaritate vtatur minùs probatorum. Periculum enim omnino est, ne ex frequenti talium consuetudine, tacita ac ignara vitia omnia perbibat gentis alienę: non cogitantibus enim nobis irrepere hæc solent. ardua virtutum, facilis vitiorum imitatio est. neque vsquam pronior, quàm in feminis: quæ mutuâ pectoris retectione, dum nihil celant, in paria inuitant. nec delictum graue arbitrantur, si mulierem ducem mulier sequatur. Nullarum proinde vxori nisi probatissimarum familiaritatem permittet, quarum consuetudine discere imitanda, dediscere fugienda possit.

Auertet autem & arcebit à domo sua, quorum meritò fidem suspectam habere debet. Multa promittunt? ne fide. habent enim Regũ aulæ impostores mentiri & fallere doctos, qui

qui blandis verbis, & ſpe nudâ grauidis, magnarumq; rerum oſtentatione, vel iniecto etiam timore, ſub amici ſpecie ab officio deducunt, ac mandata eludunt. Eluſit Alcibiades Lacedæmoniorum Legatos, qui cùm generosè in ſenatu cauſſam egiſſent, ac tantùm-non perſuaſiſſent, ſuaſit frigidè apud populum agerent. perſuaſit: & bella è frigore hoc nata ſunt. Pyrrhus etiam Fabricium tentauit auro; immiſſo deinde elephante, ſtetit auro infractus, beſtijs terror. Ac ſanè ſuſpecta conſilia hoſtilia omnia Legato eſſe debent. hoſtilia ſunt. quis prudens fidat hoſti? neque tamen auctor ſim, vt à congreſſu ſuo illos prohibeat, aut ſe in ſolidum ſubducat. quin adeò audiat: non fidat. Laudant? fallere volunt. Spondent? inſidias parari credat. Regem ſuum damnant? meditantur dolos, & audire volunt quid ſentiat Legatus. Legati Principem laudant? vituperationes ſub hac laude latent. Qua in re hoc etiam monitum Legatum velim, ne hoſpitale in ſe munus in alieno regno facilè admittat. vendit libertatem, qui hoſpitium admiſit; non minùs, quàm qui dona. Non negligat interim eos, qui auctoritate, gratiâ, potentiâ plurimùm in eo regno poſſunt. vltrò eos etiam nonnunquam adeat: Regum quoque ac Principum prouinciarum aliarum Legatos; ſed rariùs, ne quis iuſtus metus ſuſpicionis alicuius oboriatur.

Principis verò, ad quem mittitur, ſeriò mores, vitam, virtutes, vitia, molitiones, quibuſq; in terrorem impelli, quibus accedi, quibus placari, quibus ad arma proſilire, quibus delectari & capi, quibus deniq; offendi cõſueuerit, perſcrutetur: gentis etiam vniuerſæ ingenium, robora, opes, conſtantiam: quãtos educere in bella ſoleant, quantos ordinarijs extraordinariiſq; ſubſidiis poſſint, ærarij magnitudinem, armorum copiam, regni propugnacula, nobilitatis numerum, vires, opes, animos, propenſiones, togatorum eruditionem, prudentiá, pectus, & qua quiſque apud Principem auctoritate, qua apud populum; qua ſe, reſq; ſuas, verbaque, ſingulorum *Principis, ad quem mittitur mores diſcat.*

Aaa mori-

moribus temperet, quæq; fugienda, quæque amplectenda dispiciat, remediaq; nocituris adhibeat, profuturis incumbat: ac à se suisque bella amoueat, in communem hostem transferat. Cauendũ verò, ne, licèt amplissimam nactus materiam, Principis apud quem versatur, dicta factaque, etiam palàm scelera damnet. intacta potiùs transeat; ac in oculos omnium incurrentia, solus ipse non videat. nihil tutò apud hostem damnatur. Sed neque dum nimio in Principẽ suosq; studio fertur, trahi se in inuidiosam partium comparationẽ patiatur. Peccatum in hac re à Bigila, cùm in mensa Attilæ inter pocula eò prolapsus est, vt negaret componi Attilam cum Theodosio posse, non magis quàm hominem cum Deo. ac nisi in barbaro ius gentiũ valuisset, temerario mensam purpurasset sanguine.

Principis sui dignitatem tueatur. Principis autem, à quo mittitur, dignitatem, auctoritatem, prudentiæ ac munificentiæ opinionem, vires, arma, paratos in omnem partem animos, in bella iuxtà ac pacem; in præmiando liberalitatem, in remittẽdis offensionibus facilitatem, in arduis constantiam, in prosperis moderationẽ, infractos in aduersis animos, in secundis modestiam, in sponsionibus firmitudinem, in punitionibus lenitatem, in acceptis iniurijs obliuionem, in remunerando memoriam commendet. Si nihil habeat, quod admodùm laudet, alto premat omnia silentio. vitia nunquã attingat: obiecta mitiget, aut aliò sermonẽ flectat. Peccarunt in hac re Demetrij ad Lysimachum Legati, Regis sui incontinentiam narrantes. peccauit Bonus, qui facilem, ac in iracundiam effusum Iustinum Imperatorem Baiano aperuit.

Legati quemadmodum excipiẽdi? De Legatorum admissione dici multa possunt. Excipiendi beneuolè, liberaliter habendi, amicè compellandi; etiam eorum, quos odio prosequimur. Peccarunt in hac re Achæi, cùm Romanorum Legatos excluserunt: Demetrius etiam Rex. de quo illud Plutarchi, *Difficiles aditus, superba responsa, intolerabilis fastus*. qui cùm Atheniensium Legatos duos annos

annos tenuisset, inauditos dimisit. Nisi fors Reip. salus differendam Legatorum admissionem suadeat. Factum à Persis, cùm Martinum pacificatorium Legatum remorati sunt, donec propugnacula erigerent regno firmando. Hormisda etiam Cosrois successor admittere distulit, donec de milite & cõmeatu regno prospexisset. Cosroës, Menandro teste, *dilatione vsus: volebat enim & bellum gerere, & legationem excipere, adeóque terrorem sui Romanis inicere.* Idem à Peraso Parthorum Rege in Constantio Legato, quem, post longam Edessæ cõmorationem, admisit, cautè habuit, re infectâ dimisit; & à Wandalis in Tatiano Patricio Leonis Legato; à Genserico in Martiani Imp Legatis; à Sapore Persarum Rege in Valeriano. tenuit Legatos, arma parauit, abeuntes armatus secutus. Menophilus Romanus Mysię Dux, Carporum Legatos non admisit, nisi in medio armati exercitus: indè post quatuor menses redire iussit. addidit deinde tres alios, & spectatores exercitus sui habuit, tandemque re infectâ dimisit. Factum propè idem ab Hormisda Cosrois successore in Zacharia & Theodoro Tiberij Legatis, quibus maximorum Legatorum potestatem concesserat, quos varijs itineribus lusit, *& ex aliis locis in alia loca, huc illuc errantes & palantes traducebat.* arma nimirùm interim parabat, commeatum, reliquaq; bello necessaria. Et à Iustiniano, qui, Menandro referente, Iustini consilio, Abarorum Legatos diu Byzantij tenuit; quòd sciret Abaros Istrum non traiecturos, nisi Legati redissent: interim Bonum fluminis custodiæ præfecit, impedimentaque traiectui iniecit. Constantinus Mestrianum Licinij Legatũ *longo tempore detinuit, dum ad belli incerta animum adijceret; quia qui partes Licinij fouebant, occulta machinatione vtentes, quò minùs Constantinus Imperij gubernacula capesseret, moram iniiciebant.* Auctor Petrus Patricius. Aurelianus Imp. Dexippo narrante, Iuthungorum Legatos non antè admisit, *quàm militum aciem condictâ die, tanquam ad pugnam instruxisset. Vbi illi rectè se habere visa est exercitus dispositio, altum suggestum, purpurâ indutus, a-*

 scendit.

ſcendit. his ita præparatis Juthungos iuſſit adeſſe. Vt hæc viderunt, accidit eos perterrefieri, & longo tempore ſilentium tenuerunt. Iuſtinus etiam Cunimundi Gepidarum Regis Legatos dilatione ac procraſtinatione, Menandro teſte, traxit. Differenda proinde aliquando Legatorum admiſſio, acceleranda aliquando. quod ferè prudentiæ relinquendum. neque certi quidquam in tanta rerum varietate ſtatui poteſt. Vt plurimùm tamen citò admittendi, dimittendiq; citò videntur.

Legatis quomodo reſpondeat Princeps.

In reſpondendo verò illud Theodorici Gothorum Regis ſemper mihi placuit: *Qui, intromiſſis ad ſe Legatis, plurima audiuit, pauciſſima reddidit.* Facilis in prolixis colloquijs lapſus & error eſt. dedecent hæc Principem. & verò cùm inimiciſſima conſilijs & prudentiæ celeritas ſit, quam ſera ferè & inutilis comitatur pœnitētia, cùm præcipitata, ac quaſi ruentia conſilia ac reſponſa in integrum reſtitui non poſſint, dedeceatq; Principem dictorum reuocatio; conſultiſſimū erit, nihil vnquam ſubitum Legatis reſpondere. iniecta mora conſilijs locum tribuit; accelerata reſponſio excludit. Scio nihil ſatis illi feſtinari, quē indignatio, ira, metúſue excruciat. ſic illi quoque ſol eſt lentus, qui noctem inſomnem ducit. Sed vincenda quæ cruciant, ratione ſunt, & damnis periculiſq; celeritatem comitantibus. Peccaſſe celeritate nimiâ Turoxanthum Turcarum Ducem in Tiberij Cæſaris Legato Valentino video, cùm cōmotior erumperet in iram & minas: Laurentius etiam Sclauinorum Princeps in hoc genere peccauit, & Zeno in Balamerum, & Theodoricum Traiani filium: Leo in Amorceſum: Sapor in Denathum. Prolixiùs etiam, & præter Imperatorium decus Aurelianus cùm Iuthungorum Legatis egit. prolixior dein Iulianus apud Chamanos eſt; & Coſroës apud Petrum Iuſtiniani Legatum de Suauia, fuiſſētne Lazis olim ſubiecta, an ſecùs. in qua diſputatione non ſemel Rex ſuccubuit. Turpe Regem palàm vinci, turpius conuictum in alienę rei poſſeſſione perſiſtere. Fateri iniuſtitiam ſuam Regi durum: aliena poſſidere, iniuſtum. In has ſe anguſtias diſputatione

tatione suâ coniecit Cosroës. molliùs tutiusque per alios disputatio instituitur. nec dedecus in alio succumbere.

Quid? quòd Legatis suspectis extra vrbem aliquando senatus datus. Factum Romæ in Legatis Nabidis tyranni in Apollinis æde: & in æde Bellonę, Carthaginensium Legatis. quin & egredi iussi. ita, Polybio auctore, senatus Persei Legatos extemplò mœnibus vrbis, Italiâ intra trigesimum diem excedere iussit.

Legationem nonnunquam suam differt Legatus. vel cùm auro corruptus, perire rem morâ, quæ celeritate egebat, sperat posse. obiectum hoc Æschini à Demosthene. Vel cùm legatio suscipitur, vt tempus veriùs teratur, aut prorogetur. fecit Themistocles ad Lacedæmonios missus, vt, dum spe & legationis expectatione Sparta tenetur, subdolas suas Athenienses molitiones exequendi tempus haberent. factũ quod voluerunt, & spe suâ frustrati Lacedęmones, nimiâ hostili fiduciâ delusi sunt. Prudentiùs arma parãtur, exemplo Turoxanthi Turcarum Ducis, dum Valentinũ Tiberij Legatum operit: Cosrois Persarum Regis, dum Theodorum eiusdem Imperatoris Legatum expectat: Chagani Abarorum Ducis, qui, dum Legati vltrò citroque commeant, Saum flumen ponte insternit. Wandalus etiã cùm, teste Malcho, *didicisset legationem ad se à Zenone venire, præoccupauit cum classe traijcere, & Nicopolim cepit. Seuerus autem Legatus soluens è Sicilia, Carthaginem venit, & magnoperè questus est, quòd classe transmisisset. Ille verò dixit, se hæc vt hostem fecisse, nunc, cùm de pace ad eum Legatus missus sit, sermonem excipere.* *Legatio aliquando differenda.*

Sed neque hostili Legato prudens Princeps curiosam regni inspectionem permittet, arcebitq; omninò ab inualidis regni finibus; nec ad ea admittet, quæ prouocare in arma hostes solent, & audaciam animosq; addunt. Peccauit in hac re Ezechias Rex, cùm Babylonijs Legatis *ostendit domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia, quæ habere poterat in* *Non permittenda Legato curiosior regni inspectio.* 4.Reg.20

 the-

thesauris suis. Et audit per Isaiam: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderũt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonẽ*. Peccauit etiam Leo Imperator, cùm Petrum Legatum Saraceni Principis, teste Malcho Philadelphiensi, *per vrbes circumduxit, armis vacuas & delicijs plenas*.

Animus Legatis perturbatis addendus.

Quòd siquando Legatum regiæ maiestatis timor occupauit, regiæ benignitatis est animos & audaciam addere. Senatus sanè Romanus Eumenẽ Regem, cùm aut dicere nollet, aut non posset, excedere in alterum diem templo iussit: redijt, animos sumpsit, dixit, placuit. à Demetrio etiã in paterna caussa hærente, patris commentarium poposcit, &, vt verecundiæ consuleret, recitare permisit, plusq; filij pudori, quã patris integritati tribuit. Nõ ingratus hic Legatorũ pudor Regibus. diuinũ aliquid spirare videtur. nec enim ab alio ferè, quã à maiestate & augusta specie hic pudor. Quo magis humanitatis regiæ est, beneuolẽtiã & comitate hunc detergere, & verborũ aliquid miscere humaniorum, quibus verecundiæ cursus secetur, pulsoq; rubore animus sibi reddatur.

Probitas & pietas in Legato laudata.

De Legatorũ probitate & pietate nihil dico. nimis virtutis huius necessitas nota, cùm & hostes rapiat in admirationem. Rapuit Pyrrhum Fabricij integritas, Samnites Curij, Ætolos Tuberonis, Attilam Maximini & Prisci Legatorum Theodosij continentia. ipsa Prisci verba dabo: *Vici domina, quondam vna ex Bledæ vxoribus, cibaria, & mulieres formosas (hoc enim apud Scythas honori ducitur suppeditauit. Mulieribus pro cibis præbitis gratias egimus, & sub tectis nostris somnum capientes, ab earũm consuetudine abstinuimus*. Admirationi continentia fuit. Fuerat antè in Hispania Scipionis. Et sanè probitatis ea vis est, vt amorem etiam barbaris conciliet. Conciliauit apud Wandalum Seuero Zenonis Legato; Petro etiã apud Cosroëm Iustiniani Legato; aliisq; apud alios. Iam amor à Legato ferè abit in vniuersam gentem. & admirari, laudare, amare populum incipimus, cuius Legatum admiramur, laudamus, amamus. tanta vis virtutis est. Ex vno enim ferè reliquos

liquos

quos æstimamus: maximeq; Principem. neque sub improbo impioq; capite, tam proba piaque membra enasci arbitramur. è ramis de arboris trunco, è pampinis de vinea, è frumento de area, è frutice de radice iudicium ferimus. Neque quisquã facilè sibi persuadet, pium ab impio Principe in Legatum deligendum. probitatis enim opinio venerationem prouocare solet: hęc fiduciam. magna namque fiduciæ prouocatrix probitas est; quæ radios suos eo certiùs inter hostes quàm inter amicos diffundit, quo maiores in illis censores, seuerioresq; æstimatores sortitur. & plerumq; vitia obtenebrat amor: hostilitas nihil abditũ permittit; eruit etiam minima, & detenebrat denubilatq; quidquid amor integit, & in plenum solem educit. Vt ille meritò pius probusq; haberi debeat, qui hostili sententiâ pius probusq; est. neque enim in laudibus mentiri odia solent, & commendationem in hoste æmulatio ignorat, sagacissima morũ in inimico indagatrix: semper ingeniosum in hoste odium fuit, semper æmulatio solers. Laudat amicus? ne crede. mentitur amor; & dandum hoc amori est. Laudat hostis? crede. nihil in laudibus de suo addit; odium adderet, si damnaret. Huc accedit, Deum ferè pietatis conatus felicitare, proborumque studia prosperare. Sed & pietati plurimũ moderatus quidam timor permistus est, qui regula quędam prudentiæ est: cùm temeritas nimiaq; audacia stoliditatis mater sit. Perfectione carent abortiui partus, quales audacia protrudit. non carent illâ quos prudens timor mensibus suis maturauit, & timidè ac verecundè protrusit. Studiũ proinde Legati maximũ sit in pietate ac probitate consequenda. quâ vnâ se aduersus omnium calumnias ac insidias tutabitur, & in peregrino ac hostili regno laudatores reperiet: plurimaq; pietati probitatiq; ab illarum admiratoribus concedi sentiet, quæ sine illis nequidquam sperasset. Cùm verò pietatẽ colet, tum religionis fortissimus propugnator sit, à qua nullis se minis, nullo abduci auro patiatur. omnibus his potior illi religio erit. Quid verò, si Princeps

ceps aliquid imperet, quod cum Deo & religione pugnet? obaudiet Deo & religioni, etiã morte proposità; gloriosiusq; sanguinẽ pro illa fundet, quàm cõtra illam seruabit. Et quid, si furta, adulteria, parricidia suadeat Princeps, obsequendum erit? vetat Deus, imperat Princeps. vtri obtemperandum? au-
Actor. 4. diamus Petrum: *Si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum, iudicate.* Verùm, si minas intentet Princeps, si exi-
Matth. 10 lia, si ferrum? audi Dominum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Liberali stipendio Legati habendi. Stipendia tandem liberali Principis manu in Legatos suos profundi velim, vt non modò pro Principum dignitate ac splendore, familiæ suæ decus tueantur, sed & quod largiri possint habeãt, nec redeant nisi domesticis fortunis aucti, aut ea sanè suppetãt, quæ augendis satis sint. Miserum, de suo legationem obire. miserrimum, per legationes suis exui ac exhauriri. periculo etiã plenum, aut egestate Legatum premi, aut alieno ære grauari, aut suis denudari. Grãde malum necessitas, quæ non rarò integerrimorum naufragia peperit, ac Rempub. secum traxit. Vxor, proles, & egestas quid non audeant? & ad quæ non illidant innocentiæ ratem? Notum est quid possit desperatio: nota paupertatis inuerecundia. durũ, sua Principi profundere, & à quo augmenta sperabas, decrementa nasci. ac quasi præmia in illum, cui laboraueras, conferre. Non cadunt hæc in generosum Principẽ, quem nemo suorũ beneficijs vincet. turpe beneficijs Principẽ vinci. Nec cadunt in prudentem. nemo prudens fidei suorum nauem egestatis scopulis illidit, ne in tabulas soluatur, & extrema malorũ in extrema illorũ rapiant remedia; discatq; inimicas opes venerari, qui domesticis exutus est; & ad fœnerariã hostilem aram vota deponere, qui domesticâ careat. Amare, præmiari, fortunas suorũ augere, Principis est: Deoq; simillimum est, posse dare, & velle. irremuneratos suorũ labores, ac quasi naufragos transire, nec Principis, nec patris, adeoq;

nec

nec domini est; tyranni est, aut sanè inglorij pectoris, & sceptro indigni est. Et mihi quidem semper ea animo sedit sententia, tanto plus Principem accipere, quanto plus dederit, tantoq; diuitari magis, quanto erogauerit magis: vt dedisse accepisse sit. dona enim Legatos in sudorē & fidem impellūt. ac licèt non desint, qui extra illa fidem seruent: nemo tamen tanto conatu in indotatā, quanto in dotatam fertur fidem. Neque ideò tamē fidem prodet vir bonus; sed non extendet tanto nisu, nec redibit in Principē tanto fœnore irremuneratus sudor. industriam, diligentiam, vigilantiam, labores pręmia exacuunt. tolle hæc, quis gratuitò erit bonus? ne malus quidem quisquam gratuitò est: quo minùs bonus. E maiore verò Legati labore ac conatu, maiora cōmoda, & regno suo emolumenta sperare Princeps potest. sperata præmia illa dabunt, magis collata & accepta: pinguescit enim legationis solum pingui donatiuâ pluuiâ, dominumq; suum fœnerariâ redhibitione beat. plus nimirū roris & aquæ, plus fructuum.

Multæ hîc à non vltimis moueri quæstiones solent de Legati loco. Inueterata hæc annorū multorum scabies est; quis vngue tangat, & non aliquā referat saniem? sed & ingens & valida partium pugna est, quis prudens medium se conijciat? hoc tamen dicam: Memor sit Legatus veteris consuetudinis, mandatorumq; domini sui. peccare non poterit, si ab hac regula non decesserit. Memor sit, Orobazium Parthorū Legatum, quòd Syllæ nobiliorem in consessu sellam concessisset, necari iussum; & Demagoram mulctatum Athenis, quòd Persarum Regi gentilitiū cultum exhibuisset; Demadem etiam, qui similes Alexandro honores exhibuisset: quāto fortiùs Legatū puniuissent, qui indigniori cessisset? non probo facta: narro. Prudentiùs mihi Theodosij Legatus, Persarum Regi obuiàm factus ex equo descendit: nam & ad honorem obstupuit barbarus, & petita concessit. Prudentiâ in his opus magna, aliquid etiam largiendum tempori. quòd si periculum subnatum, ne quid contra regiam maiestatem admittatur, subducat se publicis his inuidiosis congressibus Legatus.

De Legati loco.

tus. non poteſt? ægritudinem ſemper adferre poteſt. nemo meritò huic indignetur.

De Legatorum vxoribus. Idem dico de Legatorum vxoribus. ſequuntur illæ mariti conditionem in publicis congreſſibus: de priuatis nihil dico. quòd ſi quæ illuſtrior genere inferioris Principis Legato nupſerit, vitet congreſſus publicos, ne infra generis dignitatem detrudatur.

De mutuis Legatorũ viſitationibus. Quod ad mutuas Legatorum viſitationes ſpectat; qui poſteriores veniunt, primi ab alijs viſitantur. is ſolet nimirùm honor aduenientibus deferri.

De Legatorũ filiis. De Legatorũ filijs in legatione natis hoc dicam, frui iiſdem naſcendi priuilegijs, quibus fruuntur in patrio ſolo nati. & barbarum videri poſſet, in regio obſequio verſari, & obſequij pœnam in filio ferre, pro labore nimirũ & benefactis pœnã.

CAPVT XXVII.

Quibus modis vitari peccata poſſunt?

I. Otium vitandum. OTIVM deuita. Mens ſerijs diſtenta rebus, grauibuſq; & varijs laſſata vix locũ peccato concedit. Hinc illud Bernardi: *Ex otio atq; ignauia cogitationes prauæ, & cõcupiſcentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis ſuccumbens in peccato periclitetur.* Ventorũ ac tempeſtatũ animi cauſſa otiũ. hinc fœdæ pectoris iactationes, & fluctus decumanis ſæuiores, & vix è tabula ſalus. Eripitur menti Deus ſol magnus: ſuccedũt tenebræ, & in vicem lucis nox alta, & denſæ vndiq; nebulæ: atq; exinde errorum breuia & ſcopuli, & miſeræ mortes nullâ arte medicandæ. In Bernardi ſentẽtia eſt Polybius: *Otium pernicioſiſſimum eſt, & fons & origo ſeditionũ omnium*, ſcelerum omnium. & quid ſperes è fonte amaro, ſi non riuos amaros? quid è noxia ſcaturigine, ſi non noxia flumina? quid è venenario torrẽte, ſi non funeſtos exitus? Confirmat Sapiens: *Multam malitiam docuit otioſitas*: *Eccli. 33.* magna improbitatis ſchola, ſcelerum officina; è qua tanquã è Vulcani ſpecu, fornacibus, incude, quidquid vbique ſcelerum, procuditur. vt verè Iuſtinianus: *Sicut aqua,*

quæ

quæ caret decursu, & iacet in foueis, putrescit, & humano vsui aliena efficitur, repleturq; animalibus venenatis & noxiis: ita & corpus otij tabe confectum, concupiscentiarũ & voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniã. Remediũ ab imperatoribus mutuatur Seneca: *Magni imperatores, cùm malè parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent. Nunquã vacat lasciuire districtis: nihilq; tam certũ est, quàm otij vitia negotio discuti.* Omnia proinde vitia negotio discutias, cùm fæcundissima malorum parens, omnia producat. Imitemur proinde belli Duces, qui militarẽ insolentiã laboribus frangunt, in armis ambulando, campum decurrendo, fossas & propugnacula moliendo, vt per hæc aliaq; incõmoda, bella pati discant. Nos insolentem carnem vitiaq; laboribus domemus. nullus sceleri locus est, cùm serijs animus distringitur. obrue hunc & fatiga profuturis, ne, si velit, admittere nocitura possit. quòd si ad noxia rapiatur, tu aliò flecte habenas. Agitur in præcipitia, & montium abrupta? in plana, & tuta impelle. nulla certior victoria, nulla minus sanguinis dabit, quàm quę, vt primùm pericula insonuerint, aliò cogitationes vertit, & mentem occupat & fatigat alijs, vt nec otio, nec sceleribus locus sit.

Ab Epicuro est: *Aliquis vir bonus nobis eligendus, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquã illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Magna vox ab Epicureã cathedra. ô! vbi sumus Christiani? ab Epicuro voluptatum magistro vincimur. Addo Senecam Stoicum: *Magna pars peccatorũ tollitur, si peccaturis testis assistat. aliquẽ habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretũ suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantũ, sed etiam cogitatus emendat! ô felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriã quoque eius se componat atque ordinet. Opus est aliquo, ad quem mores tui se ipsi exigant. nisi ad regulam, praua non corriges.* Elige Franciscum. nimis riget? elige remissioris animi Dominicũ. nimis sudat? elige Brunonem. nimia hunc solitudo comitatur? elige Augustinũ. displicent tanta studia? elige Hieronymũ. non placet Bethleem? elige Antonium. horres ad eremi nomẽ, ad aquam & polentam?

II. *Aliquis nobis proponendus in testem actionum nostrarum*

 elige

elige Ignatium. durior tibi videtur obedientia? elige aliquē, cuius tibi vita & oratio placet: quem propositū tibi semper habeas, vel in monitorē, vel in custodē, vel in ducē, & exemplum. Breuiter alibi idem Epicurus: *Sic fac omnia tanquā spectet aliquis*. Et non pleraque scelera cadunt in oculis spectatoris? furta sanè & libidinē testis tollit. Addo illud Senecæ, verbis alijs, re idem: *Sic viue, tanquā sub alicuius boni viri, ac semper præsentis oculis. sic verò facias quæcunque facis, tanquā si spectet aliquis.* quis mulierē aut aliena tanget, teste præsente? Addit: *Omnia nobis mala solitudo persuadet*. nam in publico quis peccabit? secretum vitia poscūt. perpauci palàm mali sunt. fugiunt conspectū scelera, secreto gaudent. Subdit: *Cùm iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum: interim te aliquorū auctoritate custodi.* Sanctorum ille aliquis sit, è magnis & grauibus, coram quo peccare non audeas: Petrus, Paullus, Ioannes, Laurētius, Stephanus, Polycarpus, Basilius, Chrysostomus, Nazianzenus, Ambrosius, Gregorius, Augustinus, Hieronymus, aut quicunque alius, cuius oculos & maiestatem verearis, & ad cuius frontem erubescas.

III. *A peccati notitia remedia contra peccatū sumenda.*

Ab Epicuro etiam venit: *Initium salutis notitia peccati*: vel in remediū, vel in fugam. firmat Seneca: *Nam qui peccasse se nescit, corrigi non vult*. imò non potest, quādiu illum ignoratio hæc tenet. *Deprehendas te oportet, antequā emendes*. Et quis emendet ignorata? cognitionē emendatio deposcit. Subiungit: *Quidā vitiis gloriantur. tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutū loco numerat?* non magis, quàm qui morbum pro valetudine bona habet. Claudit: *Ideò quantū potes teipsum coargue, inquire in te: accusatoris primū partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè deprecatoris. aliquando te offende*. Beatus, qui factus est accusator sui; magis, qui iudex: qui plus semper alijs, quàm sibi ignoscit: in alios clemens, in se seuerus: qui nusquam sibi parcit, nusquā blanditur. Magna hic de se promittet, magna dabit. nec multò, exurget in virum sæculo non tantùm suo, sed omni dignissimū, posteritati in imitationem, ætati suæ in exemplum, omnibus in admirationē & laudem. Deprecator dein-

deinde accedat: ac quasi à se pœnã deprecetur, meliora spondeat. Faciet, si se vereatur, si animũ suum, si iudicem manum. magis etiam, si ad Deum decurrat, ad illius genua supplex rei personã induat, deprecatoris & supplicis. quanquam faciliùs hunc flectet, si iudicio se suo antè stiterit, pœnas de se sumpserit, & seueritate potiùs in se quàm indulgẽtiâ peccauerit. Non solet sæuire bis Deus: facilis in veniam est, si non facilis in se sit homo. qui quo in se asperior fuerit & durior, ac ad ignoscendum tardior, ad puniendũ pronior; hoc benigniorem experietur in se Deum, flecti ad preces facilem, magisq; ad vltroneas, nec imperatas pœnas.

Consideratio grauitatis peccati, & molestiarũ quas animo parat. Monet hîc Seneca: *Bona conscientia prodire vult & conspici: ipsas nequitia tenebras timet.* tanta fiducia est conscientiæ bonæ. amat videri, audiri, & secretum suum vult prodi. quia omne illi secretum à virtute, & in illam. quare nec testem auersatur, nec timet. At mala conscientia tenebras amat, & amicum etiã pectus ac oculos fugit. nox illi pro securitate, pro ferro & vallo est. amica enim sceleribus nox est. quanquã & ipsas tenebras scelerati timeant, & dum solitudinẽ quærunt, solitudine terrentur. Signa hæc grauitatis peccati sunt, quod nec dies securos, nec noctes patitur. Subdit Seneca: *Eleganter ab Epicuro dictũ: Ideò non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi felicitatẽ habent, fiduciã non habent. ita est. tuta scelera esse non possunt; secura non possunt. quia prima & maxima peccantium pœna est, peccasse. nec vllum scelus, licèt illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur ac vindicet, impunitum est; quoniã sceleris in scelere suppliciũ est. Sed nihilominus & hæc, & illa secundæ pœnæ premunt ac sequuntur: timere semper, & expauescere, & securitati diffidere.* Addit: *Hîc consentiamus, mala facinora conscientiâ flagellari, eò quòd perpetua illam sollicitudo vrget & verberat, quòd sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Ideò nunquã fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit. propriũ autem est nocentiũ trepidare.* Vera nimis hæc sunt. &, quod miremur, ab Epicurea & Stoica schola. Lætitia aliquãdo in sceleri-

IV. *Consideratio grauitatis peccati.*

leribus est,fiducia esse non potest; cùm nemo peccans sat animo fidere suo possit. quare nunquã securus sui est,cùm perpetuus eum teneat metus omni peccato implexus, perpetuusq; agitet timor sceleris indiuiduus comes. neq; cuiusquã facilè conscientia tam altè sopita est, vt sceleris aculeos non sentiat. Emoritur nõ rarò caro,& ignara doloris iacet,& frustra ferrum sæuit. non accidit hoc animo. sentit stimulos,& factus carnifex sui,non dies,non noctes patitur securas,ac in medio scelerum monet,omniaq; etiam tuta timet; parietes adeò,& domus suæ tecta,lectum,mensam,ensem etiã suum: & quæ in tutelam alijs,ipsi in metum sunt. ita nulli, nocens conscientia,dum fidit,nulli satis tutò se committit. in fronte etiam scelera sua legi arbitratur. ita proditor sui scelus est.

Nihil cuiq; nouum,metum hunc pauoremq; peccato innexum,si sceleris cuiusq; atrocitatẽ consideret,si diuinorum præceptorũ magnitudinẽ,si imperantis magni Dei augustã maiestatẽ,si violata imperia,non Regis,aut magni Ducis,sed præpotentis Dei,si temeratã Christi mortem, & sanguinem pro salute nostra tam prodigè fusum, quàm prodigè à peccatore neglectũ & calcatum,si inaudita sæculis,in omni barbarie,ingratitudine spretam deletamq; ingentium in nos diuinorum beneficiorum memoriam; si nullo vnquam æuo moriturarum inferorum pœnarum acerbitatem; si cælorum & felicitatis æternæ exilia æterna.

V. *Considera- tio fœdita- tis peccati.* Ipsa peccati fœditas meritò terrere & auocare à delicto debeat. Est hinc illud Bernardi: *Quis nostrûm exteriorem hanc vestem,quâ tegitur,si repentè obscenis vndiq; sputis illitam,& fœdissimis quibusque sordibus inquinatam consideret,non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignanter abiiciat? itaque qui non vestem,sed seipsum intus sub veste talem reperit, eo ampliùs doleat,& animo cõsternetur oportet,quo propiùs tolerat quod exhorret.* Et quid fœdius,quàm hominem Dei magni imaginem, per peccatum imaginem induere dæmonis, diuini nominis iam inde à primordio hostis acerrimi? & hostilia circumferre signa? ac in inferorũ acie contra Deum stare? Facit hoc omnis pec-

peccator, ſcelere ipſo inimicus factus Dei, dæmonis amicus; & iuratus hoſtis Dei, iuratus amicus, ſeruus & miles dęmonis, & pars hereditatis huius in ignibus æternis peccato debitis.

Cogitatio præſentis & intuentis Dei. Seneca monet: *Vbiq; & omnibus præſtò eſt.* Et alibi: *Quocunq; te flexeris, ibi illum videbis occurrentē tibi. nihil ab illo vacat: opus ſuum ipſe implet.* Præſens ergo Deus omnibus, ſi in omnē flexum tibi adeſt. Addit: *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus.* Hunc verò vniuerſum hominem occupare, præſentemq; vbique corpori eſſe, omniū Philoſophorū ſententiā diſcimus. Occupat ergo ex ſententia Senecæ omne vniuerſum Deus: quo fit, vt præſens adſit omnibus, intueaturq; coràm omnia, nec quidquam illum lateat, vt nec animam corporis: ac ne cogitationes quidem noſtræ. Vnde illud Epicteti: *Deus eſt prouidens omnia, & quem latere non poſſis, non modò ſi facias aliquid, ſed etiam ſi cogites, aut in animum inducas.* Potuit aliquid Chriſtianius, & ad rem noſtram clarius? Nec minùs Seneca: *Propè eſt à te Deus, tecum eſt; intus eſt. ita dico ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumq; noſtrorum obſeruator & cuſtos. hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat.* Benè, malè; pro meritorū magnitudine, præmia pœnaſq; deſignādo. hunc ergo qui credit, qui cogitat, præſentē, intuentem, præmiantē, punientem, qua fronte, aut non ſequetur imperantē, aut imperata negliget? Quis in oculis Regis, regia violabit imperiā? quis, præſente iudice, ſanguine luenda cōmittet? & ad regias indignationes, ad iudicum minas retrahimus manum, non retrahimus ad magni Dei? ad illorum trepidamus oculos, & ſcelera ponimus, non trepidamus ad Dei? ſtamus interriti inter omnis æui pœnas, non ſtamus ad perituras. ad has concidimus animis, erecti ſtamus ad æternas. Quid dicam? iudicem veremur hominē, non veremur iudicē Deum. Quid? quòd parentū vultum in crimine pertimeſcat filius, non pertimeſcat Dei. Quis credat colorem ſtare poſſe in ſcelere, Deo teſte & iudice? Aut credere hunc tu Deum putas, qui præſentis & intuentis imperia contemnere audeat & calcare? Non credit. retrahe-

VI. *Magnum momentū ad peccati fugam, in præſentia Dei.*

ret à ſcelere manum, ſi crederet. pergit in incepto, & ſcelus ſcelere funeſtat? non credit. non faceret, ſi crederet. Videbis hoc in Rege, in patre, in iudice.

VII. *Potens cõtra peccatum remedium, amor Dei.* Dei amor. Da proinde mihi verè amantem, dabo à ſcelere immunẽ. cùm enim omnis amans pro amati incolumitate vitam ſanguinemq; ſuum contemnat, lætus de interitu, qui meliore ſe vitâ viuere in amati pectore putat, quàm in ſuo; nunquã grauiùs amatum offendet, qui pro auertenda amati iniuria vilem ſanguinem ſuum arbitratur, proque eluenda illius contumelia vitam pro ſpongia deferet. At nulla grauior offenſa ſcelere eſt, nulla acerbior iniuria, nulla contumelia maior. & quis credat amare te quem contemnas? quis amare, cuius amica imperia negligis? cuius mandata tranſgrederis? cuius hoſti obſequeris? cuius inimici ſigna miles ſequeris? cuius hoſtili te ſacramento obſtringis? Fieri hoc in omni ſcelere nulli notius, quàm vnicuique noſtrûm eſt, cùm in omni diuini præcepti tranſgreſſione, monentem, minitantem, ſpondentem negligamus Deum; ſequamurque dæmonem Dei hoſtem. non amat ergo qui peccat. neque enim peccaret, ſi amaret. & antè per omnium carnificum ingenia vitam poneret, quàm ſe ſcelere contaminaret, ſi amaret: lætiuſq; illi foret, per ignes, ferrũ & tormenta animã in amati ſinum iaculari, quàm offendere amatum. neq; enim quidquã illi grauius amati offenſâ: non fortunarũ profuſiones, nõ famæ, non ſanguinis. Non amat ergo Deum, qui ſceleribus offendit. aut, ſi quid amat, ſcelera & ſcelerum auctores amat, quos ſequitur: dæmoneſq; amat, quorum monita præponit diuinis. non præponeret, ſi Deum amaret. præponere, non amaſſe, adeoq; & odiſſe eſt. nam cùm ſequi amare ſit, ſequentes dæmonũ monita amare dici poſſunt. quos qui amat, amare non poteſt Deum. nullus amor ad inimica extẽditur: neq; pugnantia mutuò amare poſſumus. At nulla pugna certior, nulla grauior, Dei & dæmonis. hunc ergo qui ſequitur neglecto Deo, odiſſe debet Deum, cuius iuratis hoſtibus adhæret, & inimica conſilia amplectitur. quæ nemo ama-

amabit nisi hostis. Nulla sanè certior amoris cõtestatio, quã amica sequi consilia, & amicã amici explere voluntatẽ. Hoc qui in Deo fecerit, à scelere & offensa mentem & animum retrahet: & vbicunq; hostilia cõsilia senserit, memor amoris sui in Deum, antè inferorũ lubens volensq; subibit tormẽta, quàm amoris transiliet leges. Addo: illam esse Dei præstantiam, vt nihil in eo sit non amore summo dignissimum. Vt meritò quidquid in nobis amoris est, in vnum profundere debeamus Deum. Erit verò hoc testatissimum nostri in illum amoris signum, si diuina illius imperia expleuerimus.

VIII. *Magnum inter peccati remedia, timor.*

Succedat amori timor. monet Bernardus: *Si amor Dei te terrere non potest, saltem terreat te timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens.* Præcedit amorem timor, fateor. sed ita comparatum est, vt plùs ferè in peccatorũ fugam, timor, quàm possit amor. ita naturæ quodam vitio imus in seruos. O si prudens hic timor animos occupet, & magni Dei metus; quis eat in scelera? quis potentiam cogitabit, hanc inoffensam cælorum varietatem, tantâ arte pendulã terram & immotam, cùm circa se interim properantis cæli perpetuam fugam spectet, tot circumfusa & infusa terris maria, pluuias, niues, grandines, elisorum fulminum iactus, montiũ incendia; hîc labantis soli tremores, ibi in medijs fluctibus calentes aquas, insulasq; è vasto Oceano enatantes; alibi nudari littora pelago in se recedente, & rursum operiri, crescereque ac decrescere ad lunaris sideris imperia, & non exclamet: O numen! ô magnum! ô nullis terminis clausum! Quæ qui crediderit, & altè in animũ demiserit, quâ fronte tanti Numinis imperia negliget? Cogita, hanc vniuersi machinam verbo vno stetisse, verbo dissoluendam; & ab illius manu, quidquid vbique est, ita pendere, vt, si momento hanc subtrahat, momẽto intereant omnia. Quis ergo paullò prudentior non meritò exhorreat hanc manum, à qua tanquam à pertenui filo vita salusq; omnium pendet? Et quis non fatuũ arbitretur, qui in vnius quasi aleæ iactu fortunas omnes vitamq; statuat? stolidior est, qui illum offendit,

cuius magnitudini, potētiæ, robori resistere nulla vis potest, nulla industria aut prudentia effugere. Et quis non meritò timeat illum, cuius supplicia æternitati cōmensurantur, quiq; impunitum nihil transit, nisi quòd vltronea pœna diluerit, parique æquitate, vt præmiat, ita sæuit? Nullus illi delectus, nisi à virtute; à qua sola discriminat homines. Vt summo iure timere debeamus potentem illius in vindictam manum; vt amare, facilem in præmiationē. Et sanè si noxiam, vbique terrarum, multitudinem, si innocuam paucitatem, si in grauiora indies labentium numerum, si stantium raritatē considerauerimus, non meritò perpetuo timore natabimus? non loquor de densâ gentilitatis nube obsessis, non de Iudæis orbe toto in vindictam dispersis, omnium regnorū, & nullius incolis, non de ijs quos hæresis in pœnam sepofuit; inter Christianos veræ fidei notâ insignitos, quàm pauci die vnâ stant in gradu! hic opere, cogitatione prolabitur alter. Beatum, qui fræna voluntati iniecit prauæ, qui carnem strinxit vinculis, arctauit compedibus, calcauit fastum, contempsit aurum, posuit iram. è multis millibus nescio an vnum reperias; duos reperisse pro miraculo erit. Et verò admirandum
Eccli. 49. illud Scripturæ: *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes Reges peccatum cōmiserunt*. Nec Dauid tamē immunis à peccato, licèt ab idololatriç scelere immunis steterit. ab Vria, à Bethsabea, à populi subductione immunis non fuit. Ne fide quisquis es, purpuræ, non sago, non opibus, non tritæ lacernæ. Et quid post Salomonem & Samsonem prudentiæ fidis aut robori? post Tertullianū, Origenem, Calaritanum, Hosium, quid eruditioni fidis? adderem Cyprianum, ni sanguine errorem diluisset. Et quid post saccum & cinerē, post quadraginta & sexaginta annorum lacrymas, & portenta in Ioanne & Paullo eremi cultoribus, integritati, & anteactæ vitæ fidis? Quid Mariæ olim lepra, Aaronis & Moysis exilia loquuntur? quid Petri lacrymæ? quid Marcellini cilicia? *Solus timor Domini securitatis mater* anteuertere pericula, auertere damna potest. manum ille lapsabundo porriget, cadentem eri-

eriget, firmabit gressum, & inter aduersantia tutabitur. nimia vero fiducia sui deturbabit stantem, proteret cadentem, præsidio nudabit, armatis inermem obijciet hostibus, ridendumque tandem omnibus propinabit.

Mortis consideratio. De hac Chrysostomus: *Mortis futuræ expectatio haudquaquã sinit, vt quas in manibus habet voluptates, seu delicias sentiat*. Excutit hunc voluptatis sensũ seria mortis recordatio, & in absynthium mella vertit. & Iustinianus: *Necessariò namque timor & consideratio futuræ mortis, mentem concutit, & quasi eleuans omnes carnis motus & superbiæ, ligno crucis affigit*. siue Christi in sequelam & amorem, siue in terrorem & fugam, siue denique tanquam in ligno, primos vitiorum motus & afflatus suffocando. Et verò quid non potest, non extremis digitis, ac quasi per capillum, sed toto mors corpore cogitata? Nulli hæc ætati parcit, nulli dignitati. hic adolescens decessit, infans alter, senex alius. ita primos in medio præscindit flore, mediorũ interrumpit principia, & in semine etiam perimit, hos maturos excipit. Sed neque tempori indulget. hic enim inter cænandum soluitur, alteri continuatur mors somno; vix inchoatam voluptatem & honores funestauit alius, & secuit gaudia & speratas sæpius quàm occupatas dignitates. ille ferro, veneno alius aut ruinâ, lento alius stillicidio, celeri alius, & tanquam valido imbre aut fluctibus oppressus, aut fulmine tactus iacet. Inter tam dubia, tam varia, tam subita, quæ securitas? aut quis peccandi animus inter tam incerta? Quid? quòd quotidie moriamur, singulisq; horis vitæ pars aliqua dematur: nam, & cùm crescimus, decrescimus, ac momenta ipsa cum morte diuidimus. Clepsydram cogita, siue veterem aqueam, siue recentiorem arenariam. non per stillicidia & arenas pars superior euacuatur, impletur inferior? Eadem de vita cogita. delabitur momentis singulis aliquid, & euacuatur præsens vita, ac aliò diffluit. Miseri mortales! ipsi nos fatigamus ac propellimus, & posterior vitæ pars priorem premit, ac excutit, à sequenti excutienda. ita nihil hîc tutum, non hora horæ, non momentũ

IX. *Potens contra peccatum remedium mortis consideratio.*

re. Potes hanc miseriam vitare. fuge peccatum. quod qui euitauit, extra timorē est, & extra omnem se metum ponit, quisquis integer vitæ scelerisque purus, innocuam circumfert mentē. Sed nihil videtur miserius & stultius, quàm prætimere, & malum suum antecedere. peccatum caue, & non prætimebis; nec malum malo anteuerte, sed malum bono, si dignam Deo & cælo vitam duxeris. Verùm, non calamitosus est animus futuri anxius, & ante miserias suas miser? non eris futurorum anxius, si diuinis imperijs obaudiueris. anxietas à delicto venit. tolle hoc, & illam sustuleris. At, quid iuuat nunc timere, nunc dolere? non plus dolet quàm necessum est, qui antè dolet quàm necessum est? ne sit necessum nunc dolere, virtus dabit, & vitiorum fuga. quæ si deuitas, nunquā antè dolebis: demes enim dolorem & timoris caussam. Vt meritò moneat Seneca: *Metuenda declina, & quidquid consilio prospici potest, prospice: quidquid læsurum est, multò antè quàm accidat speculare & auerte*; & nec timebis, nec dolebis. timere interim peccatum debes, quod te ducit ad æternùm timenda, pœnitenda. timor hic salutem dabit, & altam menti tranquillitatem.

XI. *Pœnitentiâ peccata diluenda.* Si quid interim peccatum, si qua Dei offensa intercurrerit, pœnitentiâ perlauabis. Sequere tantùm monentē Deum, & rape hanc occasionem inopinatæ felicitatis, vt diuini nominis per peccatum hostis, flammarumq; æternarum heres, arbor fias quę non ignem, non securim metuat. pœniteat tantùm delicti, pœniteat amasse, quæ non amauit Deus; secutum fuisse, quæ vetuit Deus. aderit ille, à cuius afflatu dolor hic venit: neque enim frustra extimulat mentē, & ad se vltrò inuitat. Quare nunquam post delicta succidēdus aut subruendus est animus desperatione, etiāsi secundæ quis aut centesimæ pœnitentię debitor fuerit. pigeat rursus peccare, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminē pudeat iteratæ valetudinis, iteranda medicina est: &, quod deliquit corpus, pati discat in delinquentiæ expurgationē, sacco & cineri incubet, peccatorum hila-

hilaritudinem mœroribus detergat, ieiunijs preces alat; memor ieiunia in sinu Abrahæ in paupere recreari, cōuiuia verò in diuite apud inferos cruciari. lacrymis detergat sordes, & quidquid crimen inquinauit, fletibus diluat; inuerecundiam pudore tegat, & expansam in scelera frontem, verecundiâ obducat; ad deprecandū fortis, qui fortis fuit in delictū. Mutas imitetur & irrationabiles animas, quę diuinitus sibi medicinas attributas in tempore cognoscunt. Ceruus sagittâ transfixus, irreuocabiles ferri moras dyctamno expellit; oculare hirundo de sua chelidonia pullos nouit: quo magis peccator institutā sibi à Domino exhomologesin suscipiet, victusq; ac cultus castigatione, offenso Domino conciliabitur, & quæ aliquando exhibuit membra famula immunditiæ & iniquitati ad iniquitatē, famula nunc, monente Apostolo, exhibeat iustitiæ in sanctimoniam; vt hac ratione salutem in se æmulo quodam modo redaccendat, dum per quæ offendit, Deo satisfacit, ac per virtutes vitijs aduersas, cōtractas noxas expiet. Durum hoc alicui. at quanto durius perire, & cælo excludi? quid refugis medicinę præsidiū æger? stultū est perire malle, quàm curari. secari, inuri, extendi, morderi vult æger, vt malū tollat, morbum pellat. non quòd hæc amet æger. amat salutem, quā nonnisi per illa parandam videt. Aliquid tamen hîc horroris est de ferro & incendio. non nego: sed horrorē operis fructus excusat. Hinc illa præmia medico, post ignes & ferrum, & de artifice curatione, laudes. Eadem cogita in animorum post peccatum morbis. medicina ægro adhibenda animo est, Deo placando, saluti reparandæ; nec grauis illa videri peccatori debet. cinere & lacrymis flammæ restinguuntur, gaudia parantur. Et quid illa ad beatitatem æternam, ignem æternum? non leui pretio cælum paratur, tormenta exsoluuntur? quid enim paucæ lacrymæ ad æternorū bonorum consecutionem, malorumq; æquè æternorum fugam? Et quis damnatus ad triremes, funes, secures, non redimat, si possit, damnationis suæ titulos, sacco, cinere, lacrymis? paucioribus etiam offensus cōciliari potest Deus, & abiudicata cælo-

elige Ignatium. durior tibi videtur obedientia? elige aliquẽ, cuius tibi vita & oratio placet: quem propositũ tibi semper habeas, vel in monitore, vel in custode, vel in ducẽ, & exemplum. Breuiter alibi idem Epicurus: *Sic fac omnia tanquã spectet aliquis*. Et non pleraque scelera cadunt in oculis spectatoris? furta sanè & libidinẽ testis tollit. Addo illud Senecæ, verbis alijs, rẽ idem: *Sic viue, tanquã sub alicuius boni viri, ac semper præsentis oculis. sic verò facias quæcunque facis, tanquã si spectet aliquis.* quis mulierẽ aut aliena tanget, teste præsente? Addit: *Omnia nobis mala solitudo persuadet*. nam in publico quis peccabit? secretum vitia poscũt. perpauci palàm mali sunt. fugiunt conspectũ scelera, secreto gaudent. Subdit: *Cùm iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum: interim te aliquorũ auctoritate custodi.* Sanctorum ille aliquis sit, è magnis & grauibus, coram quo peccare non audeas: Petrus, Paullus, Ioannes, Laurẽtius, Stephanus, Polycarpus, Basilius, Chrysostomus, Nazianzenus, Ambrosius, Gregorius, Augustinus, Hieronymus, aut quicunque alius, cuius oculos & maiestatem verearis, & ad cuius frontem erubescas.

III. *A peccati notitia remedia contra peccatũ sumenda.*

Ab Epicuro etiam venit: *Initium salutis notitia peccati*: vel in remediũ, vel in fugam. firmat Seneca: *Nam qui peccasse se nescit, corrigi non vult.* imò non potest, quãdiu illum ignoratio hæc tenet. *Deprehendas te oportet, antequã emendes.* Et quis emendet ignorata? cognitionẽ emendatio deposcit. Subiungit: *Quidã vitiis gloriantur. tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutũ loco numerat?* non magis, quàm qui morbum pro valetudine bona habet. Claudit: *Ideò quantũ potes teipsum coargue, inquire in te: accusatoris primũ partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè deprecatoris. aliquando te offende.* Beatus, qui factus est accusator sui, magis, qui iudex: qui plus semper alijs, quàm sibi ignoscit: in alios clemens, in se seuerus: qui nusquam sibi parcit, nusquã blanditur. Magna hic de se promittet, magna dabit. nec multò, exurget in virum sæculo non tantum suo, sed omni dignissimũ, posteritati in imitationem, ætati suæ in exemplum, omnibus in admirationẽ & laudem. Deprecator

dein-

deinde accedat: ac quasi à se pœnā deprecetur, meliora spondeat. Faciet, si se vereatur, si animū suum, si iudicem manum. magis etiam, si ad Deum decurrat, ad illius genua supplex rei personā induat, deprecatoris & supplicis. quanquam faciliùs hunc flectet, si iudicio se suo antè stiterit, pœnas de se sumpserit, & seueritate potiùs in se quàm indulgētiā peccauerit. Non solet sæuire bis Deus: facilis in veniam est, si non facilis in se sit homo. qui quo in se asperior fuerit & durior, ac ad ignoscendum tardior, ad puniendū pronior; hoc benigniorem experietur in se Deum, flecti ad preces facilem, magisq; ad vltroneas, nec imperatas pœnas.

Consideratio grauitatis peccati, & molestiarū quas animo parat. Monet hîc Seneca: *Bona conscientia prodire vult & conspici: ipsas nequitia tenebras timet.* tanta fiducia est conscientiæ bonæ. amat videri, audiri, & secretum suum vult prodi. quia omne illi secretum à virtute, & in illam. quare nec testem auersatur, nec timet. At mala conscientia tenebras amat, & amicum etiā pectus ac oculos fugit. nox illi pro securitate, pro ferro & vallo est. amica enim sceleribus nox est. quanquā & ipsas tenebras scelerati timeant, & dum solitudinē quærunt, solitudine terrentur. Signa hæc grauitatis peccati sunt, quod nec dies securos, nec noctes patitur. Subdit Seneca: *Eleganter ab Epicuro dictū: Ideò non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi felicitatē habent, fiduciā non habent. ita est. tuta scelera esse non possunt; secura non possunt. quia prima & maxima peccantium pœna est, peccasse. nec vllum scelus, licèt illud fortuna exornet muneribus suis, licèt tueatur ac vindicet, impunitum est; quoniā sceleris in scelere suppliciū est. Sed nihilominus & hæc, & illæ secundæ pœnæ premunt ac sequuntur: timere semper, & expauescere, & securitati diffidere.* Addit: *Hîc consentiamus, mala facinora conscientiā flagellari, eò quòd perpetua illam solicitudo vrget & verberat, quòd sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Ideò nunquā fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit. propriū autem est nocentiū trepidare.* Vera nimis hæc sunt. &, quod miremur, ab Epicurea & Stoica schola. Lætitia aliquādo in sceleri-

IV. *Consideratio grauitatis peccati.*

lecibus est, fiducia esse non potest; cùm nemo peccans sat animo fidere suo possit. quare nunquã securus sui est, cùm perpetuus eum teneat metus omni peccato implexus, perpetuusq; agitet timor sceleris indiuiduus comes. neq; cuiusquã facilè conscientia tam altè sopita est, vt sceleris aculeos non sentiat. Emoritur nõ raro caro, & ignara doloris iacet, & frustra ferrum sæuit. non accidit hoc animo. sentit stimulos, & factus carnifex sui, non dies, non noctes patitur securas, ac in medio scelerum monet, omniaq; etiam tuta timet; parietes adeò, & domus suæ tecta, lectum, mensam, ensem etiã suum: & quæ in tutelam alijs, ipsi in metum sunt. ita nulli, nocens conscientia, dum fidit, nulli satis tutò se committit. in fronte etiam scelera sua legi arbitratur. ita proditor sui scelus est.

Nihil cuiq; nouum, metum hunc pauoremq; peccato innexum, si sceleris cuiusq; atrocitatẽ consideret, si diuinorum præceptorũ magnitudinẽ, si imperantis magni Dei augustã maiestatẽ; si violata imperia, non Regis, aut magni Ducis, sed præpotentis Dei; si temeratã Christi mortem, & sanguinem pro salute nostra tam prodigè fusum, quàm prodigè à peccatore neglectũ & calcatum; si inauditã sæculis, in omni barbarie, ingratitudine spretam deletamq; ingentium in nos diuinorum beneficiorum memoriam; si nullo vnquam æuo morituraram inferorum pœnarum acerbitatem; si cælorum & felicitatis æternæ exilia æterna.

V. *Considerat io fœdita tis peccati.* Ipsa peccati fœditas meritò terrere & auocare à delicto debeat. Est hinc illud Bernardi: *Quis nostrûm exteriorem hanc vestem, quâ tegitur, si repentè obscenis vndiq; sputis illitam, & fœdissimis quibusque sordibus inquinatam consideret, non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignanter abiiciat? itaque qui non vestem, sed seipsum intus sub veste talem reperit, eo amplius doleat, & animo cõsternetur oportet, quo propiùs tolerat quod exhorret.* Et quid fœdius, quàm hominem Dei magni imaginem, per peccatum imaginem induere dæmonis, diuini nominis iam inde à primordio hostis acerrimi? & hostilia circumferre signa? ac in inferorũ acie contra Deum stare? Facit hoc omnis pec-

peccator, ſcelere ipſo inimicus factus Dei, dæmonis amicus; & iuratus hoſtis Dei, iuratus amicus, ſeruus & miles dęmonis, & pars hereditatis huius in ignibus æternis peccato debitis.

Cogitatio præſentis & intuentis Dei. Seneca monet: *Vbiq; & omnibus præſtò eſt*. Et alibi: *Quocunq; te flexeris, ibi illum videbis occurrentẽ tibi. nihil ab illo vacat: opus ſuum ipſe implet*. Præſens ergo Deus omnibus, ſi in omnẽ flexum tibi adeſt. Addit: *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus*. Hunc verò vniuerſum hominem occupare, præſentemq; vbique corpori eſſe, omniũ Philoſophorũ ſententiã diſcimus. Occupat ergo ex ſententia Senecæ omne vniuerſum Deus: quo fit, vt præſens adſit omnibus, intueaturq; coràm omnia, nec quidquam illum lateat, vt nec animam corporis: ac ne cogitationes quidem noſtræ. Vnde illud Epicteti: ***Deus eſt prouidens omnia, & quem latere non poſſis, non modò ſi facias aliquid, ſed etiam ſi cogites, aut in animum inducas***. Potuit aliquid Chriſtianius, & ad rem noſtram clarius? Nec minùs Seneca: ***Propè eſt à te Deus, tecum eſt; intus eſt. ita dico ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumq; noſtrorum obſeruator & cuſtos. hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat***. Benè, malè; pro meritorũ magnitudine, præmia pœnaſq; deſignãdo. hunc ergo qui credit, qui cogitat, præſentẽ, intuentem, præmiantẽ, punientem, qua fronte, aut non ſequetur imperantẽ, aut imperata negliget? Quis in oculis Regis, regia violabit imperiã? quis, præſente iudice, ſanguine luenda cõmittet? & ad regias indignationes, ad iudicum minas retrahimus manum, non retrahimus ad magni Dei? ad illorum trepidamus oculos, & ſcelera ponimus, non trepidamus ad Dei? ſtamus interriti inter omnis æui pœnas, non ſtamus ad perituras. ad has concidimus animis, erecti ſtamus ad æternas. Quid dicam? iudicem veremur hominẽ, non veremur iudicẽ Deum. Quid? quòd parentũ vultum in crimine pertimeſcat filius, non pertimeſcat Dei. Quis credat colorem ſtare poſſe in ſcelere, Deo teſte & iudice? Aut credere hunc tu Deum putas, qui præſentis & intuentis imperia contemnere audeat & calcare? Non credit. retrahe-

VI. *Magnum momentũ ad peccati fugam, in præſentia Dei.*

rct

ret à ſcelere manum, ſi crederet. pergit in incepto, & ſcelus ſcelere funeſtat? non credit. non faceret, ſi crederet. Videbis hoc in Rege, in patre, in iudice.

VII. *Potens cōtra peccatum remedium, amor Dei.*

Dei amor. Da proinde mihi verè amantem, dabo à ſcelere immunē. cùm enim omnis amans pro amati incolumitate vitam ſanguinemq; ſuum contemnat, lætus de interitu, qui meliore ſe vitâ viuere in amati pectore putat, quàm in ſuo; nunquā grauiùs amatum offendet, qui pro auertenda amati iniuria vilem ſanguinem ſuum arbitratur, proque eluenda illius contumelia vitam pro ſpongia deferet. At nulla grauior offenſa ſcelere eſt, nulla acerbior iniuria, nulla contumelia maior. & quis credat amare te quem contemnas? quis amare, cuius amica imperia negligis? cuius mandata tranſgrederis? cuius hoſti obſequeris? cuius inimici ſigna miles ſequeris? cuius hoſtili te ſacramento obſtringis? Fieri hoc in omni ſcelere nulli notius, quàm vnicuique noſtrûm eſt, cùm in omni diuini præcepti tranſgreſſione, monentem, minitantem, ſpondentem negligamus Deum; ſequamurque dæmonem Dei hoſtem. non amat ergo qui peccat. neque enim peccaret, ſi amaret. & antè per omnium carnificum ingenia vitam poneret, quàm ſe ſcelere contaminaret, ſi amaret: lætiuſq; illi foret, per ignes, ferrū & tormenta animā in amati ſinum iaculari, quàm offendere amatum. neq; enim quidquā illi grauius amati offenſà: non fortunarū profuſiones, nō famæ, non ſanguinis. Non amat ergo Deum, qui ſceleribus offendit. aut, ſi quid amat, ſcelera & ſcelerum auctores amat, quos ſequitur: dæmoneſq; amat, quorum monita præponit diuinis. non præponeret, ſi Deum amaret. præponere, non amaſſe, adeoq; & odiſſe eſt. nam cùm ſequi amare ſit, ſequentes dæmonū monita amare dici poſſunt. quos qui amat, amare non poteſt Deum. nullus amor ad inimica extēditur: neq; pugnantia mutuò amare poſſumus. At nulla pugna certior, nulla grauior, Dei & dæmonis. hunc ergo qui ſequitur neglecto Deo, odiſſe debet Deum, cuius iuratis hoſtibus adhæret, & inimica conſilia amplectitur. quæ nemo ama-

amabit nisi hostis. Nulla sanè certior amoris cōtestatio, quā amica sequi consilia, & amicā amici explere voluntatē. Hoc qui in Deo fecerit, à scelere & offensa mentem & animum retrahet: & vbicunq; hostilia cōsilia senserit, memor amoris sui in Deum, antè inferorū lubens volensq; subibit tormēta, quàm amoris transiliet leges. Addo: illam esse Dei præstantiam, vt nihil in eo sit non amore summo dignissimum. Vt meritò quidquid in nobis amoris est, in vnum profundere debeamus Deum. Erit verò hoc testatissimum nostri in illum amoris signum, si diuina illius imperia expleuerimus.

Succedat amori timor. monet Bernardus: *Si amor Dei te terrere non potest, saltem terreat te timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens.* Præcedit amorem timor, fateor sed ita comparatum est, vt plùs ferè in peccatorū fugam, timor, quàm possit amor. ita naturæ quodam vitio imus in seruos. O si prudens hic timor animos occupet, & magni Dei metus; quis eat in scelera? quis potentiam cogitabit, hanc inoffensam cælorum varietatem, tantâ arte pendulā terram & immotam, cùm circa se interim properantis cæli perpetuam fugam spectet, tot circumfusa & infusa terris maria, pluuias, niues, grandines, elisorum fulminum iactus, montiū incendia; hîc labantis soli tremores, ibi in medijs fluctibus calentes aquas, insulasq; è vasto Oceano enatantes; alibi nudari littora pelago in se recedente, & rursum operiri, crescereque ac decrescere ad lunaris sideris imperia, & non exclamet: O numen! ô magnum! ô nullis terminis clausum! Quæ qui crediderit, & altè in animū demiserit, quâ fronte tanti Numinis imperia negliget? Cogita, hanc vniuersi machinam verbo vno stetisse, verbo dissoluendam; & ab illius manu, quidquid vbique est, ita pendere, vt, si momento hanc subtrahat, momēto intereant omnia. Quis ergo paullò prudentior non meritò exhorreat hanc manum, à qua tanquam à pertenui filo vita salusq; omnium pendet? Et quis non fatuū arbitretur, qui in vnius quasi aleæ iactu fortunas omnes vitamq; statuat? stolidior est, qui illum offendit,

VIII. *Magnum inter peccati remedia, timor.*

cuius magnitudini, potētiæ, robori resistere nulla vis potest, nulla industria aut prudentia effugere. Et quis non meritò timeat illum, cuius supplicia æternitati cōmensurantur, quiq; impunitum nihil transit, nisi quòd vltronea pœna diluerit, parique æquitate, vt præmiat, ita sæuit? Nullus illi delectus, nisi à virtute; à qua sola discriminat homines. Vt summo iure timere debeamus potentem illius in vindictam manum; vt amare, facilem in præmiationē. Et sanè si noxiam, vbique terrarum, multitudinem, si innocuam paucitatem, si in grauiora indies labentium numerum, si stantium raritatē considerauerimus, non meritò perpetuo timore natabimus? non loquor de densâ gentilitatis nube obsessis, non de Iudæis orbe toto in vindictam dispersis, omnium regnorū, & nullius incolis, non de ijs quos hæresis in pœnam seposuit; inter Christianos veræ fidei notâ insignitos, quàm pauci die vnâ stant in gradu! hic opere, cogitatione prolabitur alter. Beatum, qui fræna voluntati iniecit prauæ, qui carnem strinxit vinculis, arctauit compedibus, calcauit fastum, contempsit aurum, posuit iram. è multis millibus nescio an vnum reperias; duos reperisse pro miraculo erit. Et verò admirandum
Eccli. 49. illud Scripturæ: *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes Reges peccatum cōmiserunt.* Nec Dauid tamē immunis à peccato, licèt ab idololatriæ scelere immunis steterit. ab Vria, à Bethsabea, à populi subductione immunis non fuit. Ne fide quisquis es, purpuræ, non sago, non opibus, non tritæ lacernæ. Et quid post Salomonem & Samsonem prudentiæ fidis aut robori? post Tertullianū, Origenem, Calaritanum, Hosium, quid eruditioni fidis? adderem Cyprianum, ni sanguine errorem diluisset. Et quid post saccum & cinerē, post quadraginta & sexaginta annorum lacrymas, & portenta in Ioanne & Paullo eremi cultoribus, integritati, & anteactæ vitæ fidis? Quid Mariæ olim lepra, Aaronis & Moysis exilia loquuntur? quid Petri lacrymæ? quid Marcellini cilicia? *Solus timor Domini securitatis mater* anteuertere pericula, auertere damna potest. manum ille lapsabundo porriget, cadentem eri-

eriget, firmabit gressum, & inter aduersantia tutabitur. nimia verò fiducia sui deturbabit stantem, proteret cadentem, præsidio nudabit, armatis inermem obijciet hostibus, ridendumque tandem omnibus propinabit.

Mortis consideratio. De hac Chrysostomus: *Mortis futuræ expectatio haudquaquã sinit, vt quas in manibus habet voluptates, seu delicias sentiat.* Excutit hunc voluptatis sensũ seria mortis recordatio, & in absynthium mella vertit. & Iustinianus: *Necessariò namque timor & consideratio futuræ mortis, mentem conterit, & quasi eleuans omnes carnis motus & superbiæ, ligno crucis affigit.* siue Christi in sequelam & amorem, siue in terrorem & fugam, siue denique tanquam in ligno, primos vitiorum motus & afflatus suffocando. Et verò quid non potest, non extremis digitis, ac quasi per capillum, sed toto mors corpore cogitata? Nulli hæc ætati parcit, nulli dignitati. hic adolescens decessit, infans alter, senex alius. ita primos in medio præscindit flore, mediorũ interrumpit principia, & in semine etiam perimit, hos maturos excipit. Sed neque tempori indulget. hic enim inter cænandum soluitur, alteri continuatur mors somno; vix inchoatam voluptatem & honores funestauit alius, & secuit gaudia & speratas sæpiùs quàm occupatas dignitates. ille ferro, veneno alius aut ruinâ, lento alius stillicidio, celeri alius, & tanquam valido imbre aut fluctibus oppressus, aut fulmine tactus iacet. Inter tam dubia, tam varia, tam subita, quæ securitas? aut quis peccandi animus inter tam incerta? Quid? quòd quotidie moriamur, singulisq; horis vitæ pars aliqua dematur: nam, & cùm crescimus, decrescimus, ac momenta ipsa cum morte diuidimus. Clepsydram cogita, siue veterem aqueam, siue recentiorem arenariam. non per stillicidia & arenas pars superior euacuatur, impletur inferior? Eadem de vita cogita. delabitur momentis singulis aliquid, & euacuatur præsens vita, ac aliò diffluit. Miseri mortales! ipsi nos fatigamus ac propellimus, & posterior vitæ pars priorem premit, ac excutit, à sequenti excutienda. ita nihil hîc tutum, non hora horæ, non momentũ

IX. *Potens contra peccatum remedium mortis consideratio.*

momento. & tamen viuimus, vt victuri semper, cùm nullâ non horâ moriamur. Beatus, cui omnis dies postremus; beatior, cui omnis hora; beatissimus, cui omne momentũ. abstinebit à scelere manum, quisquis omnem horam decisoriã putat, quisquis omne momentum, vltimum. O spes inanis, quantos in fraudem impellis! quantos, dum promittis senectam, in medio secas cursu! Euenire proindè credas posse tibi, quod multis. Quanti iacent nocente mente, innocente licèt manu! quàm multi meditato tantùm crimine, mortem repererunt! quàm multos medio in scelere occupauit mors, & medium secuit crimen! quàm multi in ipso sceleris conatu abrepti, temerarij ausus pœnas dederunt! quàm multi in ipso inchoati sceleris momento, scelus morte clauserunt! Quid, si ex horum numero sis vnus? aut quæ certior tibi hora, aut momentũ, quàm alteri? Iam quis ab illa mente crimen expectet, quæ cum crimine mortem expectat, cum morte pœnã? Nemo prudens inter Oceani fluctus in tabula ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatur: nemo inter medios armatos hostes inermis hilarescit. Stolidior his est, qui in perpetuo mortis metu, omni horâ dubiâ, omni momento, ea audet, quæ æternùm infelicem afferunt mortem. O fatui! quousque ruimus in æternùm puniendi?

X. Futurorũ expectatio. Est hoc illud Sapientis: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit; meminisse debet tenebricosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* O nimis serâ pœnitudine, serâ prudentiâ! Et sanè quem non omninò fatuum non moueat futurorum cogitatio? præmia, & pœnæ æternitati cõmensuranda quid non possunt? Quis prudens beatâ æternitate propositâ, ob vnius propè momenti gaudiũ, è voluptate & vindictâ, æternùm excidere illâ volet? quis, propositâ felici gaudiorum, dignitatũ, voluptatum æternitate, & volaticâ humanâ hilaritudine, hac illi præferat? peritura, fòrs hodie, fòrs hac horâ, quis æternis sapiens anteponat? quis rapidissimi temporis celeritatem, quam citatissimi peruolamus veriùs quàm percur-

Eccles. 11. Plurimum in peccatorum fugam valet futurorum expectatio.

curtimus, nullo æuo moriturae gloriae, opibus, voluptatibus præponat? aut quis illam deligat, has destituat prudens? scire à quolibet grauiore delicto æternitatē pendere, felicem, infelicē, nullo æquo ponendā, ipsiq; adeò Deo cōmensurandam; & scelere se aliquē contaminare, quod beatitate excludat æternâ, pœnas adducat æternas; maximè in tam dubia vita & morte, à qua momentū nullum liberum, quis credat? & quis cui spondeat horam post scelus alteram? quis adeò momentum doloris & pœnitentiæ vnum? & in tanta incertitudine, tam dubia re, periculis se scientem volentemq; exponere salutis æternæ, ignis æterni; sponteq; se flammis induere non morituris, gloriâ exuere æterna? Quæ vnquā ætas tam efferam tulit belluam, quæ in aliam plusquam vnâ morte sæuiret? aut quis carnifex, quis tyrannus non fuit cōtentus morte, aut mori post mortem docuit? semel occidisse cuicumque barbaræ crudelitati satis fuit. At peccator humanitatis ac clementiæ immemor, immemorq; sui, omni belluâ & tyranno sæuior, non contentus semel in se sæuisse, sæuit æternū, quasi non expleat sæuitiam, nisi æternùm in se sæuiat. Hæc scire, & imperia magni Dei transgredi, à quibus æterna cælorum pendent exilia, ignesq; æterni, in quibus corpora æternùm vruntur & durāt, quasi vitam subministrent flammis, & pœnarum materiam? hæc agitari, & toties à Deo denuntiari, nec manum nos à sceleribus retrahere? Quis sanus, vltrò se in ardentem immittat fornacem, & præcipitia amet & ferrum? Stolidior est, qui per scelera pœnis se inuoluit æternis, pabulum factus ignis æterni. Quæ qui tacitus seriò secum cogitat, non fræna inijciet cupiditatibus, & labantem reprimet dextram, & meliore coget ire viâ? At grauis me tenet tentatio, cogitq; nolentem. mentiris. Nemo nolens peccat. hinc illud Stoici: *Valentior omni impugnatione animus est, in vtramque partem ipse res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ ipse sibi caussa est.* Deo in primis manum porrigente: quam negare benignitas illius, bonitasque infinita non solet.

Dices: Miserum est in perpetuo futurorum timore viue-

re. Potes hanc miseriam vitare. fuge peccatum. quod qui euitauit, extra timoré est, & extra omnem se metum ponit, quisquis integer vitæ scelerisque purus, innocuam circumfert menté. Sed nihil videtur miserius & stultius, quàm prætimere, & malum suum antecedere. peccatum caue, & non prætimebis; nec malum malo anteuerte, sed malum bono, si dignam Deo & cælo vitam duxeris. Verùm, non calamitosus est animus futuri anxius, & ante miserias suas miser? non eris futurorum anxius, si diuinis imperijs obaudieris. anxietas à delicto venit. tolle hoc, & illam sustuleris. At, quid iuuat nunc timere, nunc dolere? non plus dolet quàm necessum est, qui antè dolet quàm necessum est? ne sit necessum nunc dolere, virtus dabit, & vitiorum fuga. quæ si deuitas, nunquá antè dolebis: demes enim dolorem & timoris caussam. Vt meritò moneat Seneca: *Metuenda declina, & quidquid consilio prospici potest, prospice: quidquid læsurum est, multò antè quàm accidat speculare & auerte*; & nec timebis, nec dolebis. timere interim peccatum debes, quod te ducit ad æternùm timenda, pœnitenda. timor hic salutem dabit, & altam menti tranquillitatem.

XI. *Pœnitentiâ peccata diluenda.* Si quid interim peccatum, si qua Dei offensa intercurrerit, pœnitentiâ perlauabis. Sequere tantùm monenté Deum, & rape hanc occasionem inopinatæ felicitatis, vt diuini nominis per peccatum hostis, flammarumq; æternarum heres, arbor fias quę non ignem, non securim metuat. pœniteat tantùm delicti, pœniteat amasse, quæ non amauit Deus; secutum fuisse, quæ vetuit Deus. aderit ille, à cuius afflatu dolor hic venit: neque enim frustra extimulat menté, & ad se vltrò inuitat. Quare nunquam post delicta succidédus aut subruendus est animus desperatione, etiámsi secundæ quis aut centesimæ pœnitentię debitor fuerit. pigeat rursus peccare, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminé pudeat iteratæ valetudinis, iteranda medicina est: &, quod deliquit corpus, pati discat in delinquentiæ expurgationé, sacco & cineri incubet, peccatorum hila-

hilaritudinem mœroribus detergat, ieiunijs preces alat; memor ieiunia in sinu Abrahæ in paupere recreari, cõuiuia verò in diuite apud inferos cruciari. lacrymis detergat sordes, & quidquid crimen inquinauit, fletibus diluat; inuerecundiam pudore tegat, & expansam in scelera frontem, verecundiâ obducat; ad deprecandũ fortis, qui fortis fuit in delictũ. Mutas imitetur & irrationabiles animas, quę diuinitus sibi medicinas attributas in tempore cognoscunt. Ceruus sagittâ transfixus, irreuocabiles ferri moras dyctamno expellit; oculare hirundo de sua chelidonia pullos nouit: quo magis peccator institutã sibi à Domino exhomologesin suscipiet, victusq; ac cultus castigatione, offenso Domino conciliabitur, & quæ aliquando exhibuit membra famula immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, famula nunc, monente Apostolo, exhibeat iustitiæ in sanctimoniam; vt hac ratione salutem in se æmulo quodam modo redaccendat, dum per quæ offendit, Deo satisfacit, ac per virtutes vitijs aduersas, cõtractas noxas expiet. Durum hoc alicui. at quanto durius perire, & cælo excludi? quid refugis medicinę præsidiũ æger? stultũ est perire malle, quàm curari. secari, inuri, extendi, morderi vult æger, vt malũ tollat, morbum pellat. non quòd hæc amet æger. amat salutem, quã nonnisi per illa parandam videt. Aliquid tamen hîc horroris est de ferro & incendio. non nego: sed horrorẽ operis fructus excusat. Hinc illa præmia medico, post ignes & ferrum, & de artifice curatione, laudes. Eadem cogita in animorum post peccatum morbis. medicina ægro adhibenda animo est, Deo placando, saluti reparandæ; nec grauis illa videri peccatori debet. cinere & lacrymis flammæ restinguuntur, gaudia parantur. Et quid illa ad beatitatem æternam, ignem æternum? non leui pretio cælum paratur, tormenta exsoluuntur? quid enim paucæ lacrymæ ad æternorũ bonorum consecutionem, malorumq; æquè æternorum fugam? Et quis damnatus ad triremes, funes, secures, non redimat, si possit, damnationis suæ titulos, sacco, cinere, lacrymis? paucioribus etiam offensus cõciliari potest Deus, & abiudicata

cælo-

cælorum regna redhiberi,& inferorum deleri pœnæ. Quis credat fatuitatem in homine tantam reperiri? eripi flammis posse: nolle. donari regnis posse:nolle. imò illas velle: hæc nolle. Quid? amare dico flammas, odisse regna. non amat illas, qui vltrò amplectitur, qui caussam præbet volens sciensq; ? odit regna, qui contemnit, qui negligit. contemnit, quisquis oblata respuit, quisquis paruo emenda negligit. Facit hoc omnis peccator, qui leui peccati pretio, flammas mercatur ęternas: cęlorumq; se gaudijs, honoribus, opibusq; excludit æternis, dum paratam sibi cælo hereditatem, cælo debitam, polentâ cum Esau, primogenita vendit. Ignoscendum si futurorum ignarus cælo excideret, & in cæcos ignes præceps volueretur. nunc cùm vtriusque præscius, vltrò se inuoluat peccatis, regniq; in his hereditate se spoliet, vt heres fiat flammarum, quis excusationi locus erit? Nec opus hîc magno molimine, non cæstibus, ferro, sanguine: solâ fugâ vinces. victoria in illa est. Quòd si tamen laberis, animos resume. firmior non rarò post lapsum gressus, certè cautior est. periculorũ meminit, qui cecidit. damna timidum faciunt, timor prudentẽ. innocentia ferè non cauet, quia non metuit, quo pronior sæpe in lapsum est. Securius tamẽ feliciusq; non cecidisse est. non cades, si scelerũ initia in capite suo secaueris. Tenuia illa sunt. at à paruorum sectione securitas omnis. Doctè & prudenter Nigronius noster, in omnibus magnus, in minimorum tractatu maximus, à minimis maxima omnia pendere, vt à fontibus suis flumina, docet. Incumbe his minimis, quisquis salutem amas, & magnorũ omnium victor stabis. negligis? cades in maximis. sola victoria à minimis venit. ne sperne hæc parua. ad maxima viam sternunt. nec ad hæc nisi per parua est aditus. Quid? quòd solâ minimorum fugâ, imò solâ cogitationum suaui declinatione, stare scelerum omnium victor possis. Docet hoc Nigronius. lege, sequere: & victoriam in minimis magnorum omnium spondeo.

LIBER

LIBER SECVNDVS DE PRINCIPE.

CAPVT I.

Quis in principatu parando, tuendo, modus tenendus?

PRINCIPATVS & regna parentes, electio, arma dederũt. Naſcendi ſors felicior. electio, optimatum aut populi fauore conſtat. armis quę parantur, noſtro & alieno ſanguine mercamur. Quæ à maioribus tradita, facilè tueâris. obſequendi enim conſuetudo, & præteritorum memoria, difficilia facilia reddunt, & neceſſitatem quamdam imperandi cùm natiuitas dederit, etiam parendi dedit. *Regna & principatus, vnde primùm enata.*

Electio, quæ fauore continetur, fauore abſoluitur: licèt rara in humanis felicitas ſit, imperium fauore occupatum, fauore renere; cùm ferè innatâ mortalibus mobilitate, non diu eundem affectum teneamus. ita nouarum nos rerum cupiditas, veterum faſtidium tenet. ſcabies nimirùm nos quædam rerum habet: voluimur, & vertimur, & graues ipſi nobis ſumus. Pudore tamen electio continetur, ne repellere videamur, quod vltrò delegimus. inconſtantiæ ſcilicet notam fugimus, & pudet videri quod ſumus. Bonos proinde Principes electione expetimus, qualeſcunque deinde toleramus.

Armis quæ parantur imperia, armis tenenda ſunt. Nemo vim paſſus voluntaria obſequia præſtabit. amoue metum, non inuenies obſequentem. Et quis ſeruorum famuletur, ſi

libertatem ostenderis? quis libertatem ferro ereptam non reparabit, si ferrum abstuleris? ijsdem ergo artibus, quibus imperia parantur, tenenda sunt, fauore, virtute, armis. Verùm, vt ille, vbi pro labore, desidia; pro continentia & æquitate, libido & superbia; addo, pro vigilantia & fortitudine, ignauia & socordia; pro mansuetudine & benignitate, ferocia & crudelitas inuasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Quòd si quis flagitio & scelere imperium consecutus fuerit, perrarò virtute ac bonis artibus tenebit. &, quod miremur, solum Vespasianum, omnium ante se Principum in melius mutatum accepimus. ita rarò imperia meliorem dederunt: deteriores dedisse, Israel nos, & omnium gentium Historiæ docent.

Et sanè perdifficile ante imperium iudicare est, meruerit quis illud, an secùs: vbi adeptus fuerit, facillimum. quæ enim latebant antè vitia, & insepulta cineri suo iacebant, cum purpura erumpunt. non quod antè non fuerint; sed materia deerat. Da vina, aurum, mulierem, imperia, videbis quâ temperantiâ, liberalitate, castimoniâ, mansuetudine; quâ etiam intemperantiâ, auaritiâ, incontinentiâ, crudelitate sit. produnt plurimùm, non producunt, scelera noua dignitates. Quid? quòd priuata fortuna vitia ferè tegat, quæ publica retegit, & prospectanda præbet. Hinc, qui in obscuro vitam agunt, si quid iracundiâ, auaritiâ, libidine deliquere, latent, & obscuritate suâ tanquam densâ vndique nube & tenebris integuntur. Qui verò in excelso ætatem agunt, omnium oculis patent. atque hinc, quæ apud priuatos iracundia, ea in imperio superbia ac crudelitas appellatur. Quo magis prouidos esse decet, & ex fortuna sua, dicta factaq; metientes.

In hereditario imperio quid faciendũ? In parando verò imperio, quod à parentibus acceperis, non magno opus molimine est, cùm vterus, non virtus illud largiatur; felicitatisque, non prudentiæ, sit è Regibus nasci: & parentibus illud, non moribus suis, debeat quisquis illud sortitur. Nec aliud hîc habeo, quàm rogandum Deum

vt quàm optimos ac prudentissimos Regibus liberos largiatur. Quòd si digna Christianis Principibus educatio accesserit, sperari magna possunt. sin per ignauiam & libidinem iuuentus ducta fuerit, nequidquã spera. quâ cœpit viâ, claudet. tantum educatio potest, vt, quæ ab vtero & vbere erant seminis boni, suffocet. Fæcundiora enim bonis mala sunt. nec quidquam facilius, quàm boni fruticis semina zizanijs opprimere. Quo magis suorum educationi inuigilandum Regibus est. degeneres enim frutices nec parentibus parcũt.

Quid faciendum in electiuo imperio?

In electiuo principatu maiori opus conatu, cùm ferè imperium virtuti deferatur, prudentiæ, militari peritiæ, robori, iustitiæ, clementiæ, constantiæ, liberalitati. Parandi ergo popularium animi virtutis opinione: ac cùm studiosissimè vitia tegenda sint, tum quidquid virtutem redolet, effundendum est. palàm etiam ostentanda virtus; sed ita, ne ostentasse videaris, vt alieno potiùs ore, quàm tuo prodatur. Publica in hac re munificentia magnum pondus habet: magis etiam priuata. nec vllâ ferè re potentius hominum animi capiuntur. Quòd si exterior quædam beneuolentia ac comitas, honorumque præuentio, & amica compellatio accesserit, incredibile dictu quantum momenti addat. Prudentiæ deinde opinio plurimum potest. Hanc sibi non magno molimine parabit, qui nihil sine matura deliberatione aggredi consueuerit: qui ad res non volauerit, sed iuerit: qui sententiam rogatus à nimio sibi calore temperauerit, maturæque deliberationi maturiora verba, lentaque magis ac frigida, quàm volatica & æstuantia adiecerit. Defæcanda nimirum vina sunt, si bona velis. nam in primo illa æstu, dum adhuc spirant torcularia & fumant, quis bibat? Cauendum verò studiosissimè, ne ambiuisse principatum videare. quin, si qua iniecta mentio fuerit, longissimè propelles. Dignum principatu videri, nec ambiuisse, parasse est.

Quid faciendum ijs, qui armis imperium parauerint?

Qui verò vi & armis regna parant, difficiliorem conditionem nacti sunt: rapientibus enim imperia nihil medium inter

inter summa, & præcipitia. multa hîc audenda. & temeritas non rarò sceptro viam strauit. Vbi ingressus fueris, aderunt studia & ministri, nouarum maximè cupiditatum, & spe fortunæ melioris. Prima proinde hîc magis in arduo sunt. quæ vbi viceris, reliqua sequentur. Et ferè hominum plerique, odio præsentium veterumq; ducti, & mutationis libidine, suis etiam periculis lætantur, & animos occupanti addunt. quasi in turbido fęcundior piscatio sit, malaciã oderunt. Ac nescio quomodo in omni propè regnorũ occupatione pulcerrima nomina prætexantur, religionis & libertatis; paucique in hanc diem alienum seruitium ac dominationem sibi concupierunt, vt non eadem nomina vsurpauerint. speciosa vocabula. Reuera dominandi libido bellorũ caussam dedit, cùm maximum honorem in maximo semper imperio Reges posuerint. caussæ tamen aliæ vulgantur. Neque cuiquam vicina remotaq; regna inuadenti caussa defuit. nec deesse ambitioni caussa potest. ingeniosa est. & satis ambiuisse est, vt caussam reperiat. Nec finem ambitio, & supra cæteros eminendi desiderium nouit. hinc vltra solis Oceanique vias imperia quærit. Terrebant olim maria. hinc illud,

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyades, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Adriæ
Maior tollere, seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia?
Audax omnia perpeti
Gens humana, ruit per vetitum nefas.

nunc enauigatus orbis lusus est. & magnum illud esse incipit, nihil domi habere nisi armis, & per iniuriam partum, nisi innoxio sanguine & lacrymis lotum: ac nisi ex alio orbe præda agatur, vilis est. vicinitas vilitatem dedit, pericula pretiũ. Nec desunt, qui Romanorum æmuli, à paruis initijs magna sibi spondeant, orbis imperium. nec vno contenti, quo satiari Roma potuit, plures spirant. tanta animis fiducia insedit. Audiant quid ille de suis: *Nolite æstimare maiores nostros armis Remp. ex parua magnam fecisse. alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt. domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. pro his nos habemus luxuriam & auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen est. omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum. vbi vos separatim sibi quisque consilium capitis, vbi domi voluptatibus, hîc pecuniæ aut gratiæ seruitis; eò fit, vt impetus fiat in vacuam Remp.* Dum enim vacuatur illa nouorum imperiorum studio, nouas sedes nouis ciuibus parare videtur. Insanus amor magnitudinis, & infinita crescendi cupido quid non audet? Addam hîc illud Stoici: *Multi ignem inferunt vrbibus, inexpugnabilia sæculis prosternunt, multi ante se agunt agmina, & tergis hostium graues insistunt, perfusi gentium cæde. Sed hi vt vincerent hostem, cupiditate victi sunt. nemo venientibus restitit, sed nec illi ambitioni & crudelitati restiterunt. cùm agere visi sunt alios, agebantur. non illi ire volunt, sed non possunt stare. non aliter, quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse qui cùm omnia concuterent, concutiebantur, turbinum more: qui rapta conuoluunt, sed ipsi ante omnia voluuntur; & ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui frænum est.* Doctè, & verè. Aguntur quicunque noua imperia cogitant, immodico cupiditatis impulsu. Et quod ille de suis, *Vt vna ciuitas emineret, in humani generis perniciem nata, orbem subiugauit innoxium*; ego de sæculo nostro dicam. Ipsi naturæ vis paratur, & vltra Oceanum solemq; fatuo ausu nouæ sedes quæruntur.

Regnorum magnitudo è quibus.

Insanus amor regnandi.

Sæculi nostri ambitio veteres superat.

nec satis nobis instrata nauibus maria iacere, etiam glaciem nauibus scindimus, & vim naturæ inferimus. ita præcipites ad explendum auri & honorum cupidinem rapimur. Quid non potest improba sitis, quæ plebeios etiam spe prædæ & lucri transuersos agit? Et rapimur interim in medio magnarum cogitationum, & sistit fortuna cursum, & spem frustratur. inde ad ignota vocamur tribunalia, nullo purpuræ & lacernæ discrimine. nudi nascimur, eijcimur nudi, sistimur nudi: nec sceptra hîc, nec diademata, nec fortunæ mendacia, quibus morte exuimur. & vnius Dei, domini, parentis, iudicis tribunalibus sistimur creaturæ, serui, filij, rei, nullâ prærogatiuâ dignitatum, generis, eruditionis, opum. Hæc qui cogitat, regnorum ponet cogitationes, nec aliena circumspiciet, contentus suis. Securus viuit, quisquis paruo contentus viuit; quique dignitates & regna æternitate metitur; qui magnorum imperia & exitus cogitat; qui Galbam, Ottonem, Vitellium, Maximos, Balbinum, Quintillum, Tacitum, Florianũ, Siluanum Imperatores Romanos, nec vltra duodecimum mensem Imperatores; qui C. Cæsarem, Caligulam, Domitianum, Neronem, Tiberium, Claudium, Gordianum, Leontium, Iustinum minorem, Iulianum, Valentem, Zenonem, Anastasium, Heracleonem, Mauricium, Nicephorum, Phocam, & quinquaginta minimùm Romanos Imperatores cogitat, ferri & veneni victimas: quos fortuna in Imperio statuisse videtur, vt ostenderet quid summa vitia in summo imperio possent. Taceo Asiæ & Africæ Reges, reliquosq; Europæos. è quibus pars longè maxima ferro & veneno iacet. ita pauci Regum siccâ morte pereunt. Primi etiam orbe toto exercituum ductores funesto ferè exitu vitam macularunt. Vt, si perexiguum imperij tempus cum innumeris periculis, difficultatibus, insidijs, solicitudinibus, ac indigna sceptris morte cõponas, perfacilè videas nullam vitam priuatâ beatiorem. Et tamen post tot exempla, infortunatosque magnorum exitus, regna cogitamus & imperia,

Securitas in paruo est.

Magnorũ exitus ferè funesti.

tot

tot Regum Principumq; sanguine purpurata. Natare in suorum sanguine sceptra potuerunt & diademata. nimis nimirum vile erat plebeio natare sanguine. regio debebant. Nec finem sibi tamen statuit crescendi cupido: non Regum Principumque cadaueribus tanquam aggeribus arcemur. Quò non insana ruit dominandi cupiditas! in consanguineum, ac eiusdem vteri consurgit sanguinem, vt optatis potiatur. Postrema in his Dei & religionis cura, prima potiundi regni est. quâ viâ, scelere an virtute, iuxtà habent; ijsdem artibus propugnaturi, quibus parauerunt. Vt non immeritò nullo tacendus calamo Belgarum Princeps ALBERTVS: qui Imperium fortiùs contempsit, quàm ambiuerunt aut pararunt alij. Nec nouum parare. tot orbe toto millia bonis malisue artibus pararunt. potuisse Imperio vltrò oblato, sine sanguine ferroque potiri, & noluisse, nouum, & eo magis, quo paucissimorum semper contemptus hic fuit. meruerat virtus Imperium; addere suffragium, publici magis quàm illius affectu, parati penes quos electio. illa fecit vt oporteret, hi vt omnes scirent dignissimum Imperio fuisse. Sed nec dubitare quisquam poterat, cùm & nascendo Imperium promeritus esset; & quæ ferro plerique suo sanguineq; consecuti, hæc tot, longo ordine, Imperatoribus, auis proauisq; parta illi forent. neglexit; adeoque & renuntiauit. Vestigium huius animi verè magni, in Constantino & Theodosio, magnis omnino Imperatoribus, legimus. De illo Eumenius: *Diceris Imperator inuicte, ardorem te deposcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus incitasse. at quis Cyllarus, aut Arion posset eripere, quem sequebatur Imperium?* De hoc Pacatus: *Illud præ ceteris mirum, quòd, cùm omnia faceres vt imperare deberes, nihil tamen faciebas vt imperares. argumento est dies ille communis boni auctor, quo tu, cùm ad suscipiendum Imperium vocabaris, oblatum Imperium deprecatus es. audite publici parricidæ, qui sanguinis pretio regium nomen emistis: repulsam patitur principatus, & vnus est ambitus candidati, ne declaretur. Credetne hoc olim ventura posteritas,*

ritas, & præstabit nobis tam gloriosam fidem, vt nostro demum sæculo annuat factum, quod tantis infra supráque temporibus, nec inuenerit æmulum, nec habuerit exemplum? Inuenit ALBERTVM: qui non semel, sed bis Imperium, non deprecatur, sed repulit.

Qui publicis muneribus à Principe admouēdi: Grauis interim & árdua hîc nasci quæstio potest, quos Princeps, vbi regno potitus fuerit, publicis functionibus adhibiturus sit. Tria ferè hominum genera reperio. Primum, qui regias partes, stipendia, sacramenta secuti, quamcumq; cum illo fortunam, felicem, infelicem subituri. Secundum, qui constanter aduersam partem opibus sanguineq; tutati, intactam Principi suo aut Reip. fidem seruarunt, solâ potentiâ frangendi, non tam voluntate, quàm armis cesserunt. Tertium genus illorum est, qui spectatores neutri parti adhæserunt.

Qui Principis partes secuti, muneribus donandi. De primis hoc dicam, præmio carere non debere: sanguine enim & vitâ promeriti. addo affectum: quem nemo generosior Princeps irremuneratum præteribit. addo obsequia, & arma: quæ nec illaudata, nec vacua dimittenda. turpe Principi beneficio vinci. Ex hoc numero si qui obeundis in Rep. muneribus idonei, non arbitror frustrandos. Considerandum tamen seriò, ne, vbi ad summa prouexeris, cum fortuna mutent mentem: inassuetique magnitudinis, insolentiam ferè & fastum induunt. tanto insolentiores, quanto è minoribus assurgunt. Exempla nos docent, Seiani, Ablauij, Ruffini, Vineæ, Brocæ, Cabreræ, Caraccioli. Non tango sęculi nostri funera: cogitationibus illa lectorum relinquo. liberè illæ per vincula, compedes, carcerem, exilia, sanguinem, secures eunt.

Qui Principi aduersati beneficiis vincendi. In secundo genere magnâ opus prudentiâ. Hostes fuerunt? amici erunt, si viceris. vinces beneficijs, quoque infestiores fuerunt, hoc offensam officijs fortiùs compensabūt, si beneficia senserint. Vsu hoc euenire videmus in constanti hominibus ingenio, vt vtramque partem æquâ constantiâ tueantur, si fiduciæ signa senserint. fiduciam hanc concre-

dita

dita munia ostendent. Sæuitiâ verò fortia ingenia nunquam flectes, nec in partem tuam trahes. franges antè, & ex vltima desperatione in caput tuum trahes. Vis aduersariarum victor partium esse? donis cumula, senties fidos. Fallere hæc ingenia nesciunt, sanè non didicerunt. Constantia enim & candor indiuiduo nexu connectuntur, nec in forti pectore stabulare simulatio solet. mollis hæc animi est, & muliebris ingenij. Constantia & robur, plus de leone mutuantur: simulatio & dolus vulpem suam redolet & ignauum pectus, quod virtutis suæ diffidentiâ laborat. quare insidiæ illi doliqúe pro virtute sunt. Reip. ergo functionibus admouendos hos censeo. fidem diligentiâ probabunt, nec patientur se beneuolentiâ aut fiduciâ vinci. antè immorietur operi vir fortis, quàm vt beneficium maleficio compenset. Vtere ergo quicunque imperio potitus es, & paullatim etiam ad magna prouehe; non vno saltu, sed quasi per gradus, quo certior de fide & animo fias. benignis etiam verbis vltrò compella, & non rogata maximè beneficia largire, quibus potentissimè hostilitas deponitur, amor prouocatur.

Tertij generis hominibus, qui priuata commoda publicis potiora habuerunt, non ausim vllam publicorum munerum partem committere. viuant sibi: neque enim tales, si qua necessitas occurrerit, fidos experieris. non stabunt illi, aut difficultates excipient: declinabunt. neque ad ardua vnquam dextram extendent: retrahent. neque arma ab his manibus, in regni, tuique propugnationem expecta: excutient. Vbi namque vis insonuerit, quietẽ circumspicient, pacemq; cum dedecore magis eligent, quàm ex bello & arduis decus. Cumque ignaui ferè ingenij sint tales, serpere sine molestia malunt, quàm cum labore exsurgere: iacere etiam sine sudore, quàm cum illo extolli. Quare nihil his fidi potest, nisi in altissima pace, & ea quidem, à quibus regnorum salus nullo modo dependet. *Qui neutri parti adhæserunt, non facilè publicis admouendi.*

CAPVT II.

Quæ in tuendo regno necessaria?

NON minoribus in tuendo, quàm in parando regno opus est, adeoque difficilius est regnum tueri, quàm occupare. viribus & audaciâ regna parantur, prudentiâ retinentur.
Sap. 6. Hinc illud Sapientis est: *Si delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Hanc à Deo vouit Regum maximus, potentissimus, & impetrauit. accedant Regum nostrorum paria vota, & sperent paria. Comitas deinde à veteribus in suos commendata, clementia in hostes, mansuetudo & benignitas in omnes. Augustum accepimus, Cinnæ vitæ suæ insidianti, necemque paranti, pepercisse, Consulem fecisse, fidum & inter amicissimos habuisse: Cinnamque beneficium beneficio compensasse, cùm moriens heredem Augustum inscripsit. Obseruatumque ab Historicis, neminem exinde in Augustum insurrexisse, cuius antè vitæ plurimi insidiati, cogitata scelera sanguine expiauerant. Secutus Augustum Titus, patricijs adolescentibus duobus, cùm ferrum parassent, & rei tenerentur, ignouit. Audiamus Suetonium: *Duos patricij generis conuictos in affectatione imperij, nihil amplius quàm vt desisterent, monuit, dicens, principatum fato dari. si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum. nec solùm illos familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculis circa se ex industria locauit.* Creuit hinc illi nomen, vt Humani generis amor & deliciæ nominaretur. Et apud eundem de Cæsare habemus: *Retectas coniurationes non vltrà arguit, quàm vt edicto ostenderet esse sibi notas; & acerbè loquentibus satis habuit pro concione denuntiasse, ne perseuerarent.* Catonis etiam liberis incolume patrimoniũ seruauit. Adrianum Cæsarem honoribus auxisse, quos priuatos hostes tulisset, narrant Historiæ: Antoninum verò Philosophum, ingen-

Clementia in Principe laudata, maximè in hostem.

Clementiæ in hostes exempla.

gentibus beneficijs onerasse veriùs quàm affecisse, quorum insidias & arma senserat: Alexandrum Seuerum benignitate & comitate nefarias Quintij Camilli Senatoris molitiones auertisse, amicumq; exinde ex hoste iurato parasse. De Constantino illud proditum, cùm ei auctores plurimi essent, vt in Imperatoriæ statuę deformatores ferro & ignibus sæuiret, respondisse, *Ego nullum vulnus sentio.* Quis nunc Principum imitetur? Pompeij verò Magni factum magnum. *Tigranem Armeniæ Regem, benignis verbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti reponere iussit, certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit. æquè pulcrum esse iudicans, & vincere Reges, & facere.* Africanus etiam posterior *nepotem Massanissæ agnitum inter captiuos, annulo, fibulaq; aurea, & tunica laticlauia, Hispanóque sagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum consequerentur equitibus, ad Massanissam remisit. victoriæ maximum fructum ratus Regibus sanguinem suum restituere.* L. etiam Cornelij factum primo Punico bello, Romano dignum. *Cùm Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissimè dimicans Hanno Dux Carthaginensis occiderat, corpus eius è tabernaculo suo amplo funere extulit. tum demum victoriam minimum inuidiæ habituram credens, cùm plurimum humanitatis habuisset.* Hæc priuati. Populus verò Romanus vniuersus, *cùm Carthaginensium legati ad captiuos redimendos in vrbem venissent, nullâ pecuniâ acceptâ, reddidit iuuenes numerum duûm millium septingentorum quadraginta trium explentes.* Illud verò eiusdem populi illustre: *Philippo Macedonum Rege superato, cùm ad Isthmicum spectaculum tota Græcia conuenisset, T. Quintius Flamininus tubæ signo silentio facto, per præconem recitari iussit: S. P. Q. R. & T. Quintius Flamininus imperator, omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione Philippi Regis fuerant, liberas & immunes esse iubet. iteratâ præconis voce, tantâ cælum clamoris alacritate compleuerunt, vt certò constet, aues, quæ superuolabant, attonitas pauentésque decidisse.* Fuit hoc etiam Theodosij Imp. magnum: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto, nomina nostra crediderit lacessenda, ac temu-*

lentiâ turbulentus obtrectator temporis fuerit, eum pœnæ nolumus subiacere, neque durum aliquid, neque asperum sustinere: quoniam, si id ex leuitate processit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum. Audiant Principes, & imitari non pudeat Christianos Christianum Imperatorem. Imitatus hunc Alfonsus Neapolitanus, qui Antonium Caldotam acerrimi hostis sui filium captum benignè habuit, ac inter amicos numerauit. quâ in hostem clementiâ consecutus est, vt reliqui Regem agnoscerent, cuius tam benignam in hoste dexteram senserant. Egrediamur Romanos Italosque. *Antigonus Helenum Pyrrhi Regis filium captiuum, cultum & animum gerere regium iussit: ossáque ei Pyrrhi, aureâ vrnâ inclusa, Epirum in patriam ad Alexandrũ fratrem portanda dedit.* De ipso verò Pyrrho illud habemus: *Audiuerat quosdam Tarentinorum in conuiuio parum honoratum de se sermonem habuisse. accersitos percunctabatur, an dixissent. Tum vnus ex iis, Nisi, ait, vinum nobis defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ ijs quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. tam vrbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio, iram Regis auertit in risum.* Addit: *Quâ clementiâ & moderatione consecutus est, vt sobrij sibi Tarentini gratias agerent, & ebrij benè precarentur.* Laudatum illud etiam Antiochi Regis, *cùm filium Scipionis Africani à suis interceptum honoratissimè except, regiisque muneribus donatum, vltrò & celeriter patri remisit, quanquam ab eo tunc maximè imperij finibus pelleretur.* Magnos animos, & regno dignos. quos nunquam certiùs deprehendas, quàm in Rege & hoste. In priuato licèt commẽdata semper clementia & humanitas, magis tamen in Rege, in cuius manu fortunæ, honor, vita. ac licèt eluceat circa omnes, multò tamen maximè in hostes. vt verè dictum à Seneca: *Seruare proprium est excellentis fortunæ: quæ nunquam magis suspici debet, quàm cùm illis contingit idem posse, quod Dijs, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quàm mali.* Seruare, & perdere posse Deo proximum. & perdere quidem non magnum, cùm quisquis contempsit suam, perdere alienam vitam possit, etiam

iam regiam. factum à multis. Seruare verò, cùm perdere possis, & crimen aut hostilitas iure quodam suo deposcant, supra hominem suum est. ac non nisi magnorum est, & quibus generosior animus. Vt benè Seneca: *Magni animi est proprium, placidum esse tranquillúmque, atque offensiones supernè despicere.* Facit hoc Deus, quem nulla iniuria tangere potest. altiùs enim habitat, quàm vt vllius tela in eum cadere possint. Cui qui similis esse volet, ex alto offensam despiciat: ita vt quæcunque missilia, quacunque manu missa fuerint, nequidquam mittantur; aut sanè in mittentem relabantur generoso repercussu. Dignissimam omnino Deo Patre mentē, quæ tam altè fixit sedem, vt solis elementarij more infrà labentes non sentiat minitantes nubes, rideatq; insana harum murmura, aut iaculata in inane fulmina. Non tangunt hæc solem, qui placido semper cursu orbem circumagit, nulli tempestatum iactationi obnoxius. Eadem à clementia sperare potest, quicunque hanc domo admiserit. Vt bene Seneca: *Clementia in quamcunque domum peruenerit, eam felicem tranquillámque præstabit. sed in regia quo rarior, eo mirabilior.* cùm ferè Reges non tam quid ratio, quid virtus suadeat, quàm quid possint intueantur; regiumq; arbitrentur, cùm plurima possint, plurimum audere, potentiæq; suæ non postremam putent partē, aliena sua facere. errant. Dare regium est, & Deo simillimum, immeritis dare; magis etiam, si hostibus. imò mortem commerito vitam dare, simillimum illi est, qui vitam omnibus primus dedit, nullis antè factis promeritam.

Sunt hæc benignitatis & clementiæ exempla pauca. Sæuitiæ & crudelitatis, orbe toto, plurima sunt. Carolus Siciliæ Rex Messanam oppugnabat. ciues deditionem parabant. armis habere maluit: excidit spe suâ, & regno. inhortantes enim se ab vltima desperatione ciues, vt antè mortem quàm seruitutem deligerent, victoriam à Rege retulerunt. Poterat regnare, si clementiam secutus fuisset. noluit. spoliatus regno iacuit. Euenit propè idem, Ludouico Maleano Ganda- *Sæuitiæ exempla ferè infelicia.*

uum obſidente. dextras ciues petebāt. conditiones ille præſcribebat ingenuis indignas. inter tam ardua quid facerent? fame ferroque premi durum; conditiones omni morte grauiores admittere durius. mutuò ſe ergo inhortantur, mori fortium eſſe; ſeruire, & precariò viuere, ignauorum. inde ab vltima deſperatione, quæ animos ac vires addit, arma capiunt, & non pluribus quàm quinque millibus, triginta armatorū millia fundunt, Comitem in fugam vertunt. Taceo veteres: Amanum, Roboamum, Neronem, & quotquot portio Neronis de ſæuitia & crudelitate audiunt, deque immitate, moroſitate, morumque aſperitate ſuorum animos exaſperant. Sanè vt nihil ferocitate ac crudelitate remotius à Deo eſt, ita nihil benignitate ac clementiâ vicinius; vt nullâ re aliâ Principes propiores Deo ſint, nullaque magis aſſimilentur illi. Qui etiam hoſtes diligi imperat, & inimicas manus beneficijs impleri. nec nudis verbis, ſed rebus. præit Deus. Docemur hoc indies poſt ſcelera & peccata. neque teſtibus opus, non Magdalena, Publicano, Zachæo, Latrone: ipſi benignitatis, manſuetudinis ac clementiæ diuinæ ſigna circumferimus. animum nimirum noſtrum poſt innumera ſcelerum vulnera, ſolius Dei benignitate, ſibi vitæque reſtitutum. Et cuius vnquam tot in Principem ſuum ſteterunt crimina, quot Principis in Deum, etiam Principis optimi? & pepercit tamen Deus, nec ad vindictam decurrit. & vnâ ſæpè lacrymâ, vno ſuſpirio, vnâ voce, *Peccaui Domino*, deleta ſcelera; nec memoria iam illorum vlla. Crux & Chriſti vulnera, quò vocant Principem!

Clementia Deo ſimillima.

Nimia ſui abiectio Principi vitanda.

Benignitatem verò & comitatem in Principe commendo; abiectionem nolo, ne pro veneratione contemptum referat. Volo benignum; nimiam tamen in ſuos familiaritatem non probo: quòd ſciam ægrè illam cum veneratione conſiſtere. paritatem enim quamdam familiaritas inducit. ſed & vitia quædam aperit. Iam cùm Imperia ferè opinionibus contineantur, arcenda ſunt quæ minuere opinionem conſue-

ſueuerunt. Affectum deinde in Principe deſidero patris. Præit Titus apud Suetonium: *Non modò Principis ſollicitudinem, ſed & parentis affectum vnicum præſtitit, nunc conſolando per edicta, nunc opitulando, quatenus ſuppeteret facultas.* Imitetur Princeps Chriſtianus. turpe vinci. Meminerit tamen in patris affectu, vt benignitatem comitatemq; non vltra patris morem extendat; vt neque ſubditi audaciam induant ſupra filialem. veneratio proinde ſua illi ſemper ſtabit, cultuſque in ſe ſuorum. Monet? imitetur patrem. Reprehendit? cogitet filios. Punit? induat perſonam patris in filios. Donat? patrum more faciat: vt benignis verbis dona veſtiat. nam ſi à moroſa veniant manu & ore, ingrata etiam magnitudine ſuâ erunt. Vt placeant, benigna ſint, & comiſſimis ornata verbis, & magnitudinem quamdam induent. vt parua licèt, gratiora à comi lætaque munera manu ſint, quàm à moroſa triſtique magna.

Benignitatem Belgarum Princeps ALBERTVS maieſtate miſcuit: neque benignitatem tamen vnquam vltra patris affectum extendit, nec maieſtatem ſupra Principem extulit. hanc illâ temperans; nec ſe abiiciens, nec extollens. vt & maieſtas veneratione͂, & benignitas amorem prouocaret. Clementiam verò ſemper præ ſe tulit, cuius euentum felicem, cùm crudelitatis ferè infelicem, veterum Principum exemplis didiciſſet. quin & eos qui hoſtili aliquando in illum fuiſſent animo, & armis etiam teſtati eſſent, reduces amplectebatur; & filiorum loco habebat, quos hoſtes paſſus erat.

Quidquid in magno deſiderari Principe poteſt, in CAROLO V. reperies, vt meritò Maximi illi nomen Paullus III. indiderit. Regias cogita virtutes: omnes reperies, parando, tuendo imperio neceſſarias. *Breuis enarratio vitæ* CAROLI V.

Animus illi à prima ætate compoſitus, ac inter pericula, Regumq; minas, & orbis propè vniuerſi arma, interritus. ita altiſſima quæq; flumina minimo ſono labuntur: torrentes ferè ſaxis admurmurant, & plùs terroris oſtentant quàm habent. *Animus compoſitus & interritus.*

bent. Et incredibile propè, illum inter media arma, bellicosque fragores, tam pacato tranquilloque animo vultuque fuisse, vt in alta pace, adeoque medium inter ludum & iocum stare crederes: Nuntiabâtur eodem tempore Europæa propè arma omnia, Turcica, Germanica, Gallica, Italica, Hispanica, Belgica; nec colorem mutabat. arbitrareris personasse theatra, aut scenicos ludos. Nuntiabatur ex amico Mauricius hostis, ac non vulgaria loca occupasse. nihil Imperator reddidit, quàm nullam potentiam scelere quæsitam cuiquã vnquam fuisse diuturnam. Et sanè debellari tunc CAROLVS potuit, & imparatus opprimi: sed perpetua sociaque illi felicitas, hostilia arma & consilia vertit aliò.

Constantia. Atque hinc perpetua illi comes *Constantia*, quæ in periculis maxime eluxit subeundis. Gallicum hoc iter docuit. & quis Regum æmulo se cõmittat Regi? Iam cùm molles ferè in calamitatibus mortalium animi sint, duriores in CAROLO nostro fuerũt. Sæuæ hoc docuerunt Oceani in Africano littore iactationes. at ille contrà ire ausus, non ora mutauit, non oculos; stetitque inter insanos fluctus, toti interitum classi minitantes, inconcussus. crederes ingentem medio mari rupem, quæ iras minasque suas Oceanum doceret bibere. Quid? quòd obseruatũ à familiaribus, maiores semper in Cæsare nostro in arduis & aduersis, quàm in leuibus & secundis animos fuisse. Plurimis hoc exemplis docere possem, sed promissæ memor breuitatis, transeo ad

Magnanimitas. *Magnanimitatem*, constantiæ sociatam. cùm enim non semel à magnis viris moneretur, ne se Hispaniamque suam perditum iret in præpropera Imperij cogitatione, nil respondit, quàm infra virtutem terrores semper & pericula fuisse; & cum Augusto, cum periculo gloriosius esse summa, quàm tutò humilia sequi; &, vt non responderet cogitationibus euentus, conatum tamen in laude apud posteros fore: citò verò gloriam obsolescere in rebus paruis: nec quidquam indignius, quàm consumi eam, vbi non potest ostendi. Addidit

didit illud Alexandri, cui ſobrio, nec iracundo aut temerario ſimillimus: *Me in perpetuum aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.* Cùm pergerent vrgere, prece, auróue, aut nouo connubio parari Imperium certiùs quàm armis poſſe; nil retulerunt, quàm Generoſius eſſe mori quàm precariò imperare: ignauiſſimum verò eſſe, auro ſceptra parare. Monitus autem non ſemel, maximè in bello Saxonico, vt ſibi parceret, tutioraq; in acie loca deligeret; Minimum aiebat Regibus ab hoſtibus periculum eſſe, & ferè tutiores in acie Reges, quàm in menſa aut ſtrato fuiſſe. ſanè plures cubilia, quàm campos ſanguine ſuo purpuraſſe, pluresque ſuorum quàm hoſtile ferrum funeſtaſſe.

Fortitudini indiuiduo quodam nexu iuncta *felicitas* fuit. & fidem propè ſuperant quæ oculati narrant teſtes, & temporis illius ſcriptores, quibus nulla mentiendi cauſſa, aut libertas, cùm redargui poſſent. Iulium Cæſarem vrbes octingentis plures cepiſſe, gentes trecentas ſubegiſſe, ſigna cum tricies centenis millibus diuerſis temporibus contuliſſe, ductibuſque illius extra bella ciuilia, vndecies centum & triginta duo millia cæſa fuiſſe, ſigniſque collatis, quinquagies & bis dimicaſſe narrant; ſolumque M. Marcellum ſupergreſſum, qui nouies & tricies pari modo fuiſſet præliatus. Pompeium verò caſtella mille, vrbes haud pauciores nongentis, piraticas naues octingentas ſubegiſſe, bellaque propè innumera geſſiſſe. Conferamus hæc Maximi noſtri CAROLI factis. quē è veteri nouoque orbe, ſuo ſuorumque ductu, quadraginta illuſtres ab hoſtibus victorias retuliſſe ſcribunt, vt nihil tangam leuiora prælia: bella & numero & hoſtium potentiâ ac viribus magna, ſupra ſeptuaginta, ad optatum exitum deduxiſſe: caſtella ſupra centum millia, & decies octingentas vrbes, naueſque ſupra decies & octingentas hoſtiles cepiſſe. nunquam autem caſtris exutum, nunquam acie aut prælio victum. & vt breuibus ſingula tangam, lego *Hiſpanica* bella quatuor, felicia omnia. *Italica* octo. inter quæ nobiliſſima;

Fortitudo & res bellæ geſtæ.

Primum, Insubricum, ducibus Columna & Marchione Pescara. Secundum, Papiense, ducibus Borbonio, Lanoio, Pescara. Tertium, in quo Comes Simpolius ab Antonio Leua captus, Mediolanumq; non semel armis subactũ, Ducibusque suis redditum. *Neapolitana* duo. præmium regnum vniuersum fuit. *Hetrusca* tria. in quibus Hetruria non semel Ducibus suis parere iussa. *Germanica* sex. inter quæ maximè elucent; Primum, Rusticum, in quo intra quadraginta dies pugnatum septies, centum & quadraginta millibus cæsis. Secundum, Smalcaldici fœderis, in quo centum & viginti armatorum millia. Tertium, Saxonicum, in quo Fredericus Saxo captus. & magnum omnino, mensibus non octo Germaniam domitam, Saxonicoq; bello diebus quadraginta finem impositum, in quo annis quadraginta Carolus Magnus sudauerat. Quartum, Viennense, cùm Solymannum nunc trecentis, nunc propè sexcentis suorum millibus armatum, soluere Viennensem obsidionem bis coëgit. *Belgica* nouem. inter quæ illustria; Primum, apud Veromanduos Philiberto Allobrogum Duce: in qua pugna Egmondæ Comes viam primus audaci ferro felicissimè aperuit. Secundum, apud Grauelinganos eiusdem Comitis ductu & felicitate peractũ. præmium in Belgicis omnibus. Transisulana, Frisia, Groninga, Traiectum, Tornacum, Cameracum. in quibus vrbes quinquaginta. *Iuliacensia* septem. quibus Geldriam Belgio suo adiecit. *Noui orbis*. in quibus Ferdinando Cortesio & Francisco Pizarro ducibus, Reges octodecim, octodecim prælijs domiti. è quibus Atabalida vltimus Cuscorum Regum, septuaginta aureorum milliones, intra dies septuaginta appensurum se spoponderat si libertati restitueretur. *Piratica* plurima. quibus piratas omnes Germanico, Britannico, Belgico, Celtico, Hispanico, Indico, Mediterraneo mari expulit. *Epiroticum* & *Peloponnesiacum*. in quibus felicissimè ab Andrea Auria pugnatum. *Carthaginense*, Thunetanum dictum. in quo Goleta capta, Ænobarbus, Barbarossa dictus,

cum

cum bis centum peditum, equitum ſedecim millibus in fugam coniectus, Muleaſſeſq; Thunetanis Rex datus. ***Africum.*** in quo Aphrodiſium captum, Dragutes deturbatus, mare pacatum. ***Dalmaticum***, Auria & Ferdinando Gonzaga ducibus feliciter actum. ***Prouinciale,*** eodem Gonzaga duce fortunatè geſtum. ***Allobrogica*** tria, in quibus ab Alfonſo Daualo Vaſtij Marchione pugnatum bene. ***Bohemicum*** denique. in quo ad debitam Imperatori fidem Bohemi reuocati.

In his omnibus, illud CAROLI noſtri memoriâ digniſſimum æternâ: Nunquam ſe vltrò bellum intuliſſe; prouocatum ſemper. alienaque, non ſuâ, voluntate ad arma deſcendiſſe. Addunt dicere ſolitum: Si vniuerſam Galliam meam feciſſem, redderem Regi ſuo, mihi tantùm mea permitteret.

In moliendis efficiendiſque rebus *celeritatem* qui conſiderauerit, fidem ſuperaſſe credet. Hiſpanici hoc tumultus, Italici, Germanici, Gallici, Belgici, vno eodemque tempore exurgentes compoſitiq; docent. velociſſimi ſanè ſideris more tranſuolaſſe ſingula, magniq; Numinis exemplo, inuocatum, quaſi momento aſtitiſſe, opemq; attuliſſe credas. Nullam in Magno Alexandro virtutem, ſupra celeritatem Curtius admiratur. vidiſſet CAROLVM noſtrum, & Magno Alexandro, ſed ſobrio, neque iracundo & temerario, maiorem dixiſſet. Addidit *vigilantiam*, qualem nemo ante ſe Imperatorum maiorem. noctes totas diebus iungebat, nullis armis, ſudoribus, itinerumque difficultatibus & magnitudine fatigandus. Et quod Pacatus de Theodoſio, meritò de CAROLO dici poſſit: *Vt indefeſſa vertigo cælum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit: ita tu, Imperator, continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.*

Celeritas in rebus agendis.

Vigilantia.

In *liberalitatem* ac *munificentiam* pronior. cùm etiam puer quadragenos aureos, ſæpiùs per diem in egentes, clam Præfectis ſuis, erogaret, quò & illorum pudori, & modeſtiæ ſuæ conſuleret. Scio non defuiſſe qui retractum in hoc genere arbitrarentur. falluntur. aberat, fateor, prodigalitas: nec ero-

Liberalitas

gabat, quod puderet dicere. liberalitas tamen aderat. quæ nunquam magis quàm in arduis & magnis eluxit: cùm non pecuniam aliquam, sed regna & prouincias dare consueuisset. Muleassem Thunetanis dedit Regem. Gulielmo, Iuliæ, Cliuiæ, Montensem Ducatum, armis subactum reddidit. Sfortiæ Mediolanum; Alexandro & Cosmo Hetruriam; Sabaudo Astensem Comitatum; Mantuano Montemferratū; Ferrariensi Mutinam & Regium; Gonzagæ Molphetam & Arianum; Auriæ Melphim; Vrbinatium Duci Soram; Burano Lingenum; Leuæ Asculum; Lanoio Sulmonam; alijs alias vrbes, castra, prouincias largitus. Iam cùm beneficia ferè in Regibus eò vsque læta sint, quo videtur exsolui posse; vbi verò multùm anteuenere, pro gratia odium referunt; in Carolo nostro in æterna memoria erant: posteriorque semper liberalitas vincebat priorem, cùm nunquam deesset quod largiretur. cumque in Principe insolitum sit, vt se putet cuiquam suorum obstrictum, aut, si putet, amet: in nostro magnum fuit, & accepta beneficia fateri, & liberaliore semper dexterâ remunerari.

Prudentia. De *Prudentia* quid dicam? adnata illi fuit. hinc dicta factaque illius sapientiæ plena. quam etiam admirari solitus Solymannus Turcarum Imperator, & quotquot illi à consiliis. Nihil enim quod adderent habebant, quoties ille sententiam dixisset, nihil quod demerent: semperq; quod discerent inueniebant, nihil quod docerent. Nihil interim calidè aggrediebatur, consultò omnia. & amabat in dicendis sententijs candorem ac libertatem, cùm diceret, defuturos qui suaderent, si suasisse periculum esset. Sed neque res vnquam minimas negligebat, dicere solitus, Medicos nil nociturum in ægro relinquere: sed neque quidquā tutò in hoste, quantumuis inualido, despici. valentiorem enim hunc negligentiâ fieri; nihilq; tam magnum, cui periculum non possit esse à minimo. Quo factum, vt non rarò ex vltima Hispania, ad vnius tumultuantis ciuitatis denuntiationē, celeribus equis ad-

aduolarit. Iam cùm Germanica nuntiarentur bella, & negligenda hæc plerique putarent: solus hæc metuenda putabat Imperator, maximè quòd prætenderetur religio, potentissimum ad arma incitamentum. Ferè namque, vbi hæc multitudini præfertur, certiùs audaciusque vatibus, quàm ducibus suis paret: quo magis properè occurrendum malo putabat. Ridebant alij, cùm dicerent largius passim per Germaniam merum circumferri, tanquam debellaturi super mensam Imperatorem essent. solus non ridebat Imperator, qui sciret etiam post mensas victorias Germanis stetisse, & fors nunquam certiùs: sed & consilia inter pocula de summa rerum agitare, & fœdera inire solitos, & arma parare. crederes mero animos accendi, pectoris quoddam gelu solui, audaciam indui, & quod mireris, abditam prudentiam ac propè emortuam, in vitam lucemq́ reuocari.

Taceo ***humanitatem***, benignitatem, morum suauitatem, vt nihil interesse inter priuatum & Principem putares, nisi quòd à pluribus amaretur, cùm ipse plures amaret. Taceo in gubernando ***moderationem***, indulgentiam in victos, ***clementiam*** in omnes. Accusantibus hanc non paucis, talem se aiebat cum Traiano priuatis esse, quales sibi Imperatores priuatus optaret. Mirantibusq; quòd neminem à quo læsus fuerat capite mulctasset, cum Theodosio respondebat: ***Vellem & mortuos ad vitam reuocare.*** Stupentibus ad detrahentium licentiam, dicere solitum ferunt: Nullam vllo sæculo tantam fuisse potentiam, in quam non incurrisset contumelia. adeoque magnitudinis signum esse linguas pati maledicas. quare nec admittebat si quis asperiùs in se dicta referret, cùm diceret, eum qui malignos de se sermones habitos admitteret, nihil agere, nisi vt vltrò tempestatem sibi accerseret. Adulatores verò non alio quàm hostium loco habebat, dicere solitus, adulationem regiam quamdam scabiem & venenum esse, quod sceptrorum intima depasceret, cùm plures hæc vna, quàm hostis euertisset.

Humanitas. *Moderatio.* *Clementia.* *Detractientum contemptus.* *Adulatorum hostis.*

Comitas. *Comitate* fuit incredibili: patebatque ad eum aditus omnibus, etiam plebeijs, mirantibus in tam matura grauitate tantam facilitatem. Dixisse accepimus parentis hanc esse in filios, qualem putabat Principem omnem esse debere. Sed & aditum dicebat omnibus, omni tempore, ad magnum cæli Numen patêre, quo magis ad Principes, qui illius personam referrēt in terris. Dicentibus non carere tantam facilitatem periculis, respondebat, frustra se terrore succingere, qui septus amore suorum non esset: armis arma iritari, amore amorem prouocari.

Temperantia. Mensa illi ad maiestatem regia. vtebatur tamen hac adeò moderatè, vt cibus illi potusque ferè ad certas vncias staret. vitra sanè certis vncijs definiebantur. delectabatur autem obuijs, & paruo parabilibus, ac fortuitis magis, quàm multâ arte & studio paratis.

Veritas. Mira verò fuit omnino in hoc Principe linguæ & mentis concordia: cùm sæpè illud repeteret, magnitudinem suam Imperatorem ignorare qui mentitur; seruileq; ac femineum vitium esse mendaciū. Illud etiam in ipso gratissimū, quòd, cùm omnium ferè peritus linguarum esset, omnium vteretur, quoties in variarum linguarum homines incidisset. Sed & cùm Italica bella gereret, Italicis vtebatur armis, vestibus, cultu, linguâ; cùm Germanica, Germanicis; cùm Hispanica, Hispanicis; cùm Belgica & Gallica, Belgicis & Gallicis. vt etiam barbam & capillos gentium consuetudini aptaret, vt non vnius gentis, sed omniū & Rex & parens esse videretur.

Omnibus omnia factus.

Pietas. *Pietas* in illo longè supra regiam fuit. Horæ quadrantes tres singulis diebus manè, flexis humi genibus, orationi dabat. Sacrum non nisi semel omni vitâ omisisse, idque in Africano bello, referūt scriptores. etiam inter arma, & in mediis belli ardoribus, nunquam negligebat preces, quas prolixas manu suâ scripserat. Et quod certius in Imperatore pietatis documentum, quàm, quo securiùs vni Deo viueret, sceptra & purpurâ ponere; & tot simul regnis, tanto sanguine

&

& sudoribus partis, momento se exuere; & ex orbis propè domitore, in gratam Deo solitudinem sese abdere? ô nimis rarum in diademate! quo magis laudandum. At non durum post sceptra imperium ignorare? durum, si alienâ; suaue, si tuâ voluntate, & vni Deo. Scio sceleratis ingeniis non dominari instar seruitutis esse: sed probis piisque Deo seruire soli, instar dominationis magnę est. his enim omnis seruitus delicijs plena, omnesque dies, festi; plusque de imperio habent, quo plus de Dei seruitute prætulerint. nobilis seruitus, orbis imperio dignior, æternis imperijs præmianda. Et non prudens negotiatio est, peritura imperia ponere, vt doneris æternis? fecit CAROLVS. Non dico, Imitemini Reges. frustra voueam. hoc dico: Laudare non pudeat, quod imitari pudet. Iam cùm in omni vita, tum in morte maximè, pietas illius enituit, cùm inclamaret illud Apostoli sæpiùs, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* ac inter profusas lacrymas, inter amica crucis oscula, inter frequentata suspiria, *Christe in me mane, vt ego in te maneam.* In quibus etiam verbis, & arctato crucifixi amplexu, animam illi reddidit, à quo acceperat.

Hæ fuere virtutes CAROLI verè Maximi, quibus & vetera regna tutatus, & parauit noua. imitetur quisquis & illa salua volet, & hæc sperare audet. vtaturque illius vitâ pro regula & censura. Non opus ad magna imperijs, opus exemplis. infidelis enim recti magister metus est. nec pudeat imitari mores & virtutes, quas nullo vitiorum confinio, rarissimo in omnem ætatem exemplo, læsas vnquam fuisse reperiet.

CAPVT III.

Facilem aditum, ac faciles benignasq; aures Princeps prabeat.

FACILES deinde præbeat aures omnibus. nullum repellat. æquitatis enim magnam opinionem ingenerat animis promptitudo, ac facilitas. & dum audiri se vident, de præroga-

rogatiua sibi gratulantur, & imperium ferunt, & dominum patiuntur. Repulsam ferunt? non agnoscunt in Principe patrem, sed tyrannum. iam cùm non agnoscant patrem, desinunt esse filij, & seruorũ personam induent. depposituri hanc, fraude an virtute, iuxtà habebunt: neque in officijs continebuntur, nisi seruorum more, metu, non amore. illum si sustuleris, obsequia cessabunt. Quàm verò miserum sit nuda corpora possidere, nemo non videat. metus illa possidet. animus libertate suâ fruitur. neq; dominari huic metus potest; amor potest, quo vno stringi ac vinci se patitur animus. Grauior insurgit metus? obsequetur. sed equorũ more, quos flagra & calcaria in cursum impellunt. Quid? quòd difficiles aditus fastus & contemptus opinionem ingenerent: quo fit, vt, cùm contemptus contemptum pariat, fastidio incipiat esse Princeps, & alium circumspicere subditus audeat. quod quàm noxium imperijs sit, res & exempla loquuntur. Facilitas verò quàm grata semper, doctorumq; calamis laudata fuerit, docet in Augusto Suetonius: *Promiscuis salutationibus admittebat & plebem, magnâ comitate adeuntium desideria excipiens*. & in Vespasiano: *In principatu, maturus semper, ac de nocte vigilabat. deinde perlectis epistolis, officiorúmque omnium breuiariis, amicos admittebat: ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese, & amiciebat. postque decisa quæcunque obuenissent negotia, gestationi & inde quieti vacabat*. nimirum non nisi decisis omnibus. Quid? quòd in morbo qui illi fuit vltimus, *non minùs muneribus imperatoriis ex consuetudine fungeretur, vt etiam legationes audiret cubans. aluo repentè vsque ad defectionem solutâ, Imperatorem ait stantem mori oportere. dúmque consurgit, ac nititur, inter manus subleuantium extinctus est, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum*. O verè Imperatorem, verè parentem! tam graui ætate & morbo, momentum etiam vltimum alijs dare, ne illud transmisisse videretur inane. Idem propè reperies apud Suetonium in Tito: *Animos hominum obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret. quin & monentibus domesticis,*

Amor in Principe timore potior.

quasi

quasi plura polliceretur quàm præstare posset; Non oportere, ait, quemquam à sermone Principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cænam, quòd nihil cuiquã toto die præstitisset, memorabilem illam, meritóque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi. Auream vocem, omnium Regum cordibus, gemmâ ſcribendam! Non inferior Rudolphus Auſtriacæ domus illuſtre decus, à cuius congreſſu cùm aulici purpurati tenuiores arcerent, digniſſimam quæ in omnem poſteritatem eat, vocem edidit: *Sinite homines ad me venire; neque ideo Imperator ſum, vt arculâ includar.* Imitentur Reges, Principes, nec patiantur ſe ab Imperatore benignitate vinci. Hoc eſt audaciæ in femina plenum, facilitatis in Imperatore: *Tranſeuntem quondam mulier rogauit, vt ſe audiret. cùm ille reſpondiſſet, Otium mihi non eſt; illa deinde clamans ait, Noli ergo imperare. tum conuerſus illam audiuit.* Hæc Caſſius in Adriano. quis nunc Regum liberas has in muliere voces ferat? De eodem Spartianus: *In colloquiis etiam humillimorũ ciuiliſſimus fuit, deteſtans eos, qui hanc voluptatem humanitatis quaſi ſeruantes faſtigium Principis inuiderent.* Et illud: *Cum populo non aliter egit, quàm eſt actum ſub ciuitate libera.* Pulcrum etiam illud Lampridij in Alexandro Seuero: *Moderationis tantæ fuit, vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, vt omnibus ſe blandum affabilémque præberet, vt amicos non ſolùm primi & ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes inuiſeret.* O plures Alexandros largire Deus! Et alibi: *Cum amicis tam familiariter vixit, vt communis eſſet ei ſæpè conſeſſus, & iret ad conuiuia eorum; aliquos autem haberet quotidianos etiam non vocatos. ſalutaretur verò quaſi vnus de Senatoribus patente velo, admiſſionalibus remotis.* Quem mihi nunc dabis Alexandrum? Et de Traiano Plinius: *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis.* reddebat ore. *Hæret lateri tuo quiſquis acceſſit, finemq; ſermoni ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia facit.* Laudatque, *quòd primo ſtatim die latus ſuum crederet omnibus.* Addit: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora: audiuntur ſtatim, dimittuntur ſtatim.* De eodem Eutropius:

pius: *Amicis illum culpantibus, quòd nimis circa omnes comis esset, respondit, talem se Imperatorem esse priuatis, quales esse sibi Imperatores priuatus optasset.* In eandem propè sententiam Capitolinus in Antonino Pio: *Senatui tantum detulit Imperator, quantum cùm priuatus esset, deferri sibi ab alio Principe optauit.* Est & illud Herodiani de M. Antonino Philosopho: *Adeò ciuilem sese & commodum omnibus præstabat, vt adeuntium cuiuis dexteram placidè daret, neminémque à suis custodibus prohiberi aditu pateretur.* O multos experiamur Antoninos! Istud etiam in Gratiano Ausonij: *Laudabile Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus: nec de occupatione caussari.* De Constantino Nazarius: *Quid? faciles aditus. quid? aures patientissimas. quid? benigna responsa. quid? vultum ipsum augusti decoris grauitate hilaritate permistâ, venerandum quiddam & amabile renidentem, quis dignè exequi posset?* De Theodosio Pacatus: *Creber egressu, exspectantibus populis te fateris, nec videri modò patiens, sed facilis adiri, è proximo accipis vota omnia tuorum.* De Rudolpho Imper. Miltiade, Cyri fratre, variarum gentium Historici. Quo magis tantorum exemplo facilitas amplectenda Principi. Et nescio, an res alia plus referat in Principe patris, plusque excitet in subdito venerationis & amoris. incipit enim esse pater, qui audit; esse filius, qui auditur. hinc amor patris in filium, filij in patrem. quo vno æternare solent regna, & inuicta stare. Quid? quòd accepisse se subditus beneficium credat, cùm faciles Principis aures nactus fuerit, licèt non consequatur quod petit; maximè cùm mollibus verbis, humanitatem benignitatemq; testantibus, negatur, aut in aliud tempus beneficium differtur. vt sæpè negatio mollibus vestita, gratior sit tristi morosaque largitione. perdit decorem extorta concessio: & carè emisse se putat, iustumque pretium numerasse, qui magnis precibus munus expressit.

Facilis ad Principem aditus refert aliquid paternum.

Magnum facilitatis huius in ALBERTO exemplum habemus. in quo cùm augusta quædam supra hominem suum elucerer maiestas, tum facillimas aduentantibus aures præbebat.

bebat. nulli se subtrahere solitus, nulli aditum negare: audire omnes, benigneq́ue excipere, benigniùs etiam dimittere; & audire prolixè, nulliusq́ue vnquam dictionem, licet parum vrbanam, interrumpere. parcè interim, sed benignè, respondere. vt non pauci mecum in vno Principe admirarentur, maiestatem propè humanâ maiorem, ac plebeiam penè in audiendo facilitatem. ac licet ea non rarò proponerentur, quæ meritò generosum exacerbare Principem possent; nullum tamen ab ore vnquam illius verbum durius, nullum indignantis animi exaudiebatur. ita perpetua in hoc mari magno malacia stabat: cùm indignum Principe putaret commoueri, & in perpetua quadam tranquillitate mentem continere, Diuis simillimum arbitraretur. quos imitari dicebat Principes debere, qui Diuorum in terris vicem gerunt.

CAPVT IV.

Hilaritatem & lætitiam vultu ostentet, animumq́ gratum.

LÆTITIAM vultu Princeps præ se ferat. Mœror & tristitia, & morosiora verba diffidentiam pariunt. nec quisquam facilè asperioribus ac fastidiosis ingenijs, ac perpetuò quasi nauseabundis, se suaq́; committit. amœnitatem fiducia desiderat. mœror & morositas, & frons rugosior, iacentesq́ue genæ, & aceto lotæ omnem fiduciæ aditum claudunt. fiduciâ verò sublatâ, quid speremus? fraus & doli, simulationes, & subdolæ molitiones succedunt. Adeunda pericula sunt, fundendusq́; sanguis? quis gratuitò hoc faciat? & quæ præmia à morosо speres? hilarem præmia poscunt, retractum mœror. accedit, oculorum, vultus orisq́ue tristitiam, fastidium, aut fastum, aut vtrumque designare. fastidium animos adimit, fastus odia parit. Quid? quòd plura plerumque, frontis quadam amœnitate, in tenui pręmio, quàm in ingenti, à morosо

Præmia à moroso non sunt speranda.

Hilaritas pro premio est. ore prolata extorqueas? Hilaritudinem quamdam, si placitura præmia sunt, deposcunt. nesciunt placere mœrente manu & ore concessa. & ferè magnitudinem suam præmia, à largientis hilaritate mutuantur. imò sola lætitia, promptusq; ad erogandum animus, facultate destitutus, moroso quocunque munere maior & gratior est. Vt taceam, nullâ propè re alia potentiùs animos, quàm seriâ quadam hilaritate parari. Vincet animos suorum Princeps, qui læto vultu & ore excipere suos didicit. pro quo etiam ærario omni destituti, gaudebunt vitam ponere: lætiùs ante huius pedes casuri, quàm ante morosi præmijs donandi. Quid verò lætitia, quid *Prou. 15.* mœror posset, sciebat Sapiens. hinc illa: *Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deijcitur spiritus.* Tristis verò Principis facies, deijcit reliquorum. quæ si perpetua est, abit in contemptum, & neglectum. ignaui enim ferè animi est continuata tristitia, aut sanè crudelis. atque hinc odia nascuntur subditorum, & arma, non nisi cum alterius partis interitu ponenda. è tam tenui re tam magna. Caue Princeps, nec tam arreptæ occasionis magnitudinem aut tenuitatem, quàm secutura mala cogita. è minimis ferè maxima semper in regnis nata. nec parua censenda sunt, quæ periculorum damnorumq; magnorum ingentem secum molem trahunt.

Continuus mœror ignaui animi, aut crudelis est.

Ingratitudo Principe indigna. De gratitudine, gratique animi significatione hoc dicam: nullum ingratitudine indignius in Principe vitium esse; qui gratissimos imitari Deos debet, si Dijs simillimus esse volet. Irremuneratum ergo nullum relinquet Princeps, nullum post merita indonatum. quin adeò aliquid semper supra merita conferet, ne iusto suorum labores pretio emisse videatur; tantumque accepisse, quantum dedit. Parium hoc est, non Principum. Nam si ingratitudine suorum merita compenset Princeps, ex amicis hostes expectet, & è propugnatoribus oppugnatores acerrimos. Nihil magis sæuit, quàm odium ingratitudine progenitum. & circumspicient tales liberaliorem manum, quæ sudorem sanguinemque metiri

Ingratitudo ex amicis hostes parat.

metiri nouerit. hostis illa sit, an amica, iuxtà habebunt. imò antè ad inimicam euolabunt, quò certior vindicta sit. Et vt nullus ab his metus, magnos tamen viros sperare non potest Princeps, qui irremuneratos suos transit. Nec magnorum hoc Principum esse consueuit: inferiorum non raro esse fateor. qui si bellicâ maximè virtute clarum nacti fuerint, parem verentur, virtutem reformidant, purpuræ metuunt. quare aut deprimunt, aut tollunt. Non cadit facilè hæc formido in longè lateque imperantes. factum tamen diffiteri non possum. at quoties euenit, toties propè cum Reipubl. interitu. Hinc Narses Longobardos Iustiniano imposuit, Wandalos Bonifacius Imperio, Mauros Hispaniæ Iulianus Comes, alij alios. E Principum deinde ingratitudine, multi orbe toto tyranni exorti. audere, ingratitudine nata desperatio & indignatio docuere. Fateor ingratitudinem non esse iustam secessionis à Republ. aut Principe suo caussam; speciosa tamen, & apud populum, & apud exteros esse solet. & nescio quâ commiseratione ferè in tales rapiamur: quæ si maior est, ad arma etiam conuolare suadet, tanquam pium esset læso succurrere. læsum verò arbitramur, cuius promerita irremunerata videmus. Et verò, vt ad extrema hæc ingratitudo non cogat, animos adimit ad ardua pro Principe audenda; retunditque generosiores multorum animos: frangit industriam, auertit conatum. Iuuari vult virtus. à qua si præmia sustuleris, quid speres? etiã in Deo. tolle promissa cælo præmia, quis monentẽ, inuitantem sequetur? aut quem sola virtus, ornatu suo, præmio dico, nudata, ad magna impellet?

Mala è Principum ingratitudine nata.

Principis ingratitudo animos subditis adimit ad magna audenda.

Verùm cùm remunerari facta velim, ita volo, ne aut seniniùm suis exuat Princeps, aut formidandum potentiâ sustineat. Meminerit se Principem, nimiæque potentiæ adiacere audaciam, nouisque plerumque populum delectari. Intra præmiorum ergo mediocritatem se tenebit, nec sordes amabit, nec profusionem; nec parem statuet, nec indonata transibit merita.

Cauendũ Principi ne nimiâ liberalitate metuendam suorũ potentiam alat.

Non facilè Princeps subditos sibi affinitate iunget. Nescio etiam, an probanda illa quorumdam Principum consuetudo, quâ fortia suorum facta connubio remunerantur regio, cùm aut filiam, aut sororem, matrimonio iungunt, remunerantes propinquitate merita. Fors tutiùs exteris Principibus, quàm subditis hæc largiantur. nescio enim quid de propinquo, propinquus sanguis audere non persuadeat. taceo.

Ferendus Princeps ingratus. Quòd si tamen pergat ingratus Princeps esse, non tamen ideò ab armis, tanquam à medica manu, salus speranda. à modestia speret. transeatque ingratitudinem vt alienam: nec accuset illam, nec fortunam suam, nec benefactorum immemorem Principem; sed spe plenus oportuniora expectet tempora. Laudem sanè, vt nihil aliud, in omnem posteritatem consequetur eo maiorem, quo maiore ingratitudine percussus fuerit. Cogitet deinde nec solum se, nec primum tulisse. Hinc verum illud Themistoclis: Magnos plerosque ac Græciæ primos platanos fuisse, ad quas sæuiente tempestate populus confugeret; sereniore verò cælo destitueret. Nec longè exempla quærenda.

Ingratitudinis exempla. Coriolanum, quòd iniquæ aduersaretur voluntati populi, exulatione mulctauit, agrosque colere iussit. nec minùs ille ferociter iniuriam armis vindicasset, nisi inferentem signa filium mater lacrymis exarmasset. Camillus incolumitatem suam tueri in ea vrbe non potuit, cuius ipse salutem stabiliuerat, felicitatem auxerat & quidem eo tempore quo filio spoliatus, solatiis magis alleuandus, quàm cladibus onerandus erat. Africanus Superior, ignobilis vici accola, inscribi sepulcro iussit: Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes. Posterior Africanus raptorem spiritus domi inuenit, mortis punitorem in foro non reperit. Nasica Pergami vitæ quod superfuit, sine vllo ingratæ patriæ desiderio peregit. Lentulus pro vulneribus pro patria exceptis, mercedem tulit, ne in vrbe moreretur. Ahala, custoditæ libertatis ciuium, exilio suo pœnas pependit. De Atheniensibus Valerius: *Thesea paruo*

no in scopulo sepeliri, Miltiadem post trecenta millia Persarum Marathone deuicta in carcere mori, Cimona paternas induere catenas, Themistoclem Xerxis victorem victi hostis genua complecti, Solonémque cum Aristide & Phocione penates suos ingrata fugere coëgisti. De Carthaginensibus: *Annibalem, qui tot exercitus nostros trucidauerat, quot gregarios milites hostium si occidisset, magnæ gloriæ foret, è conspectu suo submouerunt.* De Lacedæmonijs in Lycurgum: *Sæpè lapidibus petitus, aliquando furore populi eiectus, etiam priuatus oculo, ad vltimum ipsâ patriâ pulsus est.* De Magno Alexandro quid dicam? Lysimachus leoni obiectus, Clitus hastâ traiectus, Callisthenes mori iussus, Philotas miserè cæsus, Parmenio per speciem amicitiæ occisus, quid nisi infidã Regum amicitiam produnt? De Callisthene Curtius: *Quam crudelitatem sera pænitentia consecuta est.* De Parmenione: *Multa sine Rege prosperè, Rex sine illo nihil magnæ rei gessit.* Taceo Belisarium, Aratum Philippi, Vineam Frederici, Cabreram Petri Aragonis, & sæculi nostri non vnum. I nunc, & Reip. fide & Regibus, fide promeritis. Si quid factum bene, vetus dictum, leuior plumâ est gratia: si quid minùs gratum, plumbeas iras gerunt. & ferè in exilio & ferro finiunt. Benefactorum memoria nulla, profusique sanguinis nulla: in minimo errore non moritura est. O quousque fidis? si è quinquaginta bello & consilio magnis, quinque integram famam gratiamq; transmiserũt in posteros; fide Regibus, & Rerumpubl. dominatui. O aliquando exempla te doceãt! & dic cum illa: *Quia me vestigia terrent:* aut sanè ita in omnes actiones tuas excuba, ne offensionis caussam præbeas, etiam infimis: à minimis enim maxima timenda mala, cùm grauiores ferè insidiæ, nocituræque fraudes, ab humili surgant. generosior animus dolos auersatur. Super omnia, sepone humana: & virtuti ac Deo fide. Nullum ab horum manibus ferrũ, si aus nulla. Regum ac Rerumpub. non semel infida stetit dextera. non stetit Dei: nec stare potest. Illorum fugitiua gratia est, volatica præmia, exsugenda, vbi te impleueris, nouaculâ aut secu-

ſecuribus, aut duro exſilio: Dei æterna ſunt, beantque poſſeſſorem ſuum regno æterno. amplectere. nulla pœnitentia Dei munera comitatur: comitatur Regum. Nec pudeat aliorum ſucceſſibus diſcere. pudeat profutura ignorare. prudens ex aliorum infortunatis euentibus metitur ſuos, & in aliorum damnis periculiſq; euitat ſua. noxia verecundia, fatua arrogantia eſt, alieno malo, nullo diſpendio ſuo, nolle erudiri.

CAPVT V.

Liberalitas in Principe laudata, publicè, priuatim.

MVNIFICENTIAM, quà publicè, quà priuatim oſtendat, & beneficijs quàm plurimos obſtrictos habeat. Ingentes compedes dona ſunt, quibus nec fortiſſimus, nec prudentiſſimus, ac vix optimus ac integerrimus quiſque ſe exoluat. Vbi verò ſemel aureis his vinculis animos irretiueris, æternùm poſſidebis, & vel ſolâ verecundiâ, munifico adhærebunt largitori. pudet nimirùm ingratum eſſe, & munerum memoria grauis teſtis eſt. Etiam hoſtis, ſi dona admiſerit, victus iacebit. plus hæc, quàm arma poſſunt. Hinc illud ſcitè dictum: *Speciosiùs iniuria beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinaciâ.* Frequentia tamen potiùs, quàm magna, munera largiatur. iterata beneficia fortiùs ſtringunt, vt repetita vincula arctiùs innectũt. Neque vnquam eò ſe deducat, vt vniuerſum munificentiæ fontem exhauriat. Turpe Principi benefacere non poſſe: cùm enim Dei in terris perſonam ſuſtineat, liberalis erogatoris ſuſtinebit, vt dare ſemper poſſit. non, quòd ſemper imbres, ſemperq; decidant pluuiæ; ſatis eſt, ſi ſolo rore fœcundentur prata, & raro interdum ſtillicidio pingueſcat tellus. Sanè nullâ re validiùs ſceptra firmari, populorumque animos, adeoque & exterorum Principum conciliari, vno ore tradunt prudentes. quòd ſi quando negan-

Munera ex hoſte amicum faciũt.

Semper habeat Princeps quo benefacere poßit.

gan-

gandum aliquid censuerit, magnâ id comitate faciat. blandè enim negasse, pro beneficio est. inuitum enim negare credunt, quem sentiunt in dona paratum. Gratuita etiam beneficia largietur. duplici hæc digna amore sunt. decedit enim aliquid de doni magnitudine, quod precibus, maximè frequentibus, extortum veriùs quàm impetratum est. illa diuinum aliquid sapiunt, quæ non-petentibus conceduntur. etiam tenuia magna censebuntur, si blandis comitata verbis veniant. magnam enim muneri, licèt exiguo, gratiam verba addunt; vt naufraga videantur, si blando sermone destituantur.

Blandè negatio pro beneficio est.

Multæ preces minuũt doni magnitudinẽ.

Vniuersim verò danda Principi opera, ne quem cum mœrore dimittat. re non potest? soletur verbis, & benignum pronumque in beneficia animum ostendat. Multos in hoc genere magnos accepimus; eluxere tamen suprà reliquos, Titus, Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Galliæ etiam Reges, Robertus Capeti filius, & Ludouicus Sanctus. Illud verò pop. Romani, muneris magnitudine magnum, cùm Attalo Regi Asiam dono dedit: sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eandem Asiam pop. Romano legauit. *Itaque nec huius munificentia, nec illius tam memor beneficij animus, tot verbis laudari potest, quot amplissimæ ciuitates vel amicè datæ, vel piè redditæ sunt.* A quo alio populo sperari hæc poterant? Massanisa etiam, Scipionis & Romanorum ope, regno auctus, beneficij memoriam constantissimè in centesimum annum seruauit. dignissimus, cui pop. Romanus benefaceret. Nec quidquam tam validè ad benefaciendum impellit, quàm iucunda acceptorum beneficiorum repetita, ab eo qui accepit, narratio. sternunt hæc viam ad noua: mereri enim semper noua videtur, qui acceptorum gratâ memoriâ meminit.

Neminem à se Princeps cum mœrore dimittat.

Romanæ etiam liberalitatis exemplum habemus maximum, cùm Macedonum Rege Philippo superato, omnes Græciæ vrbes, quæ sub ditione illius fuerant, liberas atque

Hhh immu-

immunes esse iussit. post cuius rei per præconem denuntiationem, tantâ Græci *cælum clamoris alacritate compleuerunt, vt certò constet, aues, quæ superuolabant, attonitas pauentésque decidisse.* Addo illud Hieronis Syracusanorum Regis, qui auditâ Thrasimeniâ clade, trecenta millia modiûm tritici, hordei millia ducenta, auri pondo ducenta & quadraginta, muneri Romanis misit, simulauitque se ex religionis voto mittere, quò verecundiæ consuleret. Et illud Darij, qui pro amiculo quo delectabatur Sylosontis Samij, vltrò sibi oblati, Rex factus, Samiorum insulam Sylosonti dedit. Nec transeo hîc Q. Fabium Maximum, qui, cùm à Senatu non præstaretur captiuorum, quos interpositâ pactione ab Hannibale acceperat, pretium, fundum quem vnicum possidebat vendidit, eiusque pretium Hannibali numerauit. ô quis imitetur! nobile in ciues amoris, liberalitatis, & datæ fidei exemplum. Prudenter Alexander Seuerus, de quo Lampridius: *Diem nullum transiit, quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed ita vt ærarium non euerteret. & cogitabat secum, & descriptum habebat, cui quid præstitisset. & si quos sciret, vel nihil petisse, vel non multum vnde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat: Quid est quòd nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me conqueraris.* Quis Christianorum vltroneam hanc in Imperatore liberalitatem non admiretur? De Theodosio verò Pacatus: *Pari benignitate cùm plures afficere honoribus velles, quàm bonorum loca admitterent, & angustior esset materia voluntate, nec mentem tuam quamuis diffusum caperet Imperium; quem nondum aliquo prouexisti gradu, dignatione solatus es. Ille cohonestatus affatu, ille mensâ beatus, ille osculo consecratus est. ita omnibus qui te Principe sibi iure confiderent, aut processit dignitas, aut satisfecit humanitas, quæ tam clara in Imperatore quàm rara est.* Et alibi: *Nullam maiorem crediderim esse Principum felicitatem, quàm fecisse felicem. itaque Imperatori propriam maiestatem æstimanti, non tam illud suum videri debet quod abstulit, quàm quod dedit. nam cùm intra ipsum voluantur omnia, & vt ille qui cuncta ambit Oceanus,*

nus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris: ita quidquid in ciues manat à Principe, redundat in Principem.& rei & famæ bene consulit munificus Imperator: lucratur enim gloriam, cùm det pecuniam reuersuram. O si intelligant Principes omnes!

Danda verò in primis opera Regi, ne beneficijs vincatur. turpe Regem beneficijs vinci. Vetus dictum, & verum: *Beatissimum hoc in regno est, non vinci beneficiis.* Nemo Regum nolens vincitur. nulli enim promerita supra meritum remunerandi deesse materia potest. Pulcrum illud, & verum: *Hoc vno beata regna sunt, benefacere quòd semper possint.* Deo enim simillimum, benefacere semper posse: nec vllâ propè re aliâ similiores illi reddimur. Hinc laudatũ etiam illud Ptolemæi: *Regum est ditare magis, quàm ditescere.* Dei etiam illud est. Non accedunt opes Deo, accedũt hominibus. diuites facere, illius est; locupletari, hominũ. Nec minùs illud Artaxerxis: *Regium est magis addere, quàm adimere.* tyrannorum hoc & latronum est: Regum, qui suis patrum loco esse debent, non potest esse. diuitare, patrum est; diuitari, filiorum. & dare, illorum; accipere, horum est. *Danda opera Regi, ne beneficiis vincatur.*

In beneficio verò accelerationem probo, vt verum illud semper arbitratus fuerim: *Omnis benignitas properat.* nam quæ importunitas exprimit, à benignitate non veniunt. nescit hæc violentari. vltrò se ingerit, & felicitatis suæ non vltimam partẽ putat, posse benefacere. quærit proinde in quem conferat; sed ita, vt prudenti & prouidâ, non cęcâ manu projiciat. *Sunt* enim *quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. Existimabimus igitur vtilitatem potiùs, quàm voluntatem petentium. Sic frigidam ægris negamus, & lugentibus ac sibi iratis ferrum. detestamurque perniciosos malorum munerum auctores, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit.* Videbit proinde Princeps in quem munera sua conferat. nam in immerentes, graui offensione non caret. Hinc bene, *Indignis dare munera, offendit dignos*, & ex amicis hostes parat, cùm se præteriri vident, extolli indignos; ani- *Celeritas in beneficiis grata.* *Prudentia donis locanda.* *In immerentes dona conferre noxium.*

animos etiam adimit ad virtutem, cùm hanc neglectam videant, coronari vitia. In eos verò, qui priuatim aut publicè obfuturi, fatuum est: promiscuè omnibus, stolidissimi ingenij est. ita reperias, qui tanquam venena excutiant beneficia, contenti excussisse. arbitreris indignari rebus, nec magis apud se tenere dona sua posse, quàm matres maturum partum. & proijciunt illi in obuium, & primas preces; dignus an indignus munere sit qui rogat, postrema illis cura. dedisse satis. Vitabit hæc imprudentiæ saxa Princeps, nec allidet ad hos fatuos scopulos prudentiæ suæ ratem.

ALBERTI Austriaci Belgarum Principis liberalitas. Vitauit ALBERTVS, & munificentiam propè omnem suam in ecclesias vertit, & in pauperes, solitus in hæc supra centena millia annis singulis, non liberaliore magis manu, quàm læta mente erogare. crederes parcum, cùm liberalissimus esset. ita tegebat prudens munera, vt & necessitatibus aliorum occurreret, & laudem ipse fugeret. Cæsarem in hac re secutus & Augustum, quò & egentium pudori consuleret, & cælo non terris præmia speraret: magnum Agrigentinum Gilliam imitatus; quem ferunt animo quàm diuitijs locupletiorem, semper in eroganda potiùs, quàm in congreganda pecunia occupatum: adeò vt domus illius quædam munificentiæ officina crederetur. addit Valerius: *Colloca ex contraria parte arcas inexorabilibus claustris obseratas, nónne præstantiorem existimas illam impensam, quàm hanc custodiam?* Redeo ad Principem nostrum, qui cùm munificus in plurimos esset, tum nulli vnquam, licèt beneficiorum immemori, improperauit beneficium; nec quæ munificâ & regiâ manu dederat, recensuit vnquam. plebeium hoc esse dicebat, non Principum, memor veteris dicti: *Qui dedit beneficium, taceat; narret, qui accepit.* Addebat: Dedisse & narrasse, præmium accepisse est. ne mireris. dare didicerat, non accipere, adeò vt nec quid accipere esset, sciret. Querebantur sui ærarium exhauriri: ille impleri pijs donationibus arbitrabatur. cùm diceret, à
Matt. 25. nullo Deum munificentiâ victum. Iam si verum illud: *Quod fecistis*

fecistis vni ex meis minimis, mihi fecistis; quis credat irremuneratam Principis in Deum liberalitatem futuram? non fuit. Intuere rerum gestarum magnitudinem. vide quàm non magnâ manu, non magnæ possessor prouinciæ, Gallica, Anglica, Germanica, Batauica, vno tempore sustinuerit arma: quamque nihil propè ipsi tot regnorum arma decerpserint, cùm plurima ipse hostibus. Testis mihi Gallia, Germania, Flandria, Iuliæ, Cliuiæ, Montium Ducatus, & vicina his loca. in quibus omnibus, suâ & Ducum suorum felici manu, prudentiâ, consilio & imperio suo, minimùm viginti supra centum oppida armis expugnata. &, quod mireris, pugnatum propè in singulis: ne putes vno quasi hiberno torrente, aut Aquilonio vento demessa. In quibus vno Marchionis SPINOLÆ sapienti & fortunato ductu, oppida, prævalidaúe castra supra centum, ad Principis & Catholici Regis imperium deducta. quæ, si multitudinem spectes, si rerum difficultatem, si non magnam plerumque militum manum; à Dei magis, quàm ab humana venisse dexterâ videbis. Intuere viciniora nobis, Ardream, Caletum, Hulstum, Ostendam, Reinberkam, Lingam, Wesaliam, Wachtendonckam, Grollam, Iuliacum, & magnorum videbis Regum potentiam singula potuisse eludere. Taceo Bucquoiæ Comitem, cuius virtuti, & Belgico militi, quid Imperator debeat, quid Austria, Hungaria, Bohemia, Morauia, quid Christianus orbis, res, me tacēte, loquuntur. & creuerat ille sub Principe nostro; à quo & missus in auxilium labentis in Germania Imperij & religionis. Quæ omnia Principis nostri generosis ausibus, prudentiâ, consilio gesta, ignorare nemo potest. solus ipse nihil sibi, Deo tribuenda putabat omnia. Senserat ille in suos liberalem Principis manum: reddidit quæ profuderat maiora, cùm vinci ab homine Deus nollet. Sed & quod de Dauide Scriptura, *Propter Dauid seruum meum*, victoriæ de hostibus relatæ, hostiles euersæ aut captæ vrbes, prouinciæ, regna: hoc de ALBERTO nostro dici potest: Propter

 seruum

seruum meum ALBERTVM, & largam illius in me meosque manum feci hæc omnia.

CAPVT VI.

Iustitia clementiæ socianda.

Clementia iustitiâ potior. IVSTITIAM ita amabit, vt clementiã non deponat: sed neque hanc ita fouebit, vt illius obliuiscatur. vtramque tuebitur: ac, si cui indulgendum, plus clementiæ concedet, cuius minora, quàm iustitiæ delicta sunt. memor Prophetæ: *Facite* *Ierem. 22.* *iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris; & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis iniquè. Quòd si non audieritis verba hæc, in memetipso iuraui, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc.* Omnibus hæc iudicibus, Principibus maximè, grandis interminatio; eoque grauior, quia certior, quia Dei. Illud in solatium: *Prou. 29.* *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* De Tito illud Suetonij habemus: *Nulli ciuium quidquam ademit; abstinuit alieno, vt si quis vnquam: ac ne concessas quidem & solitas collationes recepit.* Magnum in Imperatore iustitiæ documentum à concessis abstinere.

Multorum delictum paucorum pœnâ expiandum. In publicis verò paucorum criminibus, quæ in regni perniciem tendunt, non parcet. quòd si omnium delictum fuerit, clementiæ memor erit: nam vel omnium cæde, vel paucorum expiabit. omnium non potest, nisi omnibus destitui velit. paucorum, animos veriùs exacerbabit, quàm componet. & in delicti paritate par pœna esse debet. Prudenti proinde magis dissimulatione omniũ delicta prætereunda sunt. nam si in omnes sæuire cogitat, videat, ne ab vltima desperatione dominos inueniat, non reos. multæ enim, si furor accesserit, populo vniuerso manus, Regi pectus vnum est.

In clementiam verò, non tantùm in publicis, sed & in priuatis delictis pronior Rex sit, cùm etiam Ciceronis sententiâ,

tentiâ, *homines nullâ re propiùs ad Deos accedant, quàm salutem hominibus dando.* Hinc decantaturus magni Dei laudes Propheta Regius, vt primas narrat, *Quoniam tu Deus suauis & mitis, & multæ misericordiæ.* Imitari Deum non pudeat Reges: errare hoc ductore non possunt. errant qui ab illius semitis recedunt. Sed neque virtus alia est, quâ faciliùs regna parãtur, firmantur. vt iure Seuerus Imperator dixerit, securiorem se ac diuturniorem potestatem lenitate & clementiâ fecisse. Eadem reperies in Sigismundo, in Traiano, in Tito, qui contentus monuisse patricios à coniuratione desisterent. addit Eutropius: *Conuictos aduersum se coniurationis, ita dimisit, vt in eadem familiaritate qua antea habuerit.* In Antonino, dum Auidij Cassij liberis, vxori, genero ignoscit. In Augusto, cùm Cornelio consulatum dedit, Cinnæ priùs hosti, exinde insidiatori, ignoscit. In Vespasiano, cùm Metium Consulem facit post insidias, Vitellij filiam matrimonio iungit & dotat. In Alfonso Aragonum, cuius illud: *Malo multos clementiâ seruare, quàm paucos sententiâ perdere.* In CAROLO V. Imperatorum Maximo, cuius illa: *Malo Christianum vnum seruare, quàm mille Mauros Turcásque perdere.* In Imperatore Rudolpho, à quo hæc accepimus: *Seuerum fuisse pœnituit, placabilem nunquam.* In L. Paullo, qui captiuum Persen Regem conantem ad genua procumbere, dexterâ leuauit, laterique suo proximum sedere iussit. In Magno Pompeio, qui Tigranem benignis verbis recreatum, diadema quod abiecerat capiti reponere iussit, pulcrius iudicans Reges facere quàm vincere. In Iulio Cæsare, qui Catonis morte auditâ indoluit, liberísque illius patrimonium incolume seruauit. In Antigono, qui Pyrrhi ossa vrnâ inclusit aureâ, Helenoque illius filio, deportanda ad Alexandrum fratrem in Epirum tradidit. In Hannibale, de quo Valerius: *Plus illi gloriæ Paullus, Gracchus, Marcellus sepulti quàm oppressi attulerunt. siquidem illos Punico astu decepit, Romanâ mansuetudine honorauit.* addit: *Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat, toruósque*

Psal. 85.

nosque & truces hostium mollit oculos, ac victoriâ insolentissimos spiritus flectit. In Nerua, de quo Cassius: *Coniurauerat in eum Crassus Calpurnius, Crassorum nepos. hunc cum ceteris coniuratis, dum ludi ederentur, assidere iuxta se voluit. his gladios obtulit, quos scilicet inspicerent atque pertentarent, satisne acuti forent.* ✱ *verâ significabat, non admodum sibi curæ esse, si vel tunc eo loco occideretur.* Quid? quòd *in curia iurauerit, suo iussu neminem Senatorum occisum iri. quod sacramentum, quamuis etiam insidijs petitus esset, inuiolatum seruauit.* Quid? quòd *Ruffinum Virginium, quem Romanæ legiones olim Imperatorem nominauerant, minimè veritus sit in consulatu collegam assumere.* In Alexandro Seuero Lampridius: *Cùm quidam Ouinius Camillus Senator antiquæ familiæ, tyrannidem affectasset, probatumque esset; ad palatium vocauit, eique gratias egit, quòd curam Reipubl. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet. Deinde ad senatum processit, & timentem, ac tantæ conscientiæ tabe confectum, participem imperij appellauit, & in palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis imperialibus, & melioribus quàm ipse vtebatur, affecit.* In Adriano Spartianus: *In Capitolio iurauit nullum Senatorem se sciente occisum: cùm etiam rebelles dixerit se seruaturum fuisse, si sciuisset.* In Augusto Paterculus: *Citiusque Cæsar vitam promisit, quàm illis vt eum precarentur, persuasum est.* & alibi: *Fuitque & fortunâ & clementiâ Cæsaris dignum, quòd nemo ex his qui contra eum arma tulerant, ab eo, iussuue eius interemptus fuerit.* In populo Romano, qui Carthaginensium legatis, nullâ pecuniâ acceptâ, bis mille & septingentos & quadraginta tres captiuos, iuuentutis florem, reddidit. Et non senatus plebeias seditiones omnes, vnâ clementiæ spongiâ deleuit? tot domesticos ignes, latè interitum Reip. minitantes, lentâ clementiæ aquâ restinguens. Non fecisset. audisset, cum multis Græciæ vrbibus, Hactenus Roma, & cinis omnia, & vastitas ingens, & orba regio, & frustra ager est. Nunc clementiâ stetit, & orbi imperauit. Et quò ferrum, si benignis pacari res verbis possint? quò secures & ignes, si osculo mederi possis? timeat quisquis solo en-

se imperium tuetur. multæ populo manus, Regi ceruix vna est. & non sæuitia inimicorum auget numerum, dum tollit? Prudenter proinde in omni delicto non infimi Scriptorum suadent, vt pœna in paucos, metus ad plures eat. ita ferè cadunt fulmina, paucorum exitu, plurimorum metu. Fugiant Reges crudeles dexteras, à quibus odia nascuntur, quæ non didicerunt parcere. nimis orbi noti quotquot in Imperio Romano, quotquot in Græco, & alijs, sæuitiam sanguine tandem suo purpurarunt. Nec mirum. Vetus illud verum semper, ***Quem quisque odit, periisse expetit***: periculorum postrema cura, odiorum prima est. vt rogatus Thales, quid rarum in humanis vidisset, prudenter responderit: ***Tyrannum senem.*** addo, Et morte suâ immorientem. Hinc illud Poëtæ:

> *Violenta nemo imperia continuit diu:*
> *Moderata durant.*

Est enim tyrannis omnis inuisa & breuis; & dum tutam se putat, ruinæ proxima est. Hinc etiam non modò dum patimur, sed & dum legimus, insurgimus in iras, & capulo propior manus est. tam certum hominum animis crudelitatis innatũ odium est, vt, si non innoxia manu crudelitas cadat, læta videatur cadere: &, cùm optimus quisque meritò damnet percussores, de tyrannide pulsa taciti secũ gratulantur.

Neque tamen nimiam clementiam, ac quamdam animi lentitudinem probo. noxia in primis hæc regnis Regibusq; est. Ibit in huius rei exemplum Childericus III. à quo ex Morouei & Clodouei domo ad Hugonem Capetum lilia transierunt. magis etiam posteriores Orientis Imperatores, quorũ ignauâ lentitudine, Christiani orbis pars longè maxima sub barbaro Ottomannico gemit imperio. Miscuit clementiam iustitiæ, si quis alius, Traianus. nam cùm rarâ in omnes, etiam in hostes, clementiâ esset, tum illud illius, referente Cassio, iustitiæ magnæ fuit: *Cùm Suræ tribunatum militum traderet, Talem,* inquit, *ensem accipe, quem pro me ita demum strinxeris,*

si iustè imperauero: quòd si perperam per me quidquam fieri cognoueris, etiam in perniciem meam vtaris. Quis Christianorum Principum imitetur? quis tam amans iustitiæ, vt in se stringi ferrum cum Traiano, non permittat, sed imperet? imò quis in summa iniustitia, non audire iustus desiderat? quis non factum omne suum inter ea numerat, quibus inscribi meritò debeat BONVM IVSTVM?

In iniustos iudices seueritate opus.

In manifesta verò iniustitia illorum, qui iuri dicundo præsunt, seuerum se potiùs quàm clementem ostendat. nec erit difficile, si modò liberalibus, pro dignitatum ratione, stipendijs suos donauerit. Refert hîc illud Cambysis Valerius: *Qui mali cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractam sellæ intendi, in eaque filium eius iudicaturum considere iussit.* Addit: *Atroci & nouâ pœnâ iudicis, ne quis postea corrumpi iudex posset, prouidit.* In publicos verò latrones, & ex destinato, ex insidijs, homicidas, & in præmeditata diu scelera, in virginum raptores, sacrilegos, incestuosos, adulteros, patriæ proditores, sepositâ clementiâ, iustitiam aduocabit. Nil in hoc genere parcat. quisquis in hos sæuit, pius in patriam est. nec in receptores horum, ac in propugnatores, minùs quàm in reos, secures stringat. Sed neque nobilitati hîc parcat, non sexui, non ætati. præmijs etiam propositis ei, qui aut indicium fecerit, aut latronē stiterit, aut cæsi caput, licèt in eodem crimine fuerit, modò sceleris in socio vindex, vltrò se iudici obtulerit.

In vxorem verò non facilè sæuiat, memor Rosimundæ in Alboino Rege. furit mulier contempta, & venena cogitat, aut alienum torum, tam facilè mariti proditrix, quàm coniugalis lecti.

In fratres etiam caueat ne acerbior sit, memor Petri Castellæ Regis, qui spretus, & duriùs habitus, Henricum fratrem regno & vitâ exuit. maior semper flamma à consanguineo sanguine exsurgit, solo ferè ferro restinguenda & sanguine.

C A-

CAPVT VII.

Priuatas iniurias contemnere & ignoſcere, magni Principis eſt.

SI quæ in Principem ſunt delicta, ſi tutò poteſt, donabit; ſin minùs, temperabit. memor Auguſti, Titi, Antonini, Traiani, Veſpaſiani, qui coniurationis conuictos monuiſſe contenti, à ferro abſtinuerunt, & dignitatibus etiam auxerunt. hinc illud Veſpaſiani de inſidiante ſibi Metio, cùm Conſulem feciſſet: *Erit memor aliquando tanti beneficij.* Memor etiam Dionis, Ageſilai; & è Chriſtianis, Alfonſi, Rudolphi, Sigiſmundi, cuius illud: *inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo.* Non quòd auctor horum ſim Principi. narro quid magni Imperatores & Reges fecerint. imitari, ſi volet, poterit Princeps. Hoc dico. nemo magnorum, quorum memini, Imperatorum ac Regum, ferro, aut hoſtili manu perijt. perierunt plurimi, qui ſe ferro & ignibus vindicarunt. Nam de liberioribus populi in Principem vocibus, nihil dico. improbo voces. De ferro in his vocibus altum mihi ſilentium. propè tamen ſemper ſtetit illa populo libertas, vt militi in Ducem. non probo. Verùm magni Duces Regeſque contempſerunt has voces, indignaſque indignatione ſuâ iudicarunt. nam & qui has protulerant, non multò pòſt ſanguinem pro Principis incolumitate vltrò fuderunt, & vitâ ſuâ Principis vitam tutati ſunt. In omni propè milite hoc reperies. dilata ſtipendia, quas non voces expreſſerunt? occurrit hoſtis, & obliti verborum ac libertatis, fortiùs ſanguinem, quàm priùs verba, fuderunt. vt videas verba ori innataſſe, non cordi; amorem ſtudiumque in Principem, in corde, non in ore habitaſſe. Vt magnâ in liberioribus populi militumque vocibus opus ſit circumſpectione, ſubita ne aliqua indignatio effuderit, & ira; an præmeditata cadant,

Magnorũ eſt liberiores populi voces contemnere.

dant; quoúe fine ſparſa: an vt calorem expleat, an in terrorem, aut in popularium commotionem. Multi effudiſſe ſatis habent, nec vltra verba cogitationem iaculantur: alij è deſtinata improbitate, & animo iam diu antè concepta, labuntur in illa: nouarum rerum ſtudio alij, veterumque tædio, & maximè Principis. Quæ res maturam deliberationem depoſcit, & magnis remedijs eget. nec ſolo ſemper contemptu curatur hoc malum; quo maiore opus prudentiâ. Hoc tamen vniuerſim dico. non eſſe Regis, at nec viri magni, curioſiùs in maledicas de ſe linguas diſquirere: minùs, in illas ſæuire. quod ferè tyrannorum eſt. notatum in Tiberio & Nerone. ferre illas, magnorum eſt, & ſolo ſe contemptu in illas armare. nec vlla certior victoria, nulla generoſior, & quæ virum ſuum loquitur. Et quis prudens omnium ore & calamis, dicta factaque ſua probanda ſperet? ſtultitiæ hoc extremæ eſt. Prudentiæ eſt, non offendi liberiore locutione. imò gloriari debet quiſquis patitur linguas, quæ ferè in magnos venena ſua iaculantur; vt in firmiſſima quæque ſæuiunt fulmina, tranſeunt mollia, vt indigna robore ſuo. vt ſignum rei magnæ ſit, linguas tuliſſe, & materiam factum liberioris locutionis. non eunt illæ in humi ſerpentia; magnum ferè ſit in quod incurrant. & libertatis ſuæ præmium putant, incurriſſe in magnos. Sua ſanè cuique, vt caput, ita & ſtat lingua. præſcindere has debeat, & præſcindere adeò hominum omnium linguas omnes, vt inter elingues viuat, ne percutiatur linguis, quiſquis loquendi ſecare libertatem volet. & vt ſecet linguas, feret manus. has etiam ſi ſecuerit, feret oculos. exſcindet, & exoculabit omnes? non effugiet iudicia. quæ ne patiatur, præſcindat neceſſe ceruices omnium.

CA-

CAPVT VIII.

Crudelitas & sæuitia fugienda Principi.

IN iustitiæ verò prosecutione crudelitatem fugiet: etiam nomen. neque aliud Reges, qui illâ vsi fuerunt, quàm dedecus sibi, alijs gloriam peperere. vt verum illud sit: *Imperia crudelia, magis acerba quàm diuturna.* Neque quisquam à multis metuendus est, in quem non à multis formido recidit. contrà qui benignitate & clementiâ imperium temperauere, his etiam hostes æquiores, quàm alijs ciues fuere. vt taceam bellum secum æternum & anceps animo gerere, cùm in æterno periculo agat Princeps crudelis. ferè enim cædem cæde, sanguinem sanguine expiatum accepimus. Varios in hoc genere narrant Historici. Hos per risum, ac quasi per lusum, sæuire solitos. præit hos Sylla, qui quatuor legiones, & quinque Prænestinorum millia exarmata, speque salutis datâ, frigidâ quasi manu obtruncari iussit, *abscissáque miserorum capita, in conspectum suum deferri voluit, vt oculis illa, quæ ore nefas erat, manderet.* Illos post lentam meditationem, tristibus dictis atrociora facta coniunxisse. dux horum Tiberius: cuius hæc: *Oderint dum metuant.* sub quo etiam *interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerēt.* Crudele; nam verum illud semper Pacati: *Est aliquod calamitatū delinimentum dedisse lacrymas malis, & pectus laxasse suspiriis. Nulla maior est pœna, quàm esse miserum, nec videri.* Alios nusquam magis, quàm inter pocula sæuisse & mensas. Legimus in Antonio. In Mario, qui inter epulas, lætis manibus caput M. Antonij aliquamdiu tenuit, clarissimiq; oratoris sanguine contaminare mensam voluit. In Claudio, qui nuptiarum cum Agrippina die, quinque & triginta Senatores, ac trecentos equites Romanos occidi iussit. prima hæc illi nuptialis hilaritudinis fercula. Quosdam ferè in amicissimos, vidimus in Alexandro. Nec cæde con-

In perpetuo metu est Princeps crudelis.

mentus Caligula, *parentes filiorum supplicio interesse cogebat. nec temere in quemquam nisi crebris ictibus & minutis animaduerti passus est, noto iam præcepto: Sic feri vt se mori sentiat. Hinc multos bestiarum more quadrupedes caueâ coërcuit, aut medios serrâ secuit.* Cuius nota illa vox, vnam ceruicem populo Romano imprecantis. De Domitiano illud Suetonij est: *Inuestigato nouo quæstionis genere, immisso per obscena igne plurimos sustulit*. De Hannibale verò illud Valerij: *Captiuos oneribus & itinere fessos, infimâ pedum parte succisâ relinquebat.* Et de Mithridate, *qui vnâ epistolâ octoginta Romanorum millia occidit.* Non attingo

Bistonij stabulum Regis, Busiridis aras,

Antiphatæ mensas, & Taurica regna Thoantis.

naturæ portenta fuere, non homines. Nam cùm obliuiscatur feritatis suæ leo, & delicium fiat Berenices Reginæ, linguâ genas eius emaculans; ac mores bestiam relinquant: non reliquit varios Imperatores crudelitas. creuit adeò cum Imperio. Getulam mulierem obtestatam occursantes feras, immunem rediisse narrant. nec defuit interim, qui anum matrem, quòd filij mortem defleuisset, necari iuberet, quique filios adiecisset deprecari pro patre conatos. lacrymas in filij morte matris, precesque in patris morte, crimen fuisse quis crederet, nisi in Romano Imperatore, & quidem in Vitellio legeret? Nescit modũ crudelitas, vbi laxauit habenas. etiam in patruos, fratres, sorores, nepotes, vxores, filios sæuit. Noti Tiberius, Nero, Caracalla, Commodus, Artaxerxes, Ptolemæus Physco, qui etiam *optimæ spei filij sui caput & pedes præcisos & manus, pro munere natalitio matri misit.* Quin & in patrem & matrem sæuit. Tullia nos docet, & Nero. de quibus illud: *Tullia vxor Tarquinij vt virum Regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento, consternatos egit equos.* De Nerone verò Suetonius: *Cùm matrem veneno ter tentasset, lacunaria, quæ noctu super dormientem luxatâ machinâ deciderent, parauit. Hoc consilio parum celato, solutilem nauem, cuius naufragio periret, commentus est. Sed vt nando euasisse comperit, occidi*

cidi iussit. narratur ad interfectæ cadauer accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim obortâ bibisse. Quanquam nesciam, an misereri huius debeam matris, cuius illæ voces, *Occidat, dum imperet.* imperauit, occidit. vtrumq; improbum, matris votum, filij crudelitas. Quo magis fugienda Principi, cùm ferè in Principis sui caput cadat. aliquem enim tandem inueniet, qui vitam contemnet suam. hoc qui imperare sibi potuit, factus est dominus alienæ, etiam Regis. Quid? quòd ipsi etiam detestentur Principes crudeles, qui crudeles faciunt. ita nulli hominum generi gratus crudelis est. In perpetua deinde sollicitudine vitam trahere, durum. non noctes, non dies extra metum esse, graue. armis perpetuò in tutelam cingi, & ab iis ipsis metum oriri, vnde securitas sperabatur, infelicitatis genus maximũ est. Nouerat hoc Saturninus Imperator, cuius apud Vopiscum verba: *Gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ vndique, vndique spicula. ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur. non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio.* Et sanè nimis illud Sallustij verum: *Cuncta imperia crudelia, magis acerba quàm diuturna arbitror. neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido tendat. eam vitam bellum æternum & anceps gerere; quoniam neque aduersus, neque à tergo aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculis agites.* nec antè finem terroribus, quàm vitæ facias. Misera adnata crudelitati conditio, quæ timorem etiam à ferro suo trahit. Expressit hoc exemplis Cicero. *Quid enim censemus superiorem illum Dionysium? quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum? quid Alexandrum Pheræum? quo animo vixisse arbitramur? qui, (vt scriptum legimus) cùm vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, vt scriptum est, compunctum notis Threïciis, districto gladio iubebat anteire: præmittebátque de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres, & ne quod in vestimentis occul-*

Crudelitas ferè in Principis sui caput recidit.

occultaretur telum, exquirerent. O miserum, qui fideliorem, & barbarum & stigmaticum putaret, quàm coniugem! Nec eum fefellit opinio: ab ea est enim ipse, propter pellicatus suspicionem, interfectus. Nec verò vlla vis imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. testis est Phalaris, cuius est præter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidijs interiit, vt is quem modò dixi Alexander: non à paucis, vt hic noster: sed in quem vniuersa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nónne Demetrium reliquerunt, vniuersique se ad Pyrrhum contulerunt? quid Lacedæmonios iniustè imperantes, nónne repentè omnes ferè socij deseruerunt, spectatorésque se otiosos præbuerunt Leuctricæ calamitatis? Externa libentiùs in re tali, quàm domestica, recordor. Verumtamen quamdiu imperium pop. Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis; bella, aut pro sociis, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut necessarij: Regum, populorum, nationum portus erat & refugium senatus. Nostri autem magistratus imperatorésque ex vna hac re maximam laudem capere studebant, si prouincias, si socios æquitate & fide defendissent. itaque illud patrocinium orbis terræ veriùs, quàm imperium poterat nominari. Sensim hanc disciplinā minuebamus, post verò Syllæ victoriam penitus amisimus. desitum est enim videri in socios quidquam iniquum, cùm extitisset in ciues tanta crudelitas. Quæ perpetuo circumfluxit metu. vnde illud Poëtæ:

——— Dum excelsus steti,
Pauere nunquam destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris.

atque hinc illud eiusdem:

Cuncta expauesco, méque non credo mihi.

O miserum! neque adeò sibi crudelis fidit, quo minûs coniugi & prolibus: quorum venena & ferrum experti non pauci. ô quid dicam? ab ijs metum referre ferrum, mortem; à quibus præsidia, vitam, oscula sperare debuerat, non infortunatum & durum? Et non ferè in omni imperio, crudelitatem in alios sparsam, in se retortam senserunt, quotquot illâ se regnumque parare & tutari voluerunt? vt ipsa crudelitas ple-

plerumque in domini sui sanguine & iugulo luserit. neque enim satiari plebeio sago potuit, exsaturanda fuit purpurâ, à qua nata fuerat; crudelis & barbara in parentem. hinc illud:

Vidi cruentos carceri includi duces,
Et impotentis terga plebeiâ manu
Scindi tyranni.

ô nimis! & sæuijt ferè ferro prouocata plebs in dominos. nec modum tenuit commota: neque enim temperare ferrum didicit, non superfundere gelidam accenso semel animorum igni, cùm fluminum more rapiatur in obuia. frustra ab hac prudentiam speres: fulminibus ferociùs infertur. quę peremisse contenta, furorem ponunt. in plebe vltra vitam indignatio est. non cineribus parcit, aut nomini, in innoxias sæuit imagines, in inanimata tecta, in mutos lapides. irritata semel, plebeia quid non audēt odia? quid non possunt? nihil tam sanctum à quo manus retrahant, non consanguineus sanguis, non vteri eiusdem, non pater, mater. cælo adeò ipsi, si liceat, arma inferant. O quando exemplo aliorum edocti mitiora cogitabimus? quot magnæ iacent victimæ, plebeio calcatæ pede! quis, vti dixi, Ochum, Physconem, Phalaridem, Dionysios, Artaxerxes, Mithridates, Claudios, Caligulas, Heliogabalos, Nerones, Domitianos, Commodos, Phocas, hominum portenta, ignorare potest? mores intuere, & exitum, & dum hunc meritò perhorrescis, illos deuita. *Contrà qui benignitate & clementiâ imperium temperauere, his læta & candida omnia visa, etiam hostes æquiores, quàm aliis ciues.* vt bene tragicus: —— *Quisquis est placidè potens,*

Et incruentum mitis imperium regit,
Animóque parcit; longa permensus diu
Felicis æui spatia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysij loca.

Nunquam proinde clemens, crudelium more,

—— *Captiua dabit brachia vinculis,*
Nec pompæ veniet nobile ferculum.

Kkk Sed

ſed omnium ore, calamis, votis cælo donabitur. Etiam vitia illius ſtolâ ſinguli ſuâ aut pallio tegent: lubenteſque pro illius incolumitate ſuam negligent, & inter beneficia numerabunt, pro benigno vitam prodegiſſe, latereque ſuo latus illius texiſſe. Neque putat ſe perire, quiſquis pro clemente Principe perit. quid? quòd inter victorias & triumphos referat, vitam pro illo poſuiſſe? Non deerunt tales, da Principes Diones, Timoleôtes, Veſpaſianos, Titos, Germanicos, Traianos; da Cæſares & Auguſtos, dabo Pontios, Scæuas, Menios, plureſque, qui inter munera ponent vitam pro Principe ſacraſſe. beati quorum ſtatuis inſcribi poteſt: BONVM FACTVM. pro patria, pro Principe ceciderunt, ipſis pro quibus ceciderunt maiores.

Quòd ſi ſecuram Princeps vitam volet, patrem ſe ſuis præbeat, vt ſortiatur filios, in quorum armatis manibus & ſinu dormire inermis poſſit. Hæc demum beata in Principe vita eſt, filiorum more coronâ ſuorum cingi, vt filijs imperare, vt à filijs obſequia accipere. Quòd ſi quando ſeueriùs vindicanda delicta ſunt, aliorum id ore & manu faciat. Nobile exemplum in ALBERTO habemus, à cuius ore & manu nil crudele, nil ſeuerum. benigna plurima ſunt; adeoque & omnia. Imperauit vt pater, mortuus vt pater, deſideratus vt pater: filiorum lacrymis inſepultus. quàm molliter cubat Princeps, qui pro marmore ſuorum incubat lacrymis! non moritur qui hoc monumento tegitur, qui ſuorum pectoribus æternùm viuit. viuit Principum optimus ALBERTVS noſter.

CAPVT IX.

Maieſtatem dum tuetur, faſtum deponat.

VENERATIO in imperio neceſſaria eſt, quæ opinione magis quàm viribus continetur. non imperat, qui contemnitur: precaria enim magis, quàm vera regna ſunt, quæ con-

contemptum patiuntur. parentes imitetur maturos & serios, quorum veneratio in filijs cum ætate crescit. Fastum verò exuat. nemo hunc parens inter filios induit. sint Regi suo subditi, filij. nil opus fastu, qui ferè odiorum parens est. In quo hoc malum, quòd quæ in Principe modesto concordiæ & amoris vincula sunt, ea in fastuoso odiorum incitamenta sint. Et sanè miserum, affectu carere suorum; beatum, arcana pectorum omnium possidere. non possidet fastuosus: contemptum enim superbia parit, cùm ferè pusilli illa animi sit, & de virtute sua desperantis. vt verum omnino sit, in magnos animos non cadere affectatam iactationem; & à generosa mente tam abesse fastum, quàm simulationẽ. vtrumque indignum animo suo putat. Quòd si quæras, quem in imperio magnum statuam, respondebo cum viro docto: *Ille incrementis suis maior est, quem sublimitas parti honoris inclinat.* Sed & admirationem ille prouocat; admiratio laudem & amorem. Scio quasdam gentes augustiorem quamdam seueritatem ac maiestatem in Principe suo desiderare; nulla tamen tam barbara est, quæ superbo Principe gaudeat: neque tam barbara gens vlla, cui sine fastu imperari non possit. Deus sanè orbi vniuerso imperat, & tamen tam procul ab omni superbia, quàm procul ab omni peccato est. Imitetur imperia huius Princeps. errare non potest. Vis scire quæ Dei imperia sint; ipsum audiamus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Vis sequi suadentem? *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vis interminantem? *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. radices gentium superbarum arefecit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.* Vis punientem & præmiantem? *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* &, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vis detestantem? *Abominatio Domini est omnis arrogans, & debilis coram Deo superbia.* Attingam hîc superborum paucos, in horrorem, terrorem, fugam. De Domitiano Suetonius: *Cùm procuratorum suorum nomine dictaret epistolam*

Modestia amoris caussa, odij fastus.

In magnos animos non cadit fastus.

Dei imperia suauia.

Matth. 11.

Ibidem.

Eccli. 10.

Luc. 14.

Iacob. 4.

Prou. 16.

Superbiæ exit ... [illegible]

episto-

epistolam, sic cœpit: Dominus & Deus noster fieri iubet. Audi mortem. *Oppressus est amicorum libertorumque conspiratione, simul & vxoris.* Idem de Caligula: *Templum numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit: consistens sæpè inter Deos medius, adorandū se adeuntibus exhibebat.* Secuta mors triginta vulneribus grauis, Chæreâ & Sabino auctoribus; vxo-
Lib.9.c.5. ris etiam Cæsoniæ, & filiæ. De Alexandro Magno Valerius: *Fastidio Philippi, Iouem Hammonem patrem asciuit: tædio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortali habitu, diuinum æmulatus est. nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem dissimulare.* De Xerxe verò: *Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ Principibus, Ne viderer, inquit, meo tantùm vsus consilio, vos contraxi. Ceterùm mementote parendum magis vobis esse, quàm suadendum. arroganter, etiamsi victori repetere ei regiam contigisset: tam deformiter victi, nescias vtrùm insolentius dictum an impudentius.* Et de Hannibale: *Cannensis pugnæ successu elatus, nec admisit quemquam ciuium suorum in castris, nec responsum v.li, nisi per interpretem, dedit. adeò felicitatis & moderationis diuiduum contubernium est.* Fuit illud etiam M. Antonij crudelitatis & arrogantiæ plenum. *Cùm ad eum Cæsetij Rufi Senatoris caput allatum esset, auersantibus id ceteris, propiùs admoueri iussit, ac diu diligentérque considerauit. cunctis exspectantibus quidnam esset dicturus, Hunc ego, inquit, notum non habui. Superba de Senatore,*
Actor.12. *impotens de occiso confessio.* De Herode Scriptura: *Vestitus veste regiâ concionabatur. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.* Intuere pœnam. *Percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expira-*
2.Mach.9 *uit.* Et de Antiocho: *Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbiâ repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerēt, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur. & qui paullò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat*

propter

propter intolerantiam fœtoris portare. & cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Audiamus deinde minitantem Dominum: *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & composito gradu incedebant; decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Et alibi: *Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, & eleuatum est cor eius in altitudine sua; succident eum alieni, & crudelissimi nationum, & proiicient eum super montes, & recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ, & relinquent eum.* Et audit Nabuchodonosor post statuam auream: *Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua, & fenum vt bos comedes, & rore cæli infunderis, donec scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit det illud.* Suggerit consilium Daniel: *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. forsitan ignoscet delictis tuis.* Et Baltassar audit de patre: *Quando eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est.* Additur: *Tu quoque filius eius non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia; sed aduersus Dominatorem cæli eleuatus es: idcirco numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud: appensus es in statera, & inuentus es minus habens: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. & eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæus.* Vis plures exitus superborum? plenæ sunt omnium gentium vernaculæ Historiæ. &, vt reliquos taceam, intuere Sennacherib, Nicanorem, Holofernem, Maximianum, Iulianum. & quorum times exitum, time vestigia. fuge mores, eo etiam magis, quòd nulla diu stare sub superbo vertice pax possit. nesciunt coalescere pax & superbia, quæ turbationum ac dissensionum mater est; & à qua ferè vna bella ciuilia & externa nascuntur. tolle enim alienorum desiderium, & bella sustuleris.

Isaiæ 3. Ezech. 31. Dan. 4. Dan. 5.

tuleris. vota verò hæc à superbia, tanquam riui à flumine, defluunt. Quid manum & studium his admoues? non quàm diu fons, tam diu flumina & riui? reseca caput, & exarescent membra. exscinde superbum, & bella deerunt, & pax alta occupabit orbem. O quæ hæc manus faciet! beata. maximè cùm verum nimis illud Pacati: *Indiscreta felicium pedissequa superbia. vix cuiquam contigit abundare fortunâ, & indigere arrogantiâ.* Addit illud verè Romanum: *Cuius quidem maiores nostros semper pertæsum est, vt grauiorem semper putauerint seruitute contemptum, eiusque impatientiâ sint coacti, post bellatores Tullos, Numásque sacrificos, & Romulos conditores regnum vsque ad nomen odisse. Denique ipsum Tarquinium execratione postremâ hoc damnauerunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, auaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocauerunt Superbum, & putauerunt sufficere conuicium.*

Nobile in purpura moderationis modestiæque documentum, in Timoleonte Siciliæ vindice, Probo teste, habemus. *Nihil vnquam neque insolens, neque gloriosum ex ore eius exijt: qui quidem cùm suas laudes prædicari audiret, nunquam aliud dixit, quàm se ea in re Dijs maximas gratias agere atque habere, quòd, cùm Siciliam recreare constituissent, tum se potissimùm ducem esse voluissent.* Dignam Rege vocem, dignissimam Christianâ purpurâ. Sequantur Reges, & magna terris, cæloque sperent magna.

CAPVT X.

In verbis ab acerbitate caueat, benignitatem sectetur, parciórque in iis sit quàm fusior.

Acerbitate Principis subditorũ animi alienantur. 3. Reg. 12.

CAVEAT ab acrioribus verbis, iram indignationemque prouocantibus, ne exasperatos in se prouocet, & audeant ab vltima desperatione, quæ moderatâ mente ne cogitarent quidem. Hinc illa Israelis verba: *Quæ nobis pars in Dauid?*

Dauid? vel quæ hereditas in filio Isai? post illa Roboami, *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus*. acerba oratio. sequitur: *Recessitque Israel à domo Dauid vsque in præsentem diem: nec secutus est quisquam domum Dauid, præter tribum Iuda solam.* Quanto Roboamo moderatior magnus Imperator Titus, cuius illa apud Suetonium sunt: *Non oportet quemquam à sermone Principis tristem discedere?* quò minus populum vniuersum. Et sanè ad summum imperium verborum acerbitatem adiungere, grauissimum est. cùm enim vita morsque in Principis manu sit, sat amplam iusti metus caussam potestas præbet, vt non sit efferenda verbis. mitiganda & lenienda est. Malè etiam vim suam potestas, aliorum contumelijs experitur. nescit amare contemptus. odisse didicit. odium verò ferrum acuit, etiam in seruis & mancipijs, quo magis in ingenuo & libero. Sed abiecti ac imbecillis animi argumentum, contumelia & ira sunt. vulgata in feminis, pueris & seruis vitia. Eoque magis in Principe vitanda. excelsi animi est, nunquam in verborum acerbitates irasque exsurgere. factis se vindicabit, non verbis, vir fortis. Addo, nihil adeò prudentiæ aduersum, atque iracundiæ fræna laxare. Nesciunt simul stabulare ira & prudentia. temeritatis plurimum illa & fatuitatis habet, moderationem hæc & maturitatem deposcit, & animum affectu vacuum. Neque malè dictum olim: Vel implacabiles in Principe iracundiæ sunt, & summa acerbitas & barbaries est: vel exorabiles, & leuitas summa, & sceptro indigna est. Quòd si quando tamen oblitus sui Princeps, in iram & verborum acrimoniam insurrexerit, mitioribus exinde molliat; aut, quod magis probem, beneficijs leniat. sedandis enim verborum tempestatibus, munera aptissima sunt, quæ nunquam deesse possunt Principi. qui si naturâ pronus in iracundiam sit, domesticos ferè sibi paret, ad modestiam, mansuetudinem, & morum maturitatem, adeoque & lentitudinem quamdam, naturâ comparatos, vt horum frigore & gelu noxius deferuescat calor.

Contemptu odium parit.

Ira prudentiæ aduersa.

Acerbitas beneficiis mitiganda.

Nescit

Nescit ignis sæuire, cùm in aquam inciderit. nesciunt dura ferire, cùm in puluillum delapsa fuerint. repercutitur à silice silex, inde exiliunt flammæ, & vtriusque ferè partis vulnera. quòd si in aquam immiseris & plumam, sanguinem nullum dabunt, vulnera nulla, liuorem nullum. Sed & pro nocituro æstu, induet temperiem Princeps, mansuetorum vsu & consuetudine. Iracundiam verò magno conatu euitabit, memor Alexandri, qui irâ stimulante, *tres maximas victorias, totidem amicorum iniustis cædibus victor perdidit*, cùm Lysimachum leoni obiecit, Clitum hastâ traiecit, Callisthenem mori iussit. Et de Sylla Valerius: *Animi concitatione nimiâ, ac immoderato vocis impetu conuulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum euomuit Puteolis*. Addit: *Igitur in dubio est, Syllane prior, an iracundia Syllæ sit extincta*. Misera mors. & fors non immeritò suo innatauit cruore, qui Romam ciuium suorum sanguine natare iusserat.

Iracundia Principi vitanda.

Benignis verbis vtatur Princeps.

Cùm verò ab omni verborum acerbitate abstinet, benignis vtatur. Oratio mollis quid non potest? saxa & chalybem stillicidia lenta soluunt. maior vis orationis. exasperatas mentes, & solo sanguine satiandas benignior dictio mollit. testis Abigail in Dauide. Quid? quòd efferatissima quæque animantia, verborum quadam dulcedine præuenta, obliuiscantur feritatis. Sic leo cum toto suggestu iubarum, delicium fit alicuius Reginæ, genas illius, suauium verborum domicilium, emaculans. ita mores bestiam relinquere oratio docet. quo magis molles flectet hominum mentes doceri assuetas? Exemplis diuites sumus. Notus Menenius Agrippa, cuius delinificâ dictione, armata plebs è Sacro monte reuocata, Patribusque, à quibus secesserat, iuncta. Et periisset sanè, & origini suæ insepulta iacuisset Roma, ni M. Valerius blandæ dictionis vi subuenisset, & populum Patribus, vrbem nimirùm sibi reddidisset. Notus M. Antonius, qui districtos vibratosque in se militum gladios, solâ orationis suauitate, vacuos vaginis reddidit. Notissimi Scipio, Germa-

manicus, Otto, qui dulci quadam & melleâ eloquentiâ, militares seditiones & tumultus compescuerunt. taceo notissimos reliquos.

Breuitas benignioribus verbis laudata, & sequenda Principi. In benignitate tamen & lenitudine verborum, paucioribus magis quàm multis Princeps vtatur, memor illius: ***Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.*** *Prou. 17.* Nimia profusio ferè imprudentiæ signum est. & sunt, quibus satis est, effudisse, tantâ verborum mutuò se interficientium celeritate, vt arbitreris prima verba à posterioribus inimico ferro propelli. indignari credas, quòd prima non exiuerint, quasi de primatu pugnent, arbitrerisque ex alto præcipitio delabi, inuicemque se moræ impatientes protrudere. Non potest mens in tanta profusione satis prouidere, ne quid elabatur inconcinnum, temerarium, imprudens, fatuum; non magis quàm ex alto protrusum corpus, quâ parte primum, quâ postremum terram tangat, prospicere potest. Et verè dictum, citatiorem dictionem fulminis vicem præferre, quod nullo discrimine cæco impetu in obuia fertur. Muliebris hoc maximè, vbi incaluerint, ingenij est; quibus dixisse, satis videtur: prudentiam enim auditoribus precantur, contentæ ipsæ dixisse. & vt medici vomitum prouocant noxijs expellendis: ita illæ quæ animo, tanquam stomacho, molesta erant deuomunt, veritæ, ne plus ab inlatente veneno molestiarum, quàm ex effuso generetur. ergo vt venena deuomant, quæ indignatio suggessit, vt pro medicamento habeant deuomuisse. prudentiam ne in vomitione quære, vt nec moderationem. Desuescat huic calori Princeps, & frigidam æstui infundat. nolo tam lenta ire verba, vt congelari inter labra possint, & quodam frigore densari; aut instar fastidientis & nauseabundi per ingrata interualla verba deuertere, aut singula tanquam gemmas ex alto mari tardo piscatu depromere, aut tanquam aurum è terrarum profundo eruere. mediâ tutissimus viâ ibit: & dum verborum parum dabit, benignitatis dabit plurimum.

Homerus sanè, paucorum verborum Principem vouet. quòd in multis facilis lapsus, sera pœnitentia sit, quam nec ars, nec subsequens prudentia emendet, non magis quàm temerarium auium volatum, dum ignibus se tanquam luci immiscent, & serò ingemiscunt ambustas pennas, & nequidquam improuidam temeritatem accusant. Fuit illud in Augusto memoriâ dignissimum, quem referunt nunquam senatui, nunquam populo locutum, nisi præmeditatò, & à calamo. de quo illud Suetonij: *Neque in senatu, neque apud populum, neque apud milites locutus est vnquam, nisi meditata & composita oratione: quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate.* Et, quod magis mirere, *sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua, grauiores non nisi in scriptis & è libello habebat, ne plus minúsve loqueretur ex tempore.* Et nescio an ALBERTO Principi quisquam in hoc genere componendus: qui quo verborum parcior, eo erat maturior. nihil illi vnquam temere elapsum, nihil imprudens, & quod dictum nollet, aut cuius pœniteret. Iam cùm in tanta negotiorum mole, tanta vndique accurrentium turba, semper in promptu haberet quod responderet; nihil tamen elabebatur corrigendum, vt singula diu meditata crederes, quæ ex tempore reddebat. elucebatque in omnibus ingens prudentia, non tam multitudine quàm pondere metienda. Hinc cùm plerique Principum ab illius ore penderent, nullius ipse erat indigus. omnes illum admirari, ipse neminem. Arbitreris aliquid supra hominem in ipso fuisse. & tamen inter hæc tanta, augustæ maiestati & prudentiæ modestia coniuncta, omnium illi animos conciliabat, omnium amorem prouocabat. *O sæuæ nimiùm grauésque Parcæ,* quæ hunc Belgio abstulistis! & pias interim cogor dicere, quæ cęlo donastis nouum Belgio Patronum.

CA-

CAPVT XI.

Temperantia cibi & potus, & casti mores in Principe laudata.

AVGVSTA grauitate & maiestate condita mensa Principem decet. nolo tenacem & sordidam. supra priuatam volo. quamquam magni Imperatores hanc amauerint. De Augusto Suetonius: *Cœnam ternis ferculis, aut, vt abundantissimè, senis præbebat; vt non nimio sumptu, ita summâ comitate: non ampliùs ter bibere solitus super cœnam. cibi minimi erat, ac vulgaris ferè. Instrumenti eius supellectilis parsimonia apparet, etiam nunc residuis lectis, atque mensis, quæ pleraque vix priuatæ elegantiæ sint. ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili & modicè instrato.* De Alexandro Seuero Lampridius: *In expeditionibus apertis papilionibus prandit ac cœnauit, cùm militarem cibum cunctis videntibus & gaudentibus sumeret.* Ebrietatem verò omnem tam longè à Principis mensa esse velim, quàm venena. Et sanè nocentiora immodica vina veneno sunt. surgitur ab illis in inuerecundum lusum, Israeli notum. itur in magnorum & carorum cædes. doceor ab Alexandro, Antonio, Herode. produntur secreta magno luenda; cùm nihil solennius, quàm ipsum sibi hominem inter pocula excidere. nulla inter hæc claustra. reserauerunt vina. Pericula verò quàm varia! testis Nabal. Doli dein & insidiæ quantæ à mensa, & in ipsa! discimus in Simone, Mathathia, Iuda, Amnon, & Babylonio Baltassare. & non mulieris manu iacet Assyrius? Quàm multi audiunt patriæ Regumque proditores! non audirent, si abfuissent pocula. Quoties indefensa iacuerunt mœnia, & deserti exercitus! à mensis non rarò hæc mala. vt nesciam ab hostibus, an à poculis vinci perniciosius sit. Dicam; ignoscibilius ab hostibus vinci est. multæ hîc caussæ esse possunt, quæ nullâ vitari prudentiâ queant. in vino caussam

Mensa Principis modesta.

Mensarum luxus damnandus.

Principi nullam video. Et quid ſperet ipſe in ſuis, ſi præeat exemplo, cùm exempla Principum documenta populorum ſint?

Temperantia commendata. In magnis ſanè viris temperantia commendata. Catonem produnt Hiſtorici remigum vino contentum vixiſſe: Æmilium Scipionem, & Alexandrum inambulantes, Maſſaniſſam nonagenario maiorem ſtantem, cibum capere ſolitos: Hannibalem plerumque nonniſi ſub noctem cibum ſumpſiſſe. De M. Curio Valerius: *Samnitium legatis agreſti ſe in ſcamno aſſidentem foco, atque ligneo catillo cænantem ſpectandum præbuit.* magnum virum, & ligneo catillo, & agreſti ſcamno, quàm triumphis maiorem. De Q. Ælio Tuberone illud eiuſdem eſt: *Cùm Ætolorum gens omnis vſus vaſa argentea magni ponderis, & exquiſitâ arte fabricata, per legatos miſiſſet, qui retulerant ſe fictilia in eius menſa vaſa vidiſſe; monens, ne continentiæ quaſi paupertati ſuccurrendum putarent, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit.* meritò laudatum Tuberonem, qui imperare argenteis maluit quàm vti, & continentiæ ſuæ fictilia, opibus prætulit. Et de Romanorum bello paceque primis Valerius: *Erant adeò continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vſus quàm panis eſſet.* Fuerunt hi, qui iiſdem terminis continentiæ ſuæ exempla, quibus armorum potentiam clauſerunt, tamdiu orbi, quamdiu ori & ventri imperaturi. Hinc illi nobiliſſimi triumphi continentiſſimorum virorum; Valerij Poplicolæ, cuius exequiæ publicâ pecuniâ ductæ; Attilij Reguli, ſeptem iugerum domini; Quintij Cincinnati, quatuor, nec plurium iugerum poſſeſſoris; Cn. Scipionis, cuius filiam nuptui cum dote de publico ſenatus dedit; Agrippæ Menenij, qui ſepulturæ honore caruiſſet, niſi à populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet; Æliorum, magnorum omnino virorum, quos ſedecim vno tempore vna domuncula cepit, vnuſque in agro Veiente fundus aluit. Verè magnos, & continentiâ quàm rerum geſtarum gloriâ maiores. de quibus illud Valerij: *Pauper quiſque in diuite, quàm diues in paupere imperio*

perio

perio versari malebat. dignissimos imperio, qui publicas opes priuatis anteferrent, quique publicè imperio splendidi, priuatim continentes esse maluerunt, qui denique cùm longo luxu fractis, & opibus vndique circumfluentibus imperarent, continentissimam vitam agerent: vt arbitrari posses è Christi schola venisse. Dignissimus etiam Theodosius imperio, inter cuius laudes Pacatus: *An quisquam ferret molestè ad Principis sui modum coërceri? aut subtractum sibi doleret de priuata luxuria, cùm videret Imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parcè viuentem, modico & castrensi cibo ieiunii longa solantem? ad hæc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem; neminem vnum inueniri, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorū littorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem? nam delicati illi ac fluentes, quales tulit sæpè respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hiberna poculis rosæ innatassent, nisi æstiuâ in gemmis glacie Falerna fregissent. horum gulæ angustus erat orbis noster. namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut posita extra Romanum Colchis imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos inuitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericula rapuissent. tuæ, Imperator, mensæ communibus pariores, locorum ac temporum fructibus instruuntur.*

De continentia quid dicam? Si aliter, quàm nuptijs muliere vtatur, imitabuntur alij, & licere putabunt, quod in Principe viderint: atque adeò adulationis quædam species ad incontinentiam non paucos compellit, tanquam de imitatione placeant. est quædam scelerum lenocinatio. Coniuge ergo suâ contentus erit, si adulteria punienda sunt. nam quâ fronte in alijs puniet delicti reus? quâ iudex verecundiâ Principis sui scelera in alijs vindicabit? *Continentia laudata.*

Cogitet deinde Princeps, non vnam suam esse incontinentiam, neque in vno capite stare. abit ad plures: & propè quot exempla, tot crimina: cùm toto frequenter regno, omnis *Incontinentia Principis abit in omnes.*

Principi nullam video. Et quid ſperet ipſe in ſuis, ſi præeat exemplo, cùm exempla Principum documenta populorum ſint?

Temperantia commendata. In magnis ſanè viris temperantia commendata. Catonem produnt Hiſtorici remigum vino contentum vixiſſe: Æmilium Scipionem, & Alexandrum inambulantes, Maſſaniſam nonagenario maiorem ſtantem, cibum capere ſolitos: Hannibalem plerumque nonniſi ſub noctem cibum ſumpſiſſe. De M. Curio Valerius: *Samnitium legatis agreſti ſe in ſcamno aſſidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem ſpectandum præbuit.* magnum virum, & ligneo catillo, & agreſti ſcamno, quàm triumphis maiorem. De Q. Ælio Tuberone illud eiuſdem eſt: *Cùm Ætolorum gens omnis vſus vaſa argentea magni ponderis, & exquiſitâ arte fabricata, per legatos miſiſſet, qui retulerant ſe fictilia in eius menſa vaſa vidiſſe; monens, ne continentiæ quaſi paupertati ſuccurrendum putarent, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit.* meritò laudatum Tuberonem, qui imperare argenteis maluit quàm vti, & continentiæ ſuæ fictilia, opibus prætulit. Et de Romanorum bello paceque primis Valerius: *Erant adeò continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vſus quàm panis eſſet.* Fuerunt hi, qui iiſdem terminis continentiæ ſuæ exempla, quibus armorum potentiam clauſerunt, tamdiu orbi, quamdiu ori & ventri imperaturi. Hinc illi nobiliſſimi triumphi continentiſſimorum virorum; Valerij Poplicolæ, cuius exequiæ publicâ pecuniâ ductæ; Attilij Reguli, ſeptem iugerum domini; Quintij Cincinnati, quatuor, nec plurium iugerum poſſeſſoris; Cn. Scipionis, cuius filiam nuptui cum dote de publico ſenatus dedit; Agrippæ Menenij, qui ſepulturæ honore caruiſſet, niſi à populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet; Æliorum, magnorum omnino virorum, quos ſedecim vno tempore vna domuncula cepit, vnuſque in agro Veiente fundus aluit. Verè magnos, & continentiâ quàm rerum geſtarum gloriâ maiores. de quibus illud Valerij: *Pauper quiſque in diuite, quàm diues in paupere imperio*

perio

perio versari malebat. dignissimos imperio, qui publicas opes priuatis anteferrent, quique publicè imperio splendidi, priuatim continentes esse maluerunt, qui denique cùm longo luxu fractis, & opibus vndique circumfluentibus imperarent, continentissimam vitam agerent: vt arbitrari posses è Christi schola venisse. Dignissimus etiam Theodosius imperio, inter cuius laudes Pacatus: *An quisquam ferret molestè ad Principis sui modum coërceri? aut subtractum sibi doleret de priuata luxuria, cùm videret Imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parcè viuentem, modico & castrensi cibo ieiunia longa solantem? ad hæc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem; neminem vnum inueniri, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorũ littorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem? nam delicati illi ac fluentes, quales tulit sæpè respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuâ in gemmis glacie Falerna fregissent. horum gulæ angustus erat orbis noster. namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut posita extra Romanum Colchis imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos inuitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericula rapuissent. tuæ, Imperator, mensæ communibus pariores, locorum ac temporum fructibus instruuntur.*

De continentia quid dicam? Si aliter, quàm nuptijs muliere vtatur, imitabuntur alij, & licere putabunt, quod in Principe viderint: atque adeò adulationis quædam species ad incontinentiam non paucos compellit, tanquam de imitatione placeant. est quædam scelerum lenocinatio. Coniuge ergo suâ contentus erit, si adulteria punienda sunt. nam quâ fronte in alijs puniet delicti reus? quâ iudex verecundiâ Principis sui scelera in alijs vindicabit? *Continentia laudata.*

Cogitet deinde Princeps, non vnam suam esse incontinentiam, neque in vno capite stare. abit ad plures: & propè quot exempla, tot crimina: cùm toto frequenter regno, omnis *Incontinentia Principis abit in omnes.*

nis incontinentiæ caussa, vna sit incontinentia Principis. nec erubescunt sequi, quod in Principe vident. & decus etiam putant, & gloriæ suæ partem, si Principem factis referant. & exolescit eousque pudicitia, vt minùs generosus habeatur, qui nimis castus est. libido pro robore, castitas pro ignauia habetur. & pudet propè integritatis & pudicitiæ, quam tot modis in Principe vident erogari, & cui ex illius exemplo, ascribi putant posse, *Bonum factum*. Videant Principes, quam rationem reddituri sint Deo; cùm illi, non alieni tantùm tori, sed & aurium ac animorum maculâ carere meritò in suorum exemplum debeant. Felices sub casto Principe populi, cùm vnicuique domus sua templum. miseri sub impuro Principe, cui per libidines corrupto nihil honestum inest: sub quo nec tuta coniux, nec filia, nec domus cuique sua est.

Regium est nulli voluptati seruire.

Monet Reges Isocrates: *Maximè regium putato, si nulli voluptati seruias; si cupiditates magis in potestate habeas, quàm ciues tui.* Et sanè, vt fœdior næuus habetur, qui faciem occupauit, quàm qui aliam corporis partem; ita grauius fœdiusq; Principis, qui Reipublicæ facies quædam est, quàm aliorum peccatum est.

Imitetur Drusum Germanicum Princeps, de quo illud Valerius: *Constitit vsum Veneris intra coniugis caritatem clausum tenuisse.* Imitentur matronam feminæ Principes. *Antonia quoque femina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregiâ fide pensauit: quæ post eius excessum, formâ & ætate florens, cubiculum socrus pro coniugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit.* Nobile continentiæ exemplum. imitari non pudeat, quod audire delectat. De Alexandro Seuero Lampridius: *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehēderat, publicari iussit.* De Theodosio Aurelius Victor: *Prohibuit lege ministeria lasciua, psaltriásque comessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, vt consobrinarũ nuptias vetuerit, tanquam sororum.* Addidit incontinentibus pœnam Aurelia.

relianus: de quo Vopiscus, *Ancillam suam, quæ adulterium cum seruo suo fecerat, capite puniuit.* quis imitetur Christian●rum?

Matronarum in primis sibi subditarum castimoniam intactam Princeps seruet, memor Vrbinatium Ducis à populo cæsi. nescit iritata plebs parcere, nec discrimina lectus nouit, Rex ille sit, aut è populo. vbi coniugalis tori indignatio efferbuerit, non generi, non ætati, non sanguini, nō Regibus parcit. Exemplo illis Sex. Tarquinius esse potest: nam exinde post Lucretiæ torum Tarquinij nomen nullum est. iacent diademata, sceptra, purpura. & orbis imperio, in impuro filio, æternùm pater exuitur. nequidquam secuta arma, & magnum Etruscum Porsenæ nomen. vicit pudicitia: cui in alta gentilitate, priscâ religione, consecrare Vestæ focos, & Capitolina puluinaria placuit. Quo magis vincet in Principibus Christianis, qui melioribus aris, sanctioribus ignibus, diuinioribus puluinaribus se suosque æternùm munerandi, Pudicitiæ litabunt. Præit exemplo Constantinus: de quo illud Nazarij, *Nulli matronarum cui forma emendatior fuerit, boni sui piguit, cùm sub abstinentissimo Imperatore species luculenta non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris ornatrix.* *Matronarum castimonia Principi inuigilandum.*

Claudo hoc caput nobili Valerij sententiâ: *Ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, vbi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vindicauerit. nam quò istæ generis humani certissimæ pestes penetrauerunt, ibi iniuria domi nascitur, infamia flagrat.* Addo ab eodem: *Campana luxuria perquam vtilis ciuitati nostræ fuit: inuictum enim armis Hannibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantiâ, Veneris vsu lasciuiore, ad somnum & delicias euocauit. Ac tum demum confracta ac contusa Punica feritas est, cùm Seplasia ei & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoria languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur; adeò vt nescias, ab hostibúsne, an ab* *Continentiâ regna steterunt.* *Luxuria magnos viros fregit, vrbesque & regna euertit.*

illis

illis capi perniciosius habendum sit. Quæ etiam Volsiniensium vrbem grauib[illegible] & erubescendis cladibus implicarunt. Erat opulenta, erat moribus & legibus ornata, Etruriæ caput habebatur: sed postquam luxuriâ prolapsa est, in profundum iniuriarum & turpitudinis decidit, vt seruorũ se insolentissimæ dominationi subijceret. Sed & exempla in Regibus funesta, terrere meritò debeant. Iacet Rodericus, & in vna Iuliani filia, trecentorum amplius annorum Gothicum imperium euertit, Maurisque septingentis propè annis tenendum tradit. tot sæculis vna libido vix expiari potuit. Iacet Lucillæ vxoris manibus Antoninus Verus, vagæ mariti libidines venenum suaserunt. Paribus in pari caussa vxorijs insidijs occumbit Ptolemæus Philopator. Bryam etiam aliena sponsa, non alieno modo habita regno exuit. Phocam Photinus, cuius vxorem vitiauerat, purpurâ exuit, & Heraclij pedibus calcandum subiecit. Funestissimis his exemplis plenæ sunt omnium gentium Historiæ. quo magis vitanda Regibus, sanguine ferè & regnorum excidijs luenda. O fuge quisquis sceptra tenes. alieno plerumque ferro, alieni tori libido purpuratur. Ne fide sceptris. pauci lectambuli siccâ & suâ morte iacent Reges, ijsdem dolis lusi, quibus alienæ pudicitiæ illuserunt. Sed neque Deus diu scelera hæc patitur inulta. hîc sæuit, aut æternùm. ô! non hîc, & æternùm. ita duplici pœnâ vnum crimen expiatur, ferro & non morituris æternùm flammis.

Præluxit coniugali castimoniâ Regibus Principibusque omnibus ALBERTVS noster. nullum ab illius ore vitâ omni minùs castum verbum,

—— Nunquam læsa fides, aut pectore in isto
Alter amor,

nulla in oculis aliena. cùm dicere solitus esset, tam sancti viri esse suffundi, si virginem vidisset, quàm sanctæ virginis, si à viro visa esset. quare cùm in omni fortuna color illi staret; non stabat, si fors aut verbum audiret non castum, aut vidisset non casta; veritus ne quid vel auribus, vel oculis de casti-

castimoniæ integritate delibasset. tantus castitatis amor pectori illius insederat. Prostitutæ verò libidinis tam seuerus vindex, vt etiam cogitata tantũ, innoxio licet corpore, puniturus esset, si proditrix domini sui lingua fuisset. atque hinc nec verbum patiebatur insolentius, vt erubesceret omnis inuerecunda impudicitia ad illius aspectum; & qui soli erubescere nesciunt, erubescerent ad castos illius oculos lenones. aucupabatur aliquis munus, qui audiebat non castus; satis erat ad repulsam, non castum audire, reliqua licèt summa adessent. etiam cùm è sola subobscura suspicione crimen illatum foret, spe muneris excidebat. tam tenero in omnem castimoniam pectore ferebatur.

Cibi verò potusque intemperantiam ne nouerat quidem; neque admittebat generosus illius animus tam vilem belluam. cùm enim multibibentiam libidini præludere sciret, pro veneno deputabat, oderat vt hostem, vitabat vt rationis, iudicij & prudentiæ furem. Iam cùm in perpetua quadam vigilique statione, ac quasi in virgine saliua, censeret Principem esse debere, longissimè illum ab omni immoderato potu iudicabat arcendum: eo magis, quòd grauissimos, & nullâ pœnitentiâ emendandos non postremorum Regum lapsus sciret. & turpe in primis dicebat illum qui Reipub. præerat, cibi potusque multitudine, aut hebescere iudicio, aut labi memoriâ, aut densâ ciborum nube tanquam nebulâ stipari, quo minùs longè posita pericula videre aut arcere posset.

CAPVT XII.

Amor timore potior.

AMARI velit, non timeri: certus salutem in ciuium beneuolentia esse, exitium in odio, timore natum. Et verò malè terrore veneratio acquiritur. nam & longè valentior amor est ad obtinendum quod velis, quàm timor. hic abit, *Potentior amor timore est.*

si recedas; manet amor. &, vt ille in odium, hic in reuerentiam vertitur. Hinc ille: *Populo Romano iam à primordio inopi, melius visum est amicos quàm seruos quærere: tutius rati, volentibus, quàm coactis imperare.* Illi quacunque fortunâ stabunt, hi non vltra vim & potentiam. tolle hanc, ex seruis hostes experieris. Discam hoc ab ijsdem Romanis, qui postquam longè lateque imperium extenderunt, subacta regna milite continebant. quibus cùm alendis Imperij opes non sufficerent, & seruorum se, non sociorum, loco haberi prouinciales sentirent; è militari præsidiariorum libidine ac insolentia in desperationem acti, mutuò se inhortantes, iugum excutiebant. sed & miles, nouarum rerum cupidus, nouos Imperatores, quia nouas prædas, amabat. hinc tot non rarò Cæsares, quot exercitus Roma vidit. Amore & beneuolentiâ continere regna & prouincias poterant, æquando præmijs pœnisque, quos virtus aut scelera æquauerant, Romanus, an alius esset. Sciebat hoc Hannibal, cuius illud circumfertur: *Carthaginensis mihi erit, qui hostem strenuè feriat.* Ciuem Hannibali virtus, non Carthago dabat. sciebat ille, cuius hæc verba:

Tros Rutulusúe fuat, nullo discrimine habetur.

à virtute nimirùm illi, non ab vtero aut vbere, discrimen. illam nulla seruitus, aut timor, amor dabit. neque enim aut à seruitute, aut à metu, sed ab amore, virtus. Scio perdifficile esse amorem in aulam vocare, à qua ferè æternâ lege exulare consueuit, succedentibus illi æmulatione, inuidiâ, odio. quo maior Theodosius, de quo Pacatus: *Tu amicitiam nomen antè priuatum, non solùm intra aulam vocasti, sed indutam purpurâ, auro gemmisque redimitam, solio recepisti; réque non verbis asseruisti, Principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior; cùm fide ac facultate paribus agas, & familiaribus tuis Imperator tribuas, quod priuatus optaras.* O! multos regna Theodosios; & exulabunt odia & metus, & solum amorem scient aulæ. & alibi: *Vt te omnibus Principem, singulis exhiberes Senatorem, vt crebro ciuilique progressu, non publica tantùm opera*

opera lustraueris, sed priuatas quoque ædes diuinis vestigiis consecraris; remotâ custodiâ militari: tutior publici amoris excubiis. Benè quidam metum amori componens: *Frustra se terrore succinget, qui caritate suorum septus non fuerit. armis enim, insidijs, minisque, arma, insidiæ, minæque irritantur.* Amari ergo volet, qui imperare tutò volet. Et verum vetus illud est: *Amor populi munimentum inexpugnabile.* Etiam in belluis quid non potest amor? Catulorum sanè amor in venabula immittit feras, nec ferrum sentiunt, quia amant. sentirent, si non amarent. obtundit aciem amor, ac dolorem si non omnem adimit, mitigat. Iuuenilia certè nonnunquam ingenia gloriæ cupido in contemptum tam ferri quàm ignium misit. Spes etiam quosdam, ac virtutis quædam vmbra, in tormenta ac mortem: & docuit hanc etiam amare. Quanto his omnibus fortior amor est, tanto potentiùs per damna, pericula & mortem ibit, nec destituet amatum. cara amanti mors, si sanguine suo sanguinem restinxerit amati; Principis sui in primis, pro quo cadere gloriosum. Pro ferro ergo, & armis, & custodia, Principi amor suorum erit. nam qui in armato milite præsidium regni & securitatis suæ ponit, hunc necessum est non minùs armatas suorum dexteras atque hostiles inhorrescere: nam vbi illi amare desierint, hostes esse incipient. Miserrimum verò est, ciues hostesque iuxtà metuere. pauidas hic noctes diesque ducet, omniaq; timidus circumspiciet, ad omnem strepitum arma expauescet, alioque atque alio loco, contra regium decus quiescet. interdum somno excitus, arreptis armis prouocabit stipatores, corporisque sui custodes, vt metu metum pellat. Infelix conditio. illa optanda, qua Princeps inter subditos, tanquam inter filiorum manus, pacatas ducit noctes. Vt meritò audeat ille: *Amari, coli, diligi, maius imperio est.* Atque hinc monet alius: *Non trabibus aut saxis, sed tuorum pectoribus nomen tuum incidatur.* æternant corda. marmora etiam vetustas exedit, ferrum ignis. animorum inscriptio, immortalis est. his nomen inscribe.

Amor gloriá & spe validior est.

Intutum præsidium in solo ferro est.

Mmm 2

scribe. inscribet amor. faciet Princeps, si parentis in omnes personam induerit: nam suos in perpetuo metu tenere, tyranni, non Principis est. neque talis extra metum erit. metus enim vnus alium prouocat; & quantum quisque terroris adfert, tantum ferè recipit. Est hinc illud vnius:

Tyranni est suos solo metu continere.

Metus vnus alium prouocat.

Non sic excubiæ, nec circumstantia tela,
Quàm tutatur amor.

Paucis, sed verè. fortiùs alius:

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubióque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumúe sui tenuere diem.
Alia ex alia cura fatigat,
Vexátque animos noua tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus,
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda, niuali
Vicina polo, vbi cæruleis
Immunis aquis, lucida versat
Plaustra Bootes: vt præcipites
Regum casus fortuna rotat.
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma recessus
Præbet tutos, non curarum
Somnus domitor pectora soluit.

Audi alium:

Cespes Tyrio mollior ostro
Solet impauidos ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilésque trahit purpura noctes.
O, si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit

Fortuna

Fortuna metus! Brutia Coro
Pulsante fretum mitior vnda est.
Aurea miscet pocula sanguis.

Atque hinc monet Poëta:

Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidósque vultus:
Quidquid à vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Hæc Regibus, sed ijs, qui domini tantùm, non patres. nam hi in filiorum sinu securi lætique dormiunt. timere patres nesciunt. vt verum vetus illud sit: *Amor timere neminem verus potest.* Patrum hic est & filiorum, bonorumque Principum & subditorum. Vt verum illud Xenophontis sit: *Bonus Princeps nihil differt à bono patre.* quantum differt, tantum abest à bono patre. Neque certior alia gubernãdi ratio, quàm dum patris personam Princeps, filiorum induunt subditi. Mutuò hæc se prouocant. patrem Princeps se ostendit? subditos sentiet filios. nec validius quidquam amore ad amorem suorum parandum. Expertum hoc aliquãdo Cęsarem habemus apud Suetoniũ: *Ingresso ciuile bellum, centuriones cuiusque legionis singulos equites è viatico suo obtulerunt: & vniuersi milites gratuitã, & sine frumento stipendióque operam, cùm tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent. Neque in tam diuturno spatio quisquam omnino desciuit: plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare aduersus eum vellent, recusarunt. famem & cæteras necessitates, non cùm obsiderentur modò, sed &, si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant, vt Dyrrhachinâ munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, cum feris sibi rem esse dixerit: amouerique ocyus, nec cuiquã ostendi iusserit: ne patientiâ & pertinaciâ hostis, animi suorum frangerentur. quantâ fortitudine dimicauerint,*

 testi-

testimonio est, quòd aduerso semel apud Dyrrachium prælio, pœnam in se vltrò depoposcerunt, vt consolandos eos magis imperator quàm puniendos habuerit. amoris maximi magna hæc signa sunt. Inuenies non absimilem in Theodosium apud Pacatum: *Si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patienter miles ferebat, pro omni præmio, omnique mercede id vnum reposcens, vt tuus diceretur*. felicem tali milite Imperatorem. Non inferiorem affectum habes in Augusti morte: *Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est, vt inter alia complura censuerint quidam funus triumphali portâ ducendum, præcedente Victoriâ, quæ est in curia, canentibus næniam principum liberis vtriusque sexus. alij exequiarum die ponendos annulos aureos, ferreósque sumendos. alij, vt omne tempus à primo die natali ad exitum eius, sæculum Augustum appellaretur, & ita in fastos referretur. Senatorum humeris delatus in campum. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibúsque nudis, ac in mausolæo condiderunt*. Quæ possent maiora filij, aut quæ amoris in optimum parentem signa dare testatiora? Paria propè habes Tito mortuo. *Quod vt palàm factum est, non secùs ac in domestico luctu mœrentibus publicè cunctis, senatus priùs quàm edicto euocaretur, ad curiam cucurrit, obseratísque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit laudésque, quantas congessit ne viuo quidem vnquam atque præsenti*. Nil mirum. amauerant vt patrem, fleuerunt, laudarunt vt patrem. Illud etiam Lampridij in Alexandro Seuero notatu dignissimum: *Pedes palatium conscendit, cùm retrò currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur. leuabatur manibus omnium Alexander. vix illi per horas quatuor ambulare permissum est, omnibus vndique clamantibus, Salua Roma quia saluus est Alexander*. momentum, horæ illæ fuerunt, cùm amoris essent. Addit: *Ad Germanicum bellum profectus, deducentibus cunctis per centum & quinquaginta millia*. Quid non facit amor? addidit hic alas & animos. Et illud Spartiani in Adriano: *Cùm in amore omnium imperasset, atque ab aliis modò frater, modò pater, modò filius, vt cuiusque ætas sine-*

finebat, & diceretur & amaretur; vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem autem contemnens, ad amicos dixit, Quid me fletis, & non magis de communi morte cogitatis? quibus dictis, *diem vltimum clausit*. Felicem diem! quid huic defuit præter Christianum pectus? quàm pauci Reges Adriani! ô! sint amore & exitu omnes. Illud etiam vouendum Regibus, quod Aurelius Victor in Antonino Pio: *Adeò adamantibus eum cunctis Regibus nationibusque, vt parentem seu patronum magis quàm dominum Imperatoremue putarent: omnesque vno ore in morem cælestium propitium optantes, de controuersiis inter se iudicem poscerent.* Non hunc dicam amore, quàm imperio maiorem, fortunatiorem? Non fuit in hac re Imperatorum postremus Traianus, de quo Cassius: *Amari & obseruari, quàm timeri malebat,* & patris magis quàm domini aut Imperatoris loco haberi. Nobile amoris exemplum legimus apud Nazarium: *Pugnabant Illyrici contra Macedones. Et prima quidem congressio secundùm illos fuit. verùm Macedones, cùm bellum reficerent, Regem suum in cunis ad aciem tulerunt. cùm illos ira, hos miseratio; illos signorum cantus, hos pueri vagitus accenderet; mutata est ratio certaminis: vicerunt qui amore pugnabant.* Audax factum. sed quis amoris facta damnet? Idem reperies in memorando post homines natos triduano Brabantorum & Grimbergensium prælio: in quo Brabantiæ Dux inter cunas vagiens, ex editiore arbore depensus, animos suis, vel solâ teneræ ætatis commiseratione, addidit, hostibus ademit: cùm viderent destinatum Brabantis cum Duce suo vincere aut mori. Pugnauit hic suus in Principem amor. vicit amor. ac nescio an non aliquid temeritatis connexum amori. verùm quis accuset amorem? quis non excuset?

Illud etiam in magno Rege, & cuius imperia latè sparsa, ad suorum sibi amorem conciliandum, plurimùm potest, si è singulis quibus imperat prouincijs apud se habeat, quos morum probitas, vitæ integritas, pietas, longaq; rerum cognitio commendat. qui publica priuatis præponant, qui gentis *Modus conciliandi subditorũ animos.*

tis suæ res ex fide vt suas, non vt alienas, tueantur. Sic enim se demum communem regnorum prouinciarumq; omnium suarum parentem ostendet, cùm pari filiorum omnes loco habeat. Habebit, si singularum prouinciarum negotia, per eiusdem gentis homines, pertractauerit. certiùs illi & consilia dare, & damna auertere, & venientibus occurrere malis, & præsentibus mederi possunt: vt quibus suæ gentis bona malaque, rerum copia & inopia, secunda & aduersa, spes & metus, animorum magnitudo & deiectio, locorum situs & oportunitas, vires, potentia impotentiaque, solique bonitas imbonitasque, fœcunditati aut sterilitati coniuncta, reliquaque omnia notiora sunt, quàm cuiuis gentis alienæ, qui præter audita nihil habeat, ac plerumque à rerum locorumque imperitis, adeoq; nec audita quidem: solisque non rarò coniecturis, in maximarum rerum decisiones, à quibus prouinciarum salus interitusque pendet, cæcâ manu, pede, fronte, prosilit. ita fortuitis omnia consilijs, è fortuita cognitione natis, res omnium maximæ peraguntur: quibus ex in fortuiti respondent euentus. non secùs, ac si quis in confertam hominum turbam, ex amicis hostibusque conflatam, in incertum telum mittat, quod amicum transeat, hostem feriat. ita consilia ferè sua iaculantur, quicunque in alienæ gentis numquam habitatæ, nunquam de propinquo notæ, profutura aut obfutura mittunt, cæco impetu & lapsu.

Quid? quòd magnam quamdam prouincialium animis fiduciam pariat, si videant, non ab vna tantum gente, sed ab omni, Principum suorum latera claudi: habeantque è gente sua, in quorum fidentiùs sinum, quàm in alienum, sua depromant. Nec quidquam adeò potentius in amore est, quàm si Regem sentiant in domesticorum delectu patrem. Nam si ex vna gente sola, in omnium gentium concilia adlegerit, gentis illius parens, reliquorū dominus censebitur; & filiorum illi, seruorum reliqui loco haberi videbuntur. inde iam seruorum etiam more amabunt, seruorum obsequentur.

quam-

quamdiu nimirum præmia & metus. quæ si sustuleris, excutient iugum: sed & alium etiam dominum circumspicient, si maior præmiorum spes affulserit, aut nomen patris. fuge quisquis pluribus imperas, domini nomen, assume patris; & senties filios, & venena ignorabis & ferrum: & patrum more securiùs viues, filiorum coronâ cinctus, quibus etiam dulce erit gratuitò pro patre occumbere. Securissimus vixit ALBERTVS, qui omnium ad se accurrentium, & sub signis suis militantium, Hispanorum, Italorum, Germanorum, Belgarum, etiam Gallorum, audijt & vixit pater. nulla huic discrimina gentis. non solent apud patres filiorum esse: vnum licet illi fors dedisset vxor in Hispania, alterum in Italia, tertium in Germania aut Gallia, quartum in Belgio. omnes nimirum vnius matris filij sunt, nec discrimina à loco vterus nouit. cùm ergo omnes pro filijs haberet, vixit omnibus pater: & placidissimè, tanquam in vxorium sinum, animam in tot gentium, quasi filiorum, pectoribus deposuit. nec aliud sepulcrum voluit.

CAPVT VIII.

Amici regno vtiles & necessarij.

AMICOS Princeps paret. neque enim tam exercitus & thesauri, quàm amici regnorum præsidia sunt. quos enim neque armis cogere, neque auro potes, hos officio & fide parabis. Scio opes in hac re plurimũ posse. sed quos solis opibus parauerís, infidos ferè reperies, vbi dare desieris: vt aut semper dandũ sit, aut cessantibus donis fides periclitetur. Et muneribus verbisque blandientibus simulatur affectus: amicitiæ autem sinceritas magis fidem postulat, quàm delinimenta sermonis, aut aurum. Vbi verò fidum sibi amicum parauerit Princeps, omnia tutò deliberare cum ipso potest: sed ita, si de ipso diu antè seriò multumque deliberauerit. *Regnorum præsidia amici.*

Post amicitiam credendum est; ante amicitiam iudicandum.

Quomodo Regi vtendum amicis. Ita tamen amico vtatur, ne offensionem incurrat aliorum, neque inuidiam amico paret. Sic fidorum vti consilio, quasi aut non vtaris, aut in consilium non vocaueris, prudentis Principis est. palàm verò vti, odiorum & insidiarum occasionem præbuisse est. exurgent enim æmuli, & quaquâ viâ euertere conabuntur quem oderunt, quemque anteferri sibi viderint. Semper ingeniosa æmulatio fuit. nunquam illi rationes, nunquam explendi quod suasit inuidia, caussæ defuerunt: serius, ociùs, aliquando inueniet. fæcundissimum æmulationum sæculum nostrum fuit. non fuisset, si cautiùs, neque tam palàm Reges Principesque amorem suum explicassent. Explicasse, euertisse fuit, cùm in pauca capita omnes insurgerent. Neque deesse poterat, quod accusarent. nunquam illa defuerunt in magna fortuna, quæ semper aliquid & pœnitendum, & damnandum subministrat. Plurima in humanis posse, via ad errorem est. nec quidquam pronius, quàm in lubrico & præcipitio labi, aut verbo intra priuatos parietes in Principem peccare. Quid? quòd hoc solum, plurimum apud Principem posse, sat amplam materiam æmulationi præbeat: vt audere voluisse persuadeat, quod poterat: nihil enim magis ad fidem valet, quàm voluisse quod potes. maximè apud Principes, qui ferè faciles in suspiciones sunt, cùm de regno aut imperio agitur.

Amici Regum muneribus & dignitatibus ornandi. Vbi verò amicos sibi Princeps parauerit, muneribus amicitiam ornet & firmet. Nam licèt amicitia, si vera est, tam debili munerum fundamento non innitatur; nescio tamen quo modo in humanis firmamenta quædam amicitiæ tenaciùs vinciendæ sint. vt licèt, qui amat, non feratur in amorem muneribus, gluten tamen quoddam duarum inter se colligatarũ mentium munera videantur: maximè cùm à Principis manu, tanquam à superiore fæcunda nube derorantur. Et sanè, si obsequia illa in inferiore sunt, quæ amorem Principis merentur, non videtur tam obsequiosum & fidum

fidum in se pectus, sine ingratitudinis, ac nimiæ seueritatis nota, irremuneratum præterire posse. Beneficam proinde in se mentē remuneretur Princeps, vt plures in paria, aut maiora obsequia, parium aut maiorum spe remunerationū prouocet. ingens in humanis, etiam ad sanguinem fundendum, incitamentū munera sunt, à Principe in bene merētes erogata.

Imitetur in hac re magnum Regem Assuerum, qui suorum in se promerita in librum referebat, quò & recentior & certior beneficiorum memoria esset, quæ munificâ & regiâ manu rependere posset. Fecit in Mardochæo. nec stetit in hoc vno regia manus: sed è Mardochæano fonte defluxit in omnem Iudæam, vt ex illius riuulo flumina in omnem illam gentem nata sint. Nec satis fuit Regi primos Mardochæo regni honores exhibuisse, gentique morti destinatæ fortunas vitamque tradidisse; in non vnius Mardochæi tantùm, sed vniuersæ gentis hostes graui edicto desæuire voluit, vt & vitam illis largiretur, his adimeret. magnæ omninò gratitudinis pectus magnum, dignissimum omninò quod orbi imperaret. Imitari quisquis Assuerum voluerit, Mardochęos inueniet. Et verò, nullius amore & beneuolentiâ vinci, omnes vincere, nihilque irremuneratum transire, proximum Deo est. Et habet aliquid in se diuinum, nolle beneficentiâ aut liberalitate vinci, obstrictosque omnes beneficentiâ tenere, nulli esse; ac vltroneâ etiam munificentiâ fortunare plurimos, beareque inrogatis beneficijs. Hinc quisquis verè Princeps est, Deum secutus, obsequium omne, non ex pari, vt inter pares, sed duplâ semper remuneratione reponet: vt nihil vlli debeat, sed Principi etiam post obsequia plurimum debeat quisquis illa præstitit. Cum hoc Principe non viuere tantùm, sed pro hoc mori iucundum, qui norit etiam in filijs ac propinquis pro se fusum sanguinem ampliter remunerari. Neque deesse tali quidquam vnquam poterit, qui suorum animos tam valido ac inenodabili nodo sibi deuinxerit. etiam exteri ambient hanc dexteram, & glo-

Promerita suorum remuneretur Rex.

Poſt amicitiam credendum eſt; ante amicitiam iudicandum.
Quomodo Regi vtendum amicis. Ita tamen amico vtatur, ne offenſionem incurrat aliorum, neque inuidiam amico paret. Sic fidorum vti conſilio, quaſi aut non vtaris, aut in conſilium non vocaueris, prudentis Principis eſt. palàm verò vti, odiorum & inſidiarum occaſionem præbuiſſe eſt. exurgent enim æmuli, & quaquâ viâ euertere conabuntur quem oderunt, quemque anteferri ſibi viderint. Semper ingenioſa æmulatio fuit. nunquam illi rationes, nunquam explendi quod ſuaſit inuidia, cauſſæ defuerunt: ſeriùs, ociùs, aliquando inueniet. fæcundiſſimum æmulationum ſæculum noſtrum fuit. non fuiſſet, ſi cautiùs, neque tam palàm Reges Principeſque amorem ſuum explicaſſent. Explicaſſe, euertiſſe fuit, cùm in pauca capita omnes inſurgerent. Neque deeſſe poterat, quod accuſarent. nunquam illa defuerunt in magna fortuna, quæ ſemper aliquid & pœnitendum, & damnandum ſubminiſtrat. Plurima in humanis poſſe, via ad errorem eſt. nec quidquam pronius, quàm in lubrico & præcipitio labi, aut verbo intra priuatos parietes in Principem peccare. Quid? quòd hoc ſolum, plurimum apud Principem poſſe, ſat amplam materiam æmulationi præbeat: vt audere voluiſſe perſuadeat, quod poterat: nihil enim magis ad fidem valet, quàm voluiſſe quod potes. maximè apud Principes, qui ferè faciles in ſuſpiciones ſunt, cùm de regno aut imperio agitur.

Amici Regum muneribus & dignitatibus ornandi. Vbi verò amicos ſibi Princeps parauerit, muneribus amicitiam ornet & firmet. Nam licèt amicitia, ſi vera eſt, tam debili munerum fundamento non innitatur; neſcio tamen quo modo in humanis firmamenta quædam amicitiæ tenaciùs vincienda ſint. vt licèt, qui amat, non feratur in amorem muneribus, gluten tamen quoddam duarum inter ſe colligatarũ mentium munera videantur: maximè cùm à Principis manu, tanquam à ſuperiore fæcunda nube derorantur. Et ſanè, ſi obſequia illa in inferiore ſunt, quæ amorem Principis merentur, non videtur tam obſequioſum & fidum

fidum in se pectus, sine ingratitudinis, ac nimiæ seueritatis nota, irremuneratum præterire posse. Beneficam proinde in se mentē remuneretur Princeps, vt plures in paria, aut maiora obsequia, parium aut maiorum spe remunerationū prouocet. ingens in humanis, etiam ad sanguinem fundendum, incitamentū munera sunt, à Principe in bene merētes erogata.

Promerita suorum remuneretur Rex.

Imitetur in hac re magnum Regem Assuerum, qui suorum in se promerita in librum referebat, quò & recentior & certior beneficiorum memoria esset, quæ munificâ & regiâ manu rependere posset. Fecit in Mardochæo. nec stetit in hoc vno regia manus: sed è Mardochæano fonte defluxit in omnem Iudæam, vt ex illius riuulo flumina in omnem illam gentem nata sint. Nec satis fuit Regi primos Mardochæo regni honores exhibuisse, gentique morti destinatæ fortunas vitamque tradidisse; in non vnius Mardochæi tantùm, sed vniuersæ gentis hostes graui edicto desæuite voluit, vt & vitam illis largiretur, his adimeret. magnæ omninò gratitudinis pectus magnum, dignissimum omninò quod orbi imperaret. Imitari quisquis Assuerum voluerit, Mardochęos inueniet. Et verò, nullius amore & beneuolentiâ vinci, omnes vincere, nihilque irremuneratum transire, proximum Deo est. Et habet aliquid in se diuinum, nolle beneficentiâ aut liberalitate vinci, obstrictosque omnes beneficentiâ tenere, nulli esse; ac vltroneâ etiam munificentiâ fortunare plurimos, beareque inrogatis beneficijs. Hinc quisquis verè Princeps est, Deum secutus, obsequium omne, non ex pari, vt inter pares, sed duplâ semper remuneratione reponet: vt nihil vlli debeat, sed Principi etiam post obsequia plurimum debeat quisquis illa præstitit. Cum hoc Principe non viuere tantùm, sed pro hoc mori iucundum, qui norit etiam in filijs ac propinquis pro se fusum sanguinem ampliter remunerari. Neque deesse tali quidquam vnquam poterit, qui suorum animos tam valido ac inenodabili nodo sibi deuinxerit. etiam exteri ambient hanc dexteram, & glo-

riæ ſuæ partem non minimam putabunt, tam munifico gratoq; iungi. Reliqui etiam Principum, ſi non amabunt, cùm rarus inter ſceptra amor ſit, quæ mutuum amorem non didicerunt, odia etiam in conſanguineo ſanguine didicerunt, vt vix multis ſæculis duæ coaleſcant purpuræ; admirabuntur tamen, & laudabunt: ac ſi quid animo hoſtile, familiare hoc diademati vt credas intertextum, hoſtilitatem deponent: & aut imitabuntur, aut non damnabunt, quod inter diademata pro beneficio eſt. Magnum enim & inter prima numerandũ, inter æmulas magnitudines non damnari. Et, vt ingenioſa ſemper æmulatio eſt, nunquam illi, quod in æmula potentia damnaret, vllo ſæculo defuit. neque vlla tam ſterilis odiorum ætas fuit, quæ damnationis ſuæ ſemina in vicina non ſpargeret regna. Non ſparget tamen in Principem, cuius animo potenter infixum, amicos velle omnes, hoſtem neminẽ; benefacere omnibus, obeſſe nemini; vincere beneficentiâ, humanitate, comitate, grati animi ſignificatione omnes, cedere in his nulli. magis etiã, ſi Deum imitatus, in hoſtes beneuolentiæ ſuæ imbres depluat; ſi nulla fulmina, non pàlam, non occultò, deſtinatò in aliquem iaculetur; nullius potentiæ inſidias ſtruat, nullius felicitati retia, nullius honori pedicas, nullius opibus hamos; nulli denique malum pro malo, ſed pro malo bonum reddat. Beatam mentem. experietur amicos, qui omnibus fuit; non experietur hoſtem, qui nulli fuit, aut, ſi gratuitò experiatur, vincet.

In delectu tamen amicorum magnum ſtudium ponat Princeps: nam quales ferè ſortitus fuerit, talem ſe dabit. ſequuntur namque amicitiam mores, & tanquã mutuo conſenſu, mutua mutuatio eſt. & aſſimilari ſe gaudet amor: virtus illa an vitium ſit, iuxtà habet. Sed & non amare ſe putat, ſi moribus diſcrepat: vt etiam malit malus audire, modò audiat amicus, quàm bonus, & hoſtis. ita per improbos amicos etiam à rectis probiſque ad vitia, ab his ad praua, à prauis ad præcipitia peruenitur. vt bene Paterculus: *Non ibi conſiſtunt*

exem-

exempla vnde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſimè euagandi ſibi viam faciunt. & vbi ſemel à recto deerratum eſt, in præceps peruenitur. Nec quiſquam ſibi turpe putat, quod amico vtile arbitratur. quo magis improborũ vitanda commercia ſunt. Bene Theognis & prudenter monet: *Nunquam malum virum amicum fac fidelem: ſemper fuge tanquam malum portum.* Imò nunquam erit fidelis, vir malus. nulli enim quàm ſibi amica improbitas eſt. ac ne ſibi quidem, cùm proditor ſalutis domini ſui eſſe ſoleat, vtile honeſtis præferens, commoda ſaluti, pecuniç ſemper, quàm rectè faciendi cupidior. Imple beneficijs improbum, memor erit quamdiu ſperare noua poteſt, aut tu largiri. ſuccedant aduerſa, nulla acceptorum memoria eſt. neque vnquam calamitoſis vllam deberi gratiam putant improbi, ſed cum fortuna mutant fidem. Nil mirum, amicitiam ſolis opibus metiebantur: cuius cùm materiam ſubtrahas, neceſſum corruat quod ſuperſtructum erat. Probum proinde delige amicitiâ tuâ dignum: nemo talis deſtituet amicum: quæcunque fortuna intercurrerit: neque enim probitas fortunæ, virtutibus inædificatur, quæ in aduerſis magis quàm in proſperis elucent, roboriſq; ſui radios fortiùs inter nebulas excutiunt. Monitorem etiam habebis probum, & vitæ tuæ magiſtrum, cuius exemplis mutis exhortationibus, validiùs quàm ex intima Philoſophia petitis rationibus mens inſtruitur. In omni verò amicorum delectu, neſcio an felicior quiſquam Alexandro Seuero. de quo Lampridius: *Amicos ſanctos & venerabiles habuit, non malitioſos, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumuentores ſui, non irriſores, non qui illum quaſi fatuum circumducerent: ſed ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes Principis ſui, & qui de illo nec ipſi riderent, nec riſui eſſe vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent æſtimationem Principis ſui, ſed amarent.* Fortunatum nimis Imperatorem talibus amicis cinctum. non poterat rui-

nam vereri imperium tam validis columnis innixum. quod adeò verum arbitror, vt Principem præferam improbum, amicis suffultum bonis, bono, amicis circumsesso malis. Firmat hanc sententiam Lampridius: *Notum illud, Meliorem esse Rempub. & propè tutiorem, in qua Princeps malus est, eâ in qua sunt amici Principis mali. siquidem vnus malus potest à pluribus bonis corrigi; multi autem mali non possunt ab vno, quamuis bono, vlla ratione superari.* tanti refert Principē amicos delegisse probos.

CAPVT XIV.

Pœnæ & præmia regnorum firmamenta.

SVA cuique apud Principem virtus laudem & præmia inueniat: & pro virtutum magnitudine, præmiorum magnitudo crescat. nec irremuneratam, nec illaudatam, vllo modo virtutem suorum patiatur. Neque enim quisquam facilè gratuitò bonus est; vt dictum verè sit: *Quis enim virtutem amplectitur ipsam, Præmia si desint*? ita paucissimi nudâ virtute pro præmio contenti sunt, vt, si hoc sustuleris, illam tollas. Et Deus ipse non præmijs suos allicit, & ditioribus factis opulentas sponsiones exornat? Quis vastas inhabitare solitudines docuit, & extremam pauperiem pati? quis vltronea tormenta, cùm in secures & ignes pueri puellæque inuolarent? quis diademata, & purpuram, & opes, & nobilitatem, & regium contemnere genus? tolle promissa cælo præmia, quem inuenies? quem continentiæ amatorem? aut quis vltrò se monasteriorum vinculis induet, & innatam animo libertatem compedibus arctabit, si reposita cælo præmia sustuleris? Eadem in humanis cogita. quis pro regno Regeque sanguinem sparget irremunerandum? quis vitam ponet, si vulnerum, si fusi sanguinis, si vitæ præmia nulla sunt? Nullam ergo Princeps, si florentem Rempub. volet, virtutem sine mercede transeat: vt nec facilè maleficium aliquod graue

Præmia qui tollit, virtutem sustulit.

Nulla virtus sine mercede transeunda.

ue & Reipub. nociturum, impunitum abire sinet. præmijs enim pœnisque regna stant: quibus sublatis, magnam omnium perturbationem sequi necessum est. Modum tamen in his tenere Principem velim, vt nec in remunerando prodigus, nec in vindicandis sceleribus nimius sit: plus tamen semper remunerationi, quàm pœnæ tribuat. In præmiatione verò solius propè semper virtutis rationem habeat: vt is illi maior, illi carior, qui virtute præstantior est; nulla hîc discrimina nationum, nulla sanguinis, solius virtutis sint. Scio tuendam Principi nobilitatem: ita tamen, si natalium splendori mores respondeant. nam ignauâ nobilitate nihil turpius, nihil illis, qui solâ maiorum gloriâ magni, cùm per socordiam & luxum paternas opes exhauserunt, præmia virtuti debita sperant: cumq; maiorum gloriam segnitie & impuritate, malisque artibus obtenebrauerint, fortium virorum munia deposcunt; inani quodam fastu, quidquid virtute suâ magnum est, si maioribus destituatur, calcantes. quasi alienâ virtute magni, propriaque viduati, præmijs donari debeant; non debeant, quos virtus sua verè magnos fecit. nec vident miseri, maiores se suos damnare, à quorum virtutibus nomen sibi nobilitatis mutuantur: neque enim illi nobilitatem in posteros transmisissent, nisi virtute partam. aut ergo patiantur à Principibus virtutem in quocunque demum remunerari, aut Principes damnent, qui primi maiores ipsorum præmijs donarunt. Sanè si plebi obscurisque olim hominibus aditus ad dignitates & maiora fuisset interclusus, nullam hodie nobilitatē numeraremus. Et non omne, quod nunc clarum est, aliquando in obscuro iacuit? inueterascent noui quoque, & inter vetustatis exempla aliquando erunt. Quare repellendi & negligendi à Principe, qui generis claritatem, factorum obscuritate contaminant. Illud autem longè indignius, cùm ad prima regni munia Principes prouehunt, quos nec aliena, nec propria virtus commendat. Ita Ludouicum XI. Galliæ Regem, sutori suo facia-

Prodigalitas fugienda.

Sola virtus præmianda.

fæcialis, tonsori Legati, medico magni Cancellarij munus detulisse narrant. Non inferiora Philippum Pulcrum, tonsori suo, obscurissimisque ac sceleratissimis hominibus contulisse referunt. Petrum etiam Crudelem, quo nomine in præsentissimum se regnaque discrimen coniecit.

Virtutis & magnitudinis caussa præmia. Neque difficile erit Principi viros in omni genere magnos parare, & è vicinis etiam remotisque regnis primos quosque virtutibus elicere: si nimirum apud eum sua virtuti certa stent præmia, magna magnæ. Quidquid enim vbique in omni genere doctum, quidquid industrium & validum, præmiorum magnitudo euocabit. etiam patriam cum præmijs mutabunt. Et facile hoc Regi, si prodiga quędam in non promeritos dona rescindat, si sumptui modum ponat, si non necessarias largitiones cohibeat, si quæ à delictis ad fiscum veniunt, in virtutum præmia impendat.

CAPVT XV.

Fidem datam seruare Principis est.

SERVAVIT Alexander Seuerus. de quo Lampridius: ***Certum est eum nunquam id quod proposuerat fefellisse: cùm diceret, nolle ab aulicis suas vendi dispositiones.*** Tardus interim lentusque in promittendo sit Princeps: fidem datam seruabit: omnis enim Principis sponsio pro iurata esse debet, & sacrosancta promissio omnis. Monet Isocrates Principem: ***Verbis tuis maior sit fides, quàm aliorum iuratis.*** Turpe Principi, concessa negare. *Abiecti animi mendacium est.* Abiectissimi animi, mentiri & fallere, & venalē fidem habere. nimis hæc scenicam leuitatem sapiunt; constantiæ repugnant, quam regiam virtutem meritò dixerim. *Constantia in Principe laudata.* Certè vt nihil vilius in magno Principe, quàm plebeiam in promissis leuitatem imitari: ita nihil gloriosius, quàm Dei constantiam præ se ferre. habet enim hæc virtus aliquid diuino simile. & vt imprudentis ac leuissimæ mentis signum est, concessis non

non insistere;ita prudentis ac constantis est concessis inhærere. Non quòd Principem velim rupem aut chalybem: constantem volo. nolo Herodianum in puellæ saltricæ mercede robur: neque enim prudens, neque constans, neque pius Princeps improbitatē vnam maiore signauit. Errauit Princeps? non firmet errorem errore nouo. falsus est,& circumuentus insidijs? eripiat se illis. prudentis est, errorem corrigere;ingenui, fateri; improbi, inhærere. non imitetur pueros,qui post lapsum adfixi adhærent terris: imitetur milites, qui animosiores à lapsu resurgunt. Nunquam labi, inter optanda,non inter sperāda reponi debet. lapsus verbo,minis, sponsionibus,imperio Princeps est? nec imprudentiam vnam,nec delictum vnum,nouo vestiat. non labi,alterius vitæ est:labi,& errori insistere,stolidi:errorem corrigere, prudentis est. Sequatur prudentem Princeps,ac,ne à vero aberret,nihil aut statuat, aut spondeat, quod non decies antè tanquam in incude peritus malleator fingat, ac refingat. Quòd si post hæc error irrepserit,melioribus corrigat. nunquam enim deesse modus Principi potest errorem corrigendi. non dico,vt errorem fateatur. nimia hæc ingenuitas non cadit in diademata. sed alijs beneficijs aut modis errori medeatur. Fortunis, aut dignitate spoliauit immerentem, verboque aut factis innocentiam læsit; non deerit, integrâ etiam famâ, medendi & reparandi damna modus. immeritus etiam sanguis indignatione aut errore fusus;reparari in filijs aut nepotibus maiore dignitate potest.

Nihil statuendum Principi, nisi antè consultatū.

Sanctissimè semper fidem Romani seruauerunt. laudatissimus in hoc genere Sextus Pompeius,qui à Mena monitus, Augusti & Antonij,quos nauigio exceperat,cæde orbis potiri imperio posse, reiecit. fidem seruauit. & excidere imperio maluit,quàm fidem fallere: maior seruatâ fide quàm imperio,nec Magno Pompeio patre minor. imò magno patre maior,qui imperium neglexit, ne negligeret fidem. Quàm pauci Principum imitentur! quàm pauci è plebe! potuisse

Romani fidei semel datæ obseruantissimi.

duorum cæde imperare: noluisse, non inter orbis miracula ponendum? Quanto hic Cæsare, quanto patre maior, qui per propinquum sanguinem ad imperia ibant, cùm ipse per inimicum ire nollet? Damnatus omnium scriptorum calamis Antonius, qui fallacibus verbis euocatum ad se Armeniæ Regem vinxit, mori coëgit. secuta hinc arma, & immortale in filio odium, & variante fortunâ belli, non vltima damna accepta sunt, Parthis in belli societatem euocatis. ita vnius sanguini multorum millium litatum est. Damnatus etiam inter nostros Ludouicus XI. qui compositis in fraudem verbis euocatum ad se D[m]. S. Paulli Comitem Stabuli, mori iussit. Viuet æternùm omnium calamis ALBERTVS noster. qui properantibus ad exitum inducijs, cùm magna non pauci ex hostili agro vltrò sponderent, fidem tenuit, oblata reiecit. Quid? quòd potentissimi Regis arma experiri maluerit, quàm Principem feminam, quæ se illius fidei crediderat, fallere. Magnum pectus! quod nec terreri minis, nec delassari armis, nec regnorum flecti sponsionibus, nec fortunatis rerum successibus posset. stetit interritus. & frustra venti & fluctus: qui irrito semper conatu vnde venerant redierunt. frustra prospera & læta: cùm in illius ore & fronte, nulla in aduersis lamenta & tristia, nulla in prosperis hilaria legeres. Vt dubitare meritò posses, firmiùs mole suâ starent Alpes, an in non magno Principis corpore cor magnum. Et fors alibi reperias, qui aduersa omnia cum Iobo ferant, & excutiant: & qui etiam virtuti suæ campum deposcant, & hostem dari gaudeant.

—— Sic grauis Alcides
Gaudebat strato latus acclinare leoni.

Sed qui in secundis non mutet ora, non frontem, aut cui non plus saliat in lætis quàm in tristibus pectus, hunc ego Diuis simillimũ puto. Vidimus in Magno ALBERTO. Ac nescio an non maius, tam tenacem fidei semel datæ stetisse, vt nec intentata mors, nec proposita regna & imperia colorem mutarent.

tarent.

tarent. taceo animum. ô verè magnum! cuius verba crederes oracula; promissa, diuina. nullum illa fefellerunt, nullum frustrata sunt. & quod (liceat humana componere diuinis) de Deo, voluisse, fecisse; hoc de ALBERTO, dixisse, fecisse fuit.

Scio non defuisse, qui dicerent, non seruandam fidem, si obstringi se Principi voluntas defuisset; si promissi pœnitentia accederet; si mandari executioni sponsio non posset. Barbaræ hæ mihi semper visæ voces: nam quid spondere certi mihi possum, si ad tacitam Principis mentem in omni sponsione decurrendum? quæ fœdera, quæúe pacta stabunt? aut quæ securitas in humanis? Sequentur Principem reliqui. quis damnabit? regula suorum Princeps est, & exemplar morum. Quòd si è voto fortunatæ res successerint, dictis stabunt: si non responderint, aliam fuisse mentem dicent, & promissa rescindent. idem dico de pœnitentia, quæ datam fidem sequitur. Euertes quidquid humani iuris, quidquid fidei est, nec vlla iam pactis firmitas, nisi paciscentium votis responderint. ac, quoties pœnitentia accesserit, toties rescindenda pacta erunt. Quid si negata facultas promissa exequendi? quis prudens impellet in illa? faciat quod concessum Princeps. nil potest? non deerit, quod sponsionis loco substituat. *Barbarum promissa rescindere.*

Sunt alij, qui promissa Principum inter aulicas ciuilitates ponant, à quibus obligatio nulla nascatur. Indigna viro vox. non cadunt aulica hæc mendacia in Principem, nec cadere debent. Superioris in subditum non sunt purpurata mendacia. inter pares plurimùm illa natant, & vltrò mutuò citroq; inambulant: indigna Christiano, imò viro indignissima, scenæ & Comicis fabulis dignissima; non ijs, qui prudentiam, virtutem, morumque probitatem profitentur, minusque longè illis, qui Christum ore, fronte, pectore circumferunt. Audi Sapientem: *Non decet Principem labium mentiens.* Si verò in omnium ore turpe mendacium sit, turpissimum in Principis est: cuius verba diuinis eo similiora esse debent, quo propiùs ad Deum Principes dignitate & imperio accedunt. *Mendacium Principe indignum.* Prou. 17.

Quid? quòd ignaui pectoris mendacium ſit: generoſior quiſque antè vitam ponet, quàm ſe ſeruili hoc crimine contaminet. non vult ſeruus audire, non mulier, quiſquis animo vir eſt: tantum enim de magnitudine ſuâ decedere arbitratur, quantum de mendacio mutuatur. Non quòd velim Principem aliquando non ſimulare, aut ſecretum ſuum non tegere: quin imò & ſimulare non rarò volo, & ſecretũ ſuum centum clauibus claudere. fallere tamen, promiſſa reſcindere, mentiri nolo. nimis hæc plebeia vitia, ſceptris indigna ſunt. Quòd ſi fortem ſe Princeps veri propugnatorem oſtenderit, ſequentur quotquot aula fouet, non tam veritatis amore, quàm Principi placendi. magis etiam, ſi Conſtantini exemplo, nullum ad obſequia admittat, quem mentiri deprehenderit. Scio arduum fore, omnes aulæ natos à falſi ad veri ſemitam traducere; cùm meminerim illud Antiochi, toto ſe purpuræ tempore vnam tantùm rem veram inaudiſſe. Plurimùm tamen hanc rem iuuabit, ſi domo ſuâ & munere Princeps excludat, quos huic vitio addictos ſenſerit. Pauca enim ſeueritatis exempla confectam rem dabunt, maximè ſi facilem ad ignoſcendum, vera, etiam poſt delicta, fatentibus Principem experti fuerint.

Magnus omnino in tenaci fidei ſemel datæ obſeruatione Theodoſius. de quo Pacatus: *Velim dicas, vnde, cùm tantis promiſſa perſoluas, quid cui promiſeris ſcias: nec te vel Reipub. cura, vel illa ipſa tuorum beneficiorum turba confundat, vt parcior tardiórve tempore quem modóue decipias? quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, vt tu, quod promittis, appendis? Nec imponi negligentibus arbitreris. Quotidie in beneficia tua quærimus, & memoriam cõuenimus, &, ne ſingulis inſidietur obliuio, cum altero quiſque conferimus; vnum inuenire non poſſumus, cuius ſpem atque expectationem, non dicam feſelleris, ſed (quæ delicatior eſt querela) diſtuleris. Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promiſſo fidem ſubdas, & verba re ſancias. nemo beneficia quæ dederis ab eo credit tempore computanda quo dederis: quia tam ſunt certa quæ ſpondes,*

vt

vt tum videantur accepta cùm spondes. Verè regium & imperatorium. & aliquid hîc diuinum. Quale omnibus Principibus voueo, qui Deorum in terris vices gerunt.

CAPVT XVI.

Secretorum firmissimus custos sit Princeps,

SI se, si Rempubl. saluam volet, quæ non rarò à firma rerum peragendarum custodia pendet: vt meritò dici possit, proditorem secretorum, regnorum proditorem esse. iam cùm frequenter vniuersa aut Reipubl. aut exercitus salus in vna re vertatur, quicunque hanc prodiderit, Rempubl. prodidisse censeri debet. Et quanta regna & exercitus stetissent, si stetisset lingua! oblita hæc sui est, & hactenus regna, & Respubl. nullę. Priuatarum verò familiarum excidia vni ferè linguæ debemus. quo verò maiora damna ab illa meritò timenda sunt, eo acriùs puniendi, qui concredita sibi à Principe euulgant. Et ego sanè, veterum Persarum more, silentium in ijs, qui à consilijs Principum sunt, vitæ periculo sanciendum putarem, nec vllum probrum, linguâ grauiùs in illis castigandum: nullamque adeò illi rem credi tutò posse, nihilque debere committi, cui occulta Principum vitâ ipsâ potiora non sunt. denique nunquam consilijs admouendum, cui aut metus, aut spes tacendorum vocem exprimit. Et verum semper erit illud Curtij: *Res magnæ sustineri non posse ab eo, cui tacere graue est.* Et illud Sapientis monitum: *Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Nec minùs illud Hieronymi: *Si quis voluerit tuis misceri amicitiis, & hunc videris prioris amici pandentem secreta, hunc veluti perfidum caue.* Prudenter. sequamur monentem. Magis etiam sequatur Princeps. ne fidat sua, amici secreta prodenti. prodet Principis, si qua aut leuis offensa nata, aut lucri spes maioris. Commendatum in hoc genere illud Metelli:

Puniendi, qui secreta Principum euulgant.

Nunquam magna committenda illi cui tacere graue est.

Prou. 20.

telli: *Si tunica consiliorum meorum esset conscia, detractam in ignem mitterem.* Secutus est Petrus Aragonius: *Comburam intimam tunicam, si consiliorum meorum gnaram esse sciam.* imitetur Princeps. Pulcrum illud inter Romana incunabula: *Arcana consilia P. Conscriptorum multis sæculis nemo Senator euulgauit.* dignissimos omnes, qui imperarent. Addit auctor: *Cùm non vnum, sed neminem audisse crederes, quod multorum auribus fuerat commissum.* ô viros! quibus meritò orbis pareat. Claudit: *Nunquam taciturnitatem optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum labefactari volebant.* imitetur Christianus Princeps. Est & illud ab eodem: *Cùm Asiæ Rex Eumenes, amantissimus nostræ vrbis, bellum à Perse aduersus pop. Romanum comparari senatui nuntiasset, non antè sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent, quàm captum Persen cognitum est. fidum erat, & altum Reipub. pectus curia, silentijq; salubritate munitum & vallatum vndique: cuius limen intrantes, abiectâ priuatâ caritate, publicam induebant.* At nunc frustra hunc senatum speremus: frustra Papirios. Et nescio quomodo his moribus, aut nocturnæ vxorum blanditiæ, aut imprudens filiorum ac parentum amor, aut amicitiæ necessitudo, aut domesticorum fiducia, occultanda extorqueant. Cùm verò Regibus ab arcanis multi sint, multis creditur, quod vix vni tutò debeat. Illud pessimum, scribis etiam adolescentibus pleraque à dominis committi; cùm in magnis, si quid calamo credendum, vnius, nec plurium credendum sit: tum ne quis vulgandi metus, tum vt in prodentis, quæ celari debebant, cognitionem faciliùs deueniat Princeps, certiusque in delinquentem exemplum statuat, in reliquorum terrorem, prodentis pœnam. Quanta sæculo nostro (pudet referre) deteriori sexui, amicis, adolescentibus scriptoribus, in primorum orbe regnorum non reparanda damna, commissa fuerint, quæ antè scirent hostes quàm primi exercituum ductores, nimis notum est. O, si reparari mala possent! nequidquam voueo.

Vidimus tamen corruptissimis his moribus nostris, qui cer-

certare cum Metello, Pompeio, Romanis, veteribusque Persis posset, AMBROSIVM SPINOLAM Balbases Marchionem, Regiorum exercituum supremum Ductorem, tam tenacem sibi commissorum consiliorumque fuisse, vt antè animam cum Zenone, Anaxarcho, Theodoro, quàm concredita aut consilia excuteres. nemo ab hoc audiuit silenda, nemo sperauit; vt non mireris tantâ rerum gestarum gloriâ magnum; ac antè propè Ducem quàm militem, victorem quàm Ducem, & cum magnis imperatoribus conferendum, qui tam magnus silentio esset. Non mireris, tot omni bellicâ virtute in Belgio & Germania magnis prudenter imperasse, inuictaque in hanc diem Germanica fœdera dissoluisse, qui tam validè ori suo imperauerat. tam carum Principi suo stetisse, cui nullum pœnitendum verbum excidisset. Sed nimirum creuerat sub Magno ALBERTO, Belgarum Principe, qui nescias, pietate, animi moderatione, maiestate, constantiâ, prudentiâ, an tenaci tacendorum custodiâ maior fuerit. vt meritò dubitare possis, quid primum in illius laude, quid postremum ponas. ita in vno virtutum omnium quædam æmulatio, ac se mutuo prementium, ac quasi perimentium, amica concertatio fuit, vt nullo prudenter ordine vti possis, sine quadam sequentium iniuria. in orbem nimirum ponendæ, ne qua meritò queri de prælatione possit. In quo cùm omnia admiranda, & in exemplum itura: tum illud, quòd nunquam illi verbum imprudenter exciderit, nullum incogitatum. Vidimus, quod nulla posteritas credet, in aduersis & prosperis semper eundem, vt nulla fortuna, quantumuis sæua aut blanda, seuerius aut blandius verbum extorserit; non frontem aliam, colorem alium. crederes inædificatum rupibus, quæ fluctus vt pilas, adeoque vt plumas excutiunt. crederes supra quidquid pluitur & ningitur, supraque ventos omnes caput extulisse, solis cælestibus minorē. In hoc cùm omnia maxima, tum consiliorum ac peragendarum rerum silentium tam altum, vt antè maria calcanda pedi-

pedibus præberes, quàm magni illius pectoris secreta erueres. semel illi aliquid credidisse, æternùm erat: tam fidâ vigilique custodiâ, vt nec orbis vniuersi arma, nec regnorum quâ orbis patet prudentia, elicere concredita posset, aut cogitata eruere. & antè facta videbas, quàm cogitata crederes. O Magnum! spretoq; non semel vltrò oblato Imperio, quàm duodecim Imperatorum sanguine maiorem! maiorem tamen, qui ita imperare linguæ potuit, vt nullum illi vnquam verbum exciderit quod veniam mereretur, & de quo dici posset, *Homo fuit.* O nimis æmula magnorum fata! æterna huic Principi stare vita debuit. Sed ignoscite, cæli, inuidistis Belgio & orbi tam magnum: aut Imperium orbemque non dignum tam magno putastis. spoliastis proinde orbem, vt vos ornaretis. gratulor vobis. &, date veniam, inuideo: ac, si animo huic vires respondeant, eripiam vobis, reddam orbi. quanquam nihil detractum velim promeritæ toties felicitati, cùm orbitatem nostram sentio. Sed sileo, ne silentij leges & metas audax egrediar. audi tantùm vota mea Deus, quæ alto nimiùm silentio tibi soli prodo. tu illa custodi & exequere. Hoc tamen palàm audeo. quod non meum tantùm, sed populi Belgici vniuersi, tanquam vnius animæ, pro magna ISABELLA, votum sit: *Obsecro vt fiat in* hac *duplex spiritus* ALBERTI. impetrauit à magistro Elisæus ab aratro & ligonibus veniens: quo magis audi vota Belgarum omnium, & exple, magne Deus. filiorum pro parente sunt; non soles tam pia irremunerata transire.

CAPVT XVII.

Detrahentium ac adulantium inimicus sit Princeps. neutros admittat, vtrosque aulâ pellat.

DETRACTIO iuxtà ac adulatio vitanda, duæ Principum pestes. quæ vbi obsederunt aures, aditum virtuti claudunt: eo magis, quo magna semper Principum pars his lenocinijs

cinijs capta, & se & Rempubl. perdit, & fidissimis optimisq; destituitur. Adulatio veritatem mentitur, detractio obtenebrat: vtraque illam eripit. Ista scelerum in Principe caussa est, cùm laudata crimina in paria, vel maiora impellunt: tanquam si equum in præcipitia calcaribus agas. hæc in optimos ferè sæuit, & primis quibusque Regem regnumq; spoliat. Ingentia omnino mala, & quæ ęgrè tollas. tum quòd insita ferè magnitudini suspicio & timor sit, & faciles in fidem aures: vndè fit, vt detractio & liuor pronis plerumque auribus excipiantur. tum quòd complacentiâ plurimùm sui sceptra laborent, & laudes suas eo proniùs accipiant, quo faciliùs credunt. ita faciles in fidem sumus eorum, quæ amamus; maximè Principes, quibus propè cùm quod lubet liceat, proba dici & haberi, improba licèt, sua desiderant. cumque doceri pudeat, laudari volunt. discere, & damnari, graue diademati; gratum & iucundum, laudes audire. Quid agas? damnes? gratiâ excidisti. laudes? redarguit Deus. at nos seponimus Deum, vt amplectamur Principem. displicere illi pro minimo habetur, vt huic placeamus. ita facilè salutem Principis & nostram proijcimus, vt nesciam vtrum infelicius sit adulatoribus an detractoribus credulas aures præbere. Grãde interim vtrumque malum: nihil enim miserius Principe temerè in vtramque partem credenti. Hoc cogitet, laudatorem solam Principis fortunam sequi, & suam. vbi illa mutauerit vices, mutabit & adulator, ex laudatore damnator factus, eo acrior, quo fortior priùs laudator. Detractorem verò æmulâ quadam prurigine, rerumque suarum desperatione, per aliorum sanguinem & præcipitia, iter sibi ad honores & opes sternere. non poterat per virtutem, per scelera viam parat. Quòd si cogitarent Principes, vtrosque ab improbis sibi artibus auxilia mutuare, non tam facilè admitterent, serâ pœnitentiâ excludendos. Et quis optimorum erit innocens, si detraxisse satis est? Quòd si præmia etiam detractores manēt, quo non spoliabitur regnum viro magno?

Tolle praemia, nec detractores, nec adulatores erunt.

&,si præmia sustuleris,quis detrahet? hæc prouocant,& audaciam animosque addunt. tolle, & detractio nulla erit, adulatio nulla.

Et quid sperabis de Principe,cuius omnia honesta atque inhonesta pro virtute sunt? qui nihil admittit præter laudes? cuius nemo factum sine periculo damnet? cuius scelera,suorum ore,virtutes sunt? Quòd si scelus dixeris, peristi, gratiâ excidisti. hac ne excidas, virtus pro scelere dicenda. Misera seruitus, perire, ni falsò laudes; gratiâ excidere, ni improbanda probes.Sed & illa infelix conditio, cùm nullâ re maiora pateant præmia, quàm per magnorum obtrectationes. Detrahis? Deo peristi,& tibi.taces, aut laudas? inglorius iaces, & frustra præmia cogitas, quæ maiora longè è detractione,quàm è laude sunt. ingens ad scelera calcar.Iam cùm neminem etiam falsissimorũ detractorum pœnæ maneant, sed magis præmia; quis non detractoris personam induat, vt præmia referat? nimis validum incitamentum præmia sunt,etiam apud bonos.Audiat non me, sed Sapientẽ Princeps: *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Talis omnis Princeps est, cui faciles in detractionem aures sunt. neque enim alia in detractoribus,quàm verba mendacij reperies. *omnes ministros habebit impios.* Ego si dicerem, insurgerent in vnum caput aulæ omnes, purpurati omnes.Scripturæ verba sunt.mentiri Scriptura non potest. Videant proinde Principes, quales suos velint: pios, an impios. à detractoribus hæc pendent. fallor. à Principis facilitate hæc pendent. audiat detrahentes: impios habebit. quem enim non habebit, aut quem suorum non faciet detractorem, quem non impium, si gratas sibi detractiones ostenderit?

Prou. 29.

Adulatores & detractores aulâ pellendi.

Adulatorem verò vbi Princeps senserit, hostem cogitet, & occultum nominis sui detractorem; scorpium cogitet: blanditur vultu,caudâ verberat: laudabit præsentem, damnabit absentem:de propinquo mella,de longinquo venena iacu-

iaculatur, eo nocentiora, quo minùs ſentiuntur. Medicina à ſola ſectione petenda. anathema proinde Princeps omni adulatori inlide: ſimul etiam detractori. & cum magnis Auguſto, Traiano, Aureliano, Honorio, Theodoſio Imperatoribus, falsò detrahendi licentiam ſupplicijs reprime, memor Sapientis: *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul* Prou. 4.
à te. Quòd ſi vtrorumque potentiam & audaciam fregerit Princeps, beatus. Et nil facilius Principi. nam vt *ventus A-* Prou. 25.
quilo diſſipat pluuias, ita *facies triſtis linguam detrahentium*. Diſplicere ſibi oſtendat Princeps; ignorabit aula detractores, ignorabit adulatores. hoc dico: ignorabit noxias has viperas, in Principem primò, dein in optimum quemque venena iaculantes. imò non excipiat hos hilari vultu, & concidet omne illorum ſtudium.

Quòd ſi tutum vera loqui, vtrumque ferè vitium adnexum aulæ. & perpauci omninò Principes intacti abeunt: aut enim altero illorum tinguntur, aut vtroque. fuge quiſquis regnum amas. Fateor, adulatoribus nihil in principio *Nihil adu-*
videri humanius; at, vbi opes ſuas firmauerint, nihil illis in- *latoribus,*
ſolentius, nihil crudelius eſt. æſtuant ferè libidine, ſæuitiâ, *vbi ſe fir-* *mauerint,*
auaritiâ. Hinc Athenienſes ſecuri in aſſentatores ſæuiebant. *inſolentius.*
Demoſthenes ſanè publicas regnorum clades adulatoribus aſſcribit. Eſt in hac re illud Ciceronis: *Nullam in amicitiis peſtem maiorem, quàm adulationem.* Curtius, ſæpiùs adulationibus, quàm ferro & hoſtibus, Reges regnaque euerſa, non dubitauit aſſerere. Bias ferocium animalium ſæuiſſimum eſſe tyrannum dicebat, cicurum adulatorem. Dion adulatorem, adulterantibus monetam comparat: magnus Gregorius ſcorpioni, qui vulnus & virus, quo figit, infundit. Eleganter Seneca: *Adulatio ſimilis eſt amicitiæ. non imitatur tantùm illam, ſed vincit. apertis ac propitijs auribus recipitur, & in ima præcordia deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo lædit. Horum ſermo multùm nocet. nam etſi non ſtatim officit, ſemina in animo relinquit, ſequiturque nos, etiam cùm ab illis receſſerimus, reſurrecturum poſtea malum.*

lum Habent hoc in se blandimenta, etiam cùm reijciuntur, placent; sæpè exclusa, nouissimè recipiuntur. Pulcrè Pythagoras, Principum adulatores impuris comparat mulieribus, quæ à Deo salutem, vitam, opes, aliaque omnia amatoribus suis, præter bonam mentem precantur. destitui nimirùm nolunt, fieret, si mens bona accederet. Alius chamæleonti componit; cùm omnem Principis affectum induant. Ridet ille? imitantur risum. mœret? lacrymas fundunt. morbo tentatur? morbum illi simulant. stomachatur? ira illis ad manum est. amat? plus illi, & oleum huic fornaci inijciunt. otio delectatur? laudant. sæuit? accendunt etiam magis, & ligna huic igni supponunt. iniusta bella meditatur? inhortantur. magnorum nimirum Principum est ardua meditari, nec pacem ferro dare. caussa deest? nulla deesse Regi potest, cui libido pro ratione est. Benè Hieronymus: *Isto maximè tempore regnat vitium adulationis, quod est grauissimum, quia humilitatis & beneuolentiæ loco ducitur: & ita fit, vt qui adulari nescit, aut inuidiæ, aut superbiæ imputetur.*

Et quis vllâ ætate Princeps caruit noxijs his blanditijs? quo magis inuigilandum huic malo. Magno exemplo Regibus præit Titus. *Si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se dicebatur, non dubitauit interpellare, ac reprehendere, & commutare continuò. Dominus appellatus à quodam, denuntiauit, ne se ampliùs contumeliæ caussâ nominaret.* vbi sunt Christiani Principes? quàm longè ab hac modestia, prudentia, iustitia, robore! Videamus quid Augustus senserit: *Cùm spectante eo ludos pronuntiatum esset à mimo, Dominum æquum & bonum; & vniuersi tanquam de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu vultúque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimo corripuit edicto, dominúmque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel ioco, est passus. atque eiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Quàm longè sumus ab Imperatoria modestia!

Hæc si hoc loco, darem in sæculi nostri adulatores, doctissimi,

ſimi,veriſſimi fragmentum ludi.& iam ſcripſeram.inuolauit ſpongia. & iterum calamus,.& iterum ſpongia. dumq; inter venerationem iactor & metum,duas diuerſiſſimas res iunxi, audaciam & verecundiam. vicit tandem calamus; & auſus eſt imperitus pictor purpuram atramento tingere,veriùs,ſe ipſum purpurâ veſtire . date veniam quotquot in purpura docti,quotquot extra illam.& quis damnet,ſi purpureis verſibus,omni gemmâ nobilioribus,inornem hunc librum?temerarius audiam?audiam amator,& temerarij nomen etiam amabo. Quid?calceos auſa Poppeia,poculum Cleopatra,patinam Æſopi filius, ne mendiciùs magnis libertis cænaret, gemmis inducre. prima calcauit, altera bibit, tertius gemmas comedit, & regna in his integra. quanto ego proinde indulgentiùs,veniaque maiore,non & laude? paginam hanc doctâ venuſtabo & inoculabo purpurâ ? aut tanquam naufragum cælum purpureis ſtellabo ſtellis ? aut denique tanquam animâ, emortuum hoc chartarum corpus animabo eo feliciùs,quo nulla ante hanc diem ætas tam *vrbanâ*, tam doctâ claruit purpurâ?ignoſce amori quiſquis audaciam cogitas. Audite Reges:

Cui ſenſa mentis prouidus abdita
Rex credat? aut quos cauerit? omnium
Sincera, ſeu fallax, eodem
Obſequio tegitur voluntas.
Fugit potentum limina veritas,
Quamquam ſalutis nuncia: nauſeam
Inuiſa proritat, vel iram.
Sæpè magis iuuat hoſtis hoſtem.
Ictus ſagittâ rex Macedo, videt
Non eſſe prolem ſe Iouis. Irritâ
Xerxem tumentem ſpe, trecentis
Thermopylæ cohibent ſariſſis;
Docéntque fractum clade quid aulici
Sint verba plauſus. vt nocet, vt placet

Stillans adulatrix latenti
Lingua fauos madidos veneno.
Hæc in theatri puluere barbarum
Infecit atro sanguine Commodum,
Probrisque fœdauit Neronem, ac
Perdidit illecebris vtrumque:
Artes nocendi mille tegit dolis
Imbuta. quis tam lynceus aspicit
Quod vitet? Intentus canentis
Mercurij numeris, sopore
Centena claudens lumina, sensibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremptus
Exitij graue præbet Argus.

O benè, doctè, masculè, *vrbanè.* fortunatæ senescentis iam mundi litteræ.

Vestra est illa dies, fauete Musæ,
Dum, qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis & solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.

Ille Summus. ille Primus, Optimus, Maximus. Non meritò ego hunc supra Horatianos & Pindaricos cycnos, non moritura gloriæ pennis euolaturum dicam? & non iure docta illius vestigia, quotquot orbe litterarum amatores, venerabundi exosculemur, quem videmus geminatâ felicitate, Graiâ Latinaque carminantem, nec æmulum hactenus reperisse, nec æqualem, adeoque nec secundum?

Pars animæ victura meæ, cui linquere possem
O vtinam

annos meliores meos! ignosce, qui arentis huius calami stipulam per non tangendam purpuram soloque Deo inferiorem ducam. si quid hîc peccatum, amori dabis, cùm etiam temeritatem in amore nemo miretur & damnet.

Nec minùs inuigilandum detractioni, quæ vna ferè Principem

cipem primis quibusq; in omni genere destituit, qui cùm improbis his artibus vti nolint, perfacilè ab aduersarijs euertuntur. mentiri non didicerũt, & indignũ viro mendacium credunt: mendacijs interim obruuntur, maximè apud credulũ Principẽ, cui vel solâ magnitudine suspecti sunt. insidias dolo malo struere nesciunt: insidijs cadunt. Nec quidquã facilius, quàm virtutẽ fallere. simplex illa est, & candore sui fallacijs patet. cumq; mala suspicari, aut non velit, aut non possit, inuoluitur antequã præsentiscat mala. è suo verò iudicio cùm metiatur reliquos, circumuenitur ignara doli. non reperiebat in pectore suo fraudes, quare nec in alieno videbat, quo magis patebat illis. Sciebat hoc magnus per omnia Imperator Titus, longissimo dignissimus imperio. de quo illud Suetonij: *Inter aduersa temporum, delatores mandatoresq; erant ex licentia veteri: hos assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per amphitheatri arenam, partim subijci in seruos, partim venire imperauit, partim in asperrima insularũ auehi. Vtque etiam similia quandoq; ausuros perpetuò coërceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quæriúe de cuiusquam defunctorum statu vltra certos annos.* Et de Pertinace Herodianus: *Detractores vrbe exegerat, & vbi vbi inuenirẽtur, puniri imperauerat, cauens ne cui de vanis criminibus periculum conflaretur.* ô verè Christianum pectus, longiore imperio dignum! Et in Antonino Pio Capitolinus: *Delationes quibus fiscus augeretur contempsit:* sed neque *vnquam fisco in caussis compendij fauit.* Fuerũt illa tẽmpora. quis sub Christianis Principibus eadem largiatur? quàm vereor ne inter nuda solaq; vota reponam! Idem tamen *contra procuratores suos conquerentes libenter audiuit.* O quis maiora voueat in Christianissimo Principe? quis adeò in Religioso? Quanquam nihil mirum, si mores illius propiùs consideres. quem tradit Capitolinus *tantæ tranquillitatis fuisse, vt vultum nunquam mutauerit mœrore vel gaudio.* Mirata hæc olim Græcia fuit in Socrate, & pro naturæ miraculo habuit. quid diceret, si paria, aut maiora reperiret in Imperatore, & quidem Romano?

Magnâ curâ inuigilandum detractori.

mano? Quid? quòd ab ipso Domitiano dignam omnino habeamus Imperio Rom. vocem, Suetonio teste: *Fiscales calumnias magnâ calumniantiū pœnâ repressit, ferebaturq; vox eius: Princeps qui delatores non castigat irritat.* Imitentur Imperatorē Reges aut Principes, Gentilem Christiani. quantâ pace fruerētur! Quòd si eo robore non sint, vt possint, eo animo, vt velint; in omni saltem delatione meminerint dextram semper aurem reo dare, delatori sinistrā. potiorem nimirum, digniorem q; illi partem. Non potest hîc peccari moderatione, potest credulitate. Cogitet plurima intercurrere, quæ accusatorem impellant, error, suspicio, zelus, æmulatio, odium, mœror, timor, præmium, facilitas in credendo. suspēdat proinde sententiam in omni delatione, tacitusq; secum singula delatoris dispiciat, delictū, personam deferentis ac delati, vtriusq; vitam & mores, narrationis modum, circumstantias locorū, temporum, personarum. Audiat deinde reum placidissimo vultu, & ore. obseruet in eo singula, non minùs, quàm in accusatore: memineritque Magni Alexandri in Philippo medico: nec quidquam statuat, nisi re compertissimâ: plusque semper reo & clementiæ tribuat, quàm accusatori & seueritati. Nam si satis esset accusasse, Princeps reus staret, & optimus quisque, in quem ferè improbitas insurgit. tantum odia possunt, aut speratus honos & opes. Illud verò omnium sententijs damnatissimū in Tiberio refert Tacitus: *Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum per præmia eliciebantur.* O apud nullum Principem Christianum per præmia eliciantur! & magna spondeo. Eadem voueo de adulatoribus: de quibus illud Cypriani: *Vitiorum assentatores blandi & indulgentes patroni, qui præstant vitiis auctoritatem.* & illud psalmi, *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Monetque Sapiens, vt caueamus ab ijs, *qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas.* Eleganter verò de adulatione Basilius: *Blandissima operum deprædatrix, iucunda animarum hostis, tinea virtutum, locusta fructuum.* Fuge Princeps.

Dextra auris reo, delatori sinistra danda.

CA-

CAPVT XVIII.

Fida Principis custodia innocentia, quâ tectus curabit, vt quàm optimis imperet.

FIDISSIMA Principis custodia innocentia est. hæc arx inaccessa, & inexpugnabile munimentum est, munimento non egere: vt reuerentiam etiam quamdam hosti innocentia incutiat; suis verò ingentem venerationem & laudem. nec damnare quisquam audet, in quo damnandi caussa nulla est; quare nec odisse. Sed neque ferrum in innocentem acuitur. vt metuere Princeps non debeat, qui metus in se caussam nullam habet. Scelus timoris parens est, securitatis innocentia, quæ latus suum credere omnibus potest: scelera non possunt. Quo rarius, hoc maius illud Cassij in Nerua: *Tanta erat illi integritatis fiducia, vt sæpè iactauerit, se nihil tale fecisse, quo minùs deposito imperio, securus priuatam vitam ageret.* Admirabile etiam fuit, & fiduciâ plenum morientis Titi Imp. *Non extare vllum suum factum pœnitendum, excepto dumtaxat vno.* Titos nobis Christiana regna concedant, qui morientes eadem fiduciæ & innocentiæ exempla, in posteritatem transmittant imitanda! O nimis rarum in Principe! Quamquam non defuerit sæculo nostro magnus Belgarum Princeps ALBERTVS, qui moriens dicere posset, Nullum extare suum factum pœnitendum, dictum nullum. Felix tanto Principe Belgium; felicius, si stetisset æternùm.

Enitendum deinde, vt, cùm innocentiâ & virtute cingatur, quàm optimis imperet. nam pessimus quisque asperrimè rectorem patitur; optimus lenissimè. Probissimos proinde quosque lateri suo adiungat. scelera non vltra scelera durant. probitas perennat. nec quisquam probus facilè superiorem destituit: improbus tamdiu paret, quamdiu bonis fruitur: fortunæ enim seruit, non Regi; probus Regi, non *Probos in familiam sibi asciscat Princeps.*

Qqq for-

fortunæ. quare in quacunque fortuna ſtabit illi fides ſua; non ſtabit improbo, aut cum fortuna mutat animum. Nec mirum; fortunæ ſeruiuit. ſequitur dominam ſeruus. quæ ſi in hoſtem ſe flexerit, hoſtem patietur, quem fortunæ ſuæ ſeruum habuerat. vt verum ſit illud vetus: *Quis horum in aduerſis beneficiorum ſeruat memoriam? aut quis vllam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem?* In ſolis probis non mutat: mutat in improbis ſemper.

Publicis muneribus optimi præficiendi. Publicis etiam muneribus optimos præficiat: ab his enim nomen Principi accedet magnum, & ſecuriùs imperabit, noctes etiã ſecuras patietur, quia fidis, quia probis regni ſui gubernacula commiſit. Sequitur probitatem fides, neque enim infida vnquam probitas fuit, nec dominum fruſtrata ſuum eſt. mori illa poteſt, non poterit fallere. ſed & animus ferè probitati maior, cùm conſcia integritatis ſuæ, terrores, minas, mortem ridet. Quid enim metuat, qui metus cauſſam nullam habet? metuat improbus, qui ſcelera timoris cauſſam pectore circumfert, qui improbitatem animo tanquam vtero geſtat. Magnus etiam hîc ALBERTVS noſter, qui ſciens volenſque nullas dignitates aut munia erogabat in improbos. feciſſet, ſi improbitatem amaſſet. oderat, & quædam illi pugna cum illa. Quid? quòd vel ſoli improbi mores adeò illum terrerent, vt ad ſolum nomen expalleſceret: omniſque ſpe ſuâ excideret, quiſquis vel leui improbitatis afflatu tinctus eſſet.

Improbi ab aula arcendi. Ab aula etiam & contubernio ſuo omnem improbum Princeps arcebit, ne ob delicta aliorum audiat male, & conſuetudine talium aſſueſcat improbitati, & in errorem paullatim inſcius trahatur. Magna improbitatis magiſtra improbitas eſt: & ſcelera nouitate quadam ſui noua in ſpectatoribus ſcelera prouocant, & incautos non rarò Principes antè occupant, quàm ſentiant; cùm ferè diademata non patiantur admonitorem, &, quod deterius, inueniant ſemper, etiam in ſcelere, laudatores. Plenæ his Principum aulæ, in quibus

bus pars non infima per ſcelera viam ſibi ad magna ſternit, cùm per virtutem non poſſit, quæ plurimùm aulis exulat. Atque hinc pars non vltima regiorum adminiſtrorum, ſago togaue clarorum, per proborum calumniam; pars per laudata Principum crimina ad dignitates conſcendit, improbitatis facti auctores, quia laudatores; pars etiam improbitatem ſuam probitatis pallio tegit; pars ſub ementito publici boni zelo, publici boni interitum velat. & cùm publicam fortunam bonam valdè inclamant, priuatam ſtruunt. detrahunt omnibus, digniſſimi in quos ſecuribus inſurgant omnes. & cùm ſceleribus tanquam rupibus integantur, raram præ ſe modeſtiam ferunt: impietatem emendicatâ quadam vultus pietate veſtiunt, libidinem frontis maturitate, & verecundâ oculorum deiectione contegunt. Ne fide Princeps his palàm probis, domi ſuæ improbis: fuge fucatam grauitatem Stoico ſupercilio expreſſam. intus Epicuri latent de grege porci. Loquantur licèt mella, felle corda natant. & dum prima illis vltimaque Principis ac Reipub. bonum ſunt, ſe cogitant, bonaque ſua, nec alia. Sed & dum alios accuſant, mœrentes credas, ac quaſi rubore perfuſos, nec priuato vllo odio, ſed Principis ſolius bono inuidiâ pleniſſimam cauſſam ſuſcepiſſe. nihil ſe in omni hac delatione ſpectare; nihil ab hac ſperare, quàm communis boni augmentum. ſolâ ſe conſcientiâ, & religione (cùm nihil præter nudum conſcientiæ & religionis nomen habeant) tactos, & pereuntis iuſtitiæ miſeratione, ad hæc deſcendiſſe. Blandè interim loquuntur, vt fortiter enecent. Sicut medici, qui parum docti, & ſatis ſeduli, languidos multos officioſiſſimè occidunt: ſic illi molli linguâ, & verborum quodam ſaccaro, dum publicè prodeſſe videntur velle, priuatim officioſiſſimè perimũt. Ferendum, niſi priuatæ hæ calumniæ irent in damnum publicum, dum bonos & Reipub. cumprimis vtiles fraudibus circumueniunt. Quòd ſi quem viderint vitæ integritate & potentiâ apud Principem magnum, ac iuſtitiæ quodam zelo validum,

Per ſcelera plerique viam ſibi ad magna ſternunt.

Simulata pietas aulis noxia.

in huius se familiaritatem quaquâ viâ insinuant, vt simplicem illam animam, & tantùm columbam, recti specie, falsis delationibus in proborum præcipitia impellant. Et, cùm ferè probatissimus quisque scelerum odio, ad nudum sceleris nomen, scelere licet suo viduum, perhorrescat, perfacilè impellitur, vt, quod metuit, credat. cumque pietatem & iustitiæ amorem ore & fronte præferant, nullo negotio ignarum fallunt. Disce horum mores Princeps, & hæc omnis benè institutæ Reipub. spuria vitulamina, à publicis muneribus sepone. Nulla enim his quies, quamdiu aliquem gratiâ, honoribus, opibus superiorem senserint. improbos enim ingenijs non dominari omnibus, instar seruitutis est: hanc verò pati, omni morte grauius est. quam ne subeant, nulli parcent, non consanguineo, ac ne eiusdem quidem secum vteri sanguini, non Regi; ac nec ipsi, si possint, Deo. Deuita hæc Reipub. venena Princeps, vel solo tactu nocitura. minùs aulâ recipe. quisquis enim admisit, criminandi facultatem præbuit. Pertimesce Tiberiana tempora, quibus quo quisque districtior accusator, velut sacrosanctus erat. atque hinc primorum ferè omnium cædes, & plus suorum sanguine, quàm factorum claritudine nobilitata Roma. Pelle denique vniuersum hoc hominum genus publico exitio repertum, nunquam satis pœnis coërcendum. pelle, & imperare disce bonis. facies, si, cùm ipse bonus fueris, nullos nisi tibi similes admiseris, & quos morum probitas claros fecit. non potest diu latere virtus, sanè non solet. erumpet ignium more, & flammas radiosque suos sparget. obsistant licèt intercursantes nubes, aut integentes cineres, vincet, & totam lucem suam inspectandam aliquando dabit. Magna in Principe deposco. sed quis humilia in magnis? scio arduum esse, & inter vota potiùs numerandum, quàm inter sperata. quis enim in tanta omnium licentia, tanta peccandi materia, probitatem & innocentiam teneat; cùm ferè Principes magnitudinem fortunæ suæ peccandi licentiâ metiantur, & quidquid lubet,

Bet, pro licito vindicent? quo fit vt paucissimos reperias veræ virtutis sectatores, amatores: vt non mirer illud Vopisci in Aureliano: *Quid hoc dicam, tam paucos bonos extitisse Principes, cùm iam tot Cæsares fuerint? nam ab Augusto ad Diocletianum, quæ series purpuratorum sit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipse Augustus, Vespasianus, Titus, Nerua, Traianus, Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammeæ, Claudius, & Aurelianus: vides quàm pauci sint Principes boni, vt benedictum sit à quodam mimico scurra Claudij huius temporibus; In vno annulo bonos Principes posse perscribi atque depingi.* Addit: *Quæritur quæ res malos Principes faciat.* Respondet: *Nimia licentia, rerum copia, amici improbi, satellites detestandi, aulici, vel stulti, vel detestabiles: &, quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia. Audiui Diocletianum priuatum dixisse: Nihil esse difficilius quàm benè imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. dicunt quid probandum sit. Imperator domi clausus est, vera non nouit. cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur. facit iudices, quos fieri non oportet, amouet à Repub. quos debeat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Vtinam tantùm vendatur, & in fraudem ignarus inducatur! sed ex probo & innocente, nocens & improbus, improborum amicorum consuetudine & consilijs, ferè euadit. Vt ergo probitatem & innocentiam quam regno intulerat, tueatur; aut, quam non intulerat, paret, probissimos quosque sibi iungat, quorum moribus & consilijs, allatam probitatem intactam seruet, aut desideratam paret. Quod si fecerit, audeo spondere secuturos subditos, & aut anteactæ vitæ probitatem & innocentiam tutaturos, aut mutatis in melius cum Principe moribus, optima quæque secuturos. tam validum incitamentum in imitationem Principis probitas est. nec alijs hîc monitoribus opus. vna Principis vita omni voce ac libris validior in suadelam, potentior in sequelam est. Quid? quòd sola verecundia coget ad meliora. dissimilem

Rari Principes boni.

Raritatis huius causa.

enim Principi videri, damnasse illius mores; similem, amasse iudicant. iam cùm omnes amasse videri malint quàm odisse, imitari mores conantur. non quòd semper hos ament, sed quòd amasse videri velint, vt Principi placeant. Et verum nimis illud Paterculi: *Facere rectè ciues suos Princeps optimus faciendo docet, cúmque sit imperio maximus, exemplo maior est.* & quod ille de Catone suo, hoc ego veriùs longè de ALBERTO nostro: *Qui nunquam rectè fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam suam in potestate habuit.*

CAPVT XIX.

Religio, & pietas regnorum propugnacula.

DE religione & pietate præit Regibus Rex & Propheta: Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Psal. 75. *terribilis* enim est Deus, *qui aufert spiritum Principum.* Sequitur Sap. 6. sapientissimus Regum: *Audite Reges, & intelligite. Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo; qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodiuistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium in his, qui præsunt, fiet.* Audiamus Hispaniæ Regem Alfonsum X. *Quisquis bonum opus aliquod aggressurus est, exordium sumat à cælesti Numine, supplexque petat, vt eius voluntatem intelligere possit, viresque sibi subministret, quibus cæptum feliciter absoluat.* Addamus à Gentilitate Cambysem Regem monentem filium: *Dei esto amicus, in eundem pius, nihilque aggrediaris, nisi Dei numine implorato.* Et Dionem: *In omnibus, quæ vel cogitamus, vel loquimur, à Deo sumamus initium.*

potuit

potuit magis Christianè? Adnecte his magnum Trismegistum: *Vnusquisque pietate, religione, prudentiâ, cultu, & veneratione Dei clarescit.* magis etiam Reges, quia in exemplum & imitationem positi. Addo his Epictetum: *Cùm ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vnquam in mentem veniat dicere, quòd soli estis, sed Deus est, & genius vester intus. quid autem iis opus lumine, vt videant quid agatis?* Frustra vos propugnaculis, & denso parietum molimine, & centum seris & tabulatis integitis Reges. Deus intus est, intus etiam genius, dictorum factorumque obseruator, testis, accusator. Confirmat Epicteti sententiam Seneca: *Propè est à te Deus, tecum est, intus est, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos. hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.* Quid poterat in terrorem & amorem ab Apostolorum aliquo clariùs & fortiùs? Audite Reges. Spiritum habetis obseruatorem & custodem bonorum malorumq; in pręmium & pœnam, vtrumque in æternitatem.

Non nego interim, plurimùm in imperio prudentiam posse. at, si absit pietas & Deus, nec sperari magna, nec duratura possunt. Hinc illud Augustini: *Constare debet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem.* Caret ergo virtute, quisquis vera pietate caret. à virtutibus verò destituto quid speres?

Quantum verò pietas in Regibus valuerit, quidue amatoribus cultoribusque suis largita sit, omnium ætatum docemur historijs. cum Maximiano Herculeo, Maxentio, Licinio, Constantinus pugnauit. crux pro labaro & armis fuit; eademque duce vicit, & triumphos egit. Refert Nazarius cælestes spiritus in auxiliũ Constantino venisse: *Flagrabant verendum nescio quid vmbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat. tales enim venerant, vt tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Constantino imus auxilio. Habent profectò & diuina iactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapsi, illi diuinitus missi, gloriabantur quòd tibi militabant.*

Quid possit in Regibus pietas exemplis cõprobatur.

litabant. Theodosio contra Maximum & Eugenium tyrannos, Senuphius, Ioannes & Philippus auxilio fuerunt: victorem fecerunt. In castris Honorij, nullo vulnere accepto, nullo milite desiderato, Gothorum millia ducenta ceciderunt. Ambrosio victoria debita, qui prædixerat. Eodem monitore Masezel Honorij dux, quinque suorum millibus, hostium octuaginta millia in Africa fudit. Magni Theodosij nepos Theodosius, Persas & Saracenos vicit. terrorem incusserat Deus, vt voluntario procursu in Euphratem decurrerent, & supra centum millia fluctibus inuoluerentur. Heraclius in tribus Cosrois ducibus, ter victor, non armis, sed ieiunijs, precibus, cilicio stetit. Taceo sub Michaële Constantinopolitano Catacalû pulsis Siciliâ Saracenis nobilem; Ladislaum, & Boleslaum Poloniæ Reges, Russis; Henricum Aucupem, Hungaris; Ioannem Comnenum, Scythis superatis. Asparis exercitus, Angelo ductore, per ingentis stagni æquor, incolumis arma circumfert. non fuit magnum exercitui exsiccauerat stagnum, qui ducebat Angelus. Quo etiam duce Ioannes Tyrannus Rauennâ exuitur, funditur. Vincebatur Clodoueus, vincebat Germanus: prosilijt Rex ad vota, Christianum se futurû, si vinceret; expleuit victor votum, Christianus factus est. E cælo etiam Childeberto in Amalaricum Visigothorum Regem victoria venit. De Hunnis Aëtius, de Wandalis & Persis Belisarius, de Gothorum Regibus Narses, è cælo triumpharunt; ille Epiphanij, hic Dei Matris monitu. Nota nimis Historia Simonis Montfortij in Albigenses, Matthię Coruini, & Ioannis Huniadis in Turcas, Godefridi Bullonij, & Balduini in Palęstinam. Bella hæc & victoriæ à solo cælo venerunt. Non taceo Hispaniæ Reges. Pelagius quantulâ manu, quot Maurorum exercitus fudit! Raimirus, Ferdinãdus, Gundisaluus, Alfonsus VI. Alfonsus VIII. Alfonsus XI. paruâ ferè omnes manu, ingentem Maurorum multitudinem fuderunt: cùm nunc ducenta millia, nunc centum, nunc plura caderent. Pugnabant Reges. vincebat in

in Regibus suis Deus. Taceo Alfonsum Henriquez Lusitaniæ, Iacobum Aragoniæ, Georgium Castriotum, Carolumque Magnum, pietate omnes quàm victorijs maiores, clariores. Non taceo FERDINANDVM II. orbis propè copijs vndique circumsessum, Turcicis, Tartaricis, Transiluanicis, Hungaricis, Bohemicis, Germanicis, Batauicis, perexiguâ omnino manu, victorē non semel stetisse. Quid non potest Pietas? vna hæc hostes profligauit, triumphos egit, imperium dedit. Orabat Imperator. vincebat in BAVARO & BVCQVOYO Deus. Iosue hos cogita, FERDINANDVM Moysem, hostes Amalecitas. O multos FERDINANDOS Deus! & nulli iam hostes, & hæresis nulla, & pax æterna. Fide Imperator, nullum frustratus Deus est. vnâ Pietate vicisti. vnâ perges vincere, vt æternùm audias: FERDINANDVS Victor, Pius.

Nec defuerunt inter Imperatores non Christianos, qui pietatem præ se ferrent Christianam. De Alexandro Seuero & Hadriano Lampridius: *Christo templum facere voluit, cumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri, quæ hodie, idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani. quæ ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optatò euenisset, & templa reliqua deserenda.* Nimirum consultus dæmon responderat, exitium gentilitati imminere, si Christiana sacra permitterentur. Ita semper de mendacio veritas triumphum egit. Idem sæculo nostro contigit: cùm duodennales inducias Hispaniarum Rex cum Batauis meditaretur, factaque mentio foret libertatis in religione concedendæ; respondisse togatorum in Batauia primus dicitur, eam vim esse Catholicæ Romanæ fidei, vt omnes in sequelam traheret. non arbitreris hanc negatæ libertatis rationem, ab eodem spiritu, à quo Gentilium sacrorum antistites, mutuatam? ô semper timidum mendacium, quantâ diffidentiâ tui laboras! ne vincamur à vero, veritatem excludimus. Et quis non miretur, tam altè insedisse *Religionis Catholicæ vis & splendor.*

disse odia, vt maiorum religioni renuntiemus, damnemusq; omnem retrò ætatem, fideiq; nostræ auctores, sanctimonia rerumq; gestarum gloriâ & miraculis clarissimos, ne eadem cum optimi Regis religione Deo iungamur. verebatur nimirum ille, ne, si in religionem, in debitam etiam Regi fidem paullatim pulso mendacio Batavi concederent. exulare ergo voluit fidem, à qua pericula verebatur. Firmare putauit Rempubl. regijs manibus extortam, & in illa domum suam. non cecidit hoc fulmine, iacuit obrutus cespite: & dum palàm hostem veretur absentem, nudum iugulum domestico ferro præbuit, generosiùs magni veri aquilis, quàm carnificis manu casurus. Quàm ludis in humanis fortuna, & in ipsa altitudine præcipitia paras, & inuenis! non semper? ô time quisquis mendacio inniteris. veniet dies. fallar. Redeo ad imperatoriam magni Alexandri Seueri pietatem. *Cùm Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contrà popinarij dicerent, sibi illum deberi; rescripsit, melius esse vt quomodocunque Deus illic colatur, quàm popinariis dedatur.* Viueret Alexander, non rogatus responderet, Batauicas Ecclesias illi fidei, cui inædificatæ à maioribus sunt, restituendas? illisque qui cum Apostolicis Ecclesijs matricibus, & originalibus fidei conspirant? non illis qui doctrinas hominum & dæmoniorum prurientibus auribus natas, de ingenio sapientiæ sæculi proseminauerunt; temerarij interpretes diuinæ dispositionis, quique doctrinarum suarum venena de suo disseminarunt: neque enim ostendere possunt, à quo illa acceperint; non Apostolicum aliquem virum, à quo illis tradita, vt meritò vel de sola ætate damnari debeant, tanto magis adulteri, quanto longiùs ab Apostolis, aut Apostolicis viris disiuncti. Et fingamus coram Imperatore, aut alio iudice, Romanæ fidei cultores, Batauicarum Ecclesiarum possessores conuenire: Qui estis? & vnde venistis? quis vos in Ecclesiarum nostrarum possessionem immisit? quid agitis in nostro non nostri? vetus est possessio nostra. habemus origines

gines firmas ab ipsis auctoribus, qui illas ædificarunt. nos heredes fidei illorum sumus: vt illi libris & verbis tradiderunt, ita tenemus. vos ex diuersitate fidei & doctrinæ extranei meritò iudicandi estis, cùm quisque de suo arbitrio, aduersus Apostolici seminis viros, quę voluit, protulit, bis adulter, verbo & calamo. nos nihil de proprio intulimus: à maioribus accepta, nulla adiectione, aut transmutatione tenuimus. quid ergo inuolatis in possessiones alienas? Vestras cōscientias appello. qui quas incolitis Ecclesias, extruxerunt? de vestris, an de nostris erant? de vestris; nemo tam inuerecundè impudens qui dixerit. de nostris ergo erant. nam de vestris sunt stantium Ecclesiarum ruinę, potiùs quàm iacentium ruinarum exstructiones. Quòd si de ipsa vestra nostraque doctrina agamus, non dicat quicumque ille iudex fuerit, illam doctrinam veritati deputandam, quæ tenet quod primi Ecclesiarū in Batauia institutores, hi ab Apostolis, Apostoli à Christo? reliquam verò omnem de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem, contraque primos institutores, ac propagatores suos Apostolici seminis frutices: Finio. & reduco calamum in viam, à qua illum Batauicæ Ecclesiæ, maiorum nostrorum pietatis monumenta, abduxerant.

Quòd si impiorum Regum infelices exitus spectemus, perfacilè videbimus quid amplectendum Principi sit. Iulianus, Valens, Zeno, Basiliscus, Anastasius, Heracleon, Copronymus, Philippicus, Michaël, Maximus, Phocas, Leontius, Murzyphilus, Andronicus, Comnenus, quo maiora nomina, hoc maiora impietatis exempla sunt, funesto Regibus exitu in terrorem. Vt enim læta piorum in amorem & imitationem, sic tristia impiorum in horrorem & fugam sunt. *Impiorum Regum exitus infelices.*

Quòd si ergo Rex saluum imperium volet, persuadeat certò sibi, diuinis imperia auxilijs firmari, potentiusque diuinâ beneuolentiâ quàm armis regna roborari & statui. Factum hoc ab omni æuo: docemurque vernaculis omnium *Imperia diuinis auxiliis firmantur.*

gentium historijs, domesticis etiam, vt non sit opus externa deposcere.

Nihil tantum ad pietatem valet, ac Principis exemplum.

Ad pietatem verò religionemque toto regno amplificandam ac stabiliendam, nihil æquè ac Principis mores iuuabunt. nihil enim ad persuadendum potentius rectoris exemplo. plus enim valet muta in Rege exemplorum locutio, quàm doctæ plurimorũ orationes: nihil enim in quamcunque partem validius est Regum exemplis, quorum mores vim propè legum in populo obtinent. Quo maiore circumspectione ac cautione opus est, ne, dum libidini commodisque suis student, se suosque perditum eant. Quod ne fiat, pietatem primi colant, ament, foueant. erit hæc illis in aduersis robur & solamen, in secundis temperamentum, ne aut deijciantur in illis animo, aut rerum in his prosperitate extollantur. Factum ab ALBERTO Magno Belgarum Principe. quâ vnâ indomitus stetit; nec flexit ceruicem aduersis, nec extulit secundis.

Et sanè magna in vno aliquando regno pietas Regum, vt è tam paucis orbe toto Regibus inter Diuos relati non pauci. Magnum hoc in purpura: quâ etiam Religionis amore non pauci se exuerunt, Monachum induerunt. factum à Lothario Imperatore, à Sigismundo Burgundiæ, à Bamba Hispaniæ, à Veremundo Castellæ, à Ramiro Aragoniæ; Sigeberto, Alfrido, Egberto Northumbriæ; Ethelredo Merciæ, Henrico IV. Daniæ, Carolomanno Alemanniç, Trebellio Hungariç, Casimiro Poloniç Regibus: Anastasio II. Theodosio III. Michaële IV. Isaacio Comneno, Manuele Palæologo Orientis Imperatoribus. Non quòd Reges velim Monachos. imitari tamen optem pietatẽ, si displiceat vestis. Imitatus est ALBERTVS, vt iure optimo dici possit ALBERTVS PIVS. & nescio an Monachorum primi, aut arctiùs iungantur Deo, aut per orationem sæpiùs per diem & diutiùs: nescio maiore vitç integritate, morumque innocentiâ viuant. Quid? quòd fortiter domestici qui cum illo adoleuerunt, asserant,

ferant, nullum se in illius vita grauius delictum vidisse, nullum acerbius dictum, nullam vocem elatiorem, nullũ commoti animi signum. in perpetua malacia vixisse arbitreris, quem perpetua tempestas cingebat. hoc est magnum esse; placidâ semper & inconcussâ mente inter minitantes cælo fluctus viuere, omnibus iactationibus maiorem. hoc est altè Deo suo iungi, & in Principe Religiosum esse, & maiorem Religioso Religiosum. ô quis imitetur!

CAPVT XX.

Maiorum suorum vitam moresq; sibi proponat.

VEl in fugam, si improbi; vel in imitationẽ, si probi. Hinc illud Galbæ ad Pisonem: *Vtilissimus bonarum malarúmque rerum delectus, cogitare quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris.* Quòd si clementi, liberali, benigno successerit, aut nimiâ etiam indulgentiâ ac prodigalitate peccanti, non statim ad extrema mores vertat, ad seueritatem nimirum ac disciplinam rigidiorẽ. Perijt his moribus Galba, magnus cetero-qui Princeps, & è primis, vnus si non primus. perijt Pertinax, Imperio si quis alius dignissimus, dum lapsos emendare conatur mores, ac quasi vnâ falce prauitatem secare. Prudentior Vespasianus indulgentissimo Imperatori succedens, perditos vbique mores, collapsamq; militarem disciplinam, lenitate restituit, cùm peritorum medicorum more, à clementioribus curationem auspicatur. indulget quædam, exindè reprimit. laxat deinde manum, retrahit iterum, paullatimq; ad profutura ducit, ferrum in extremo seruans, breuiq; Imperium restituit sibi. Fregisset, si à durioribus incepisset: incepit à benignioribus, & ferre imperata docuit, dum inter indulgentiam, & acriora remedia medius inambulat. Prudenter. imitare Princeps: & quod clementiâ potes, noli ferro mederi; quod benignitate & amore, noli sæuitiâ &

pœnâ. ipse ante omnia exemplo Princeps præeat; & quod factum volet, faciat. sequentur præeuntem subditi, & vel solâ verecundiâ virtutem imitabuntur. Hinc illud in Vespasiano Taciti: *Obsequium inde in Principem, & æmulandi amor validior, quàm pœna ex legibus & metus.* Et illud: *Legati Tribunique ex moribus Imperatorum seueritatem æmulantur, vel tempestiuis conuiuijs gaudent.* Sequuntur hos milites, populus etiam, & infima adeò plebs gaudet mores referre Ducis. regula nimirùm populo Principis mores sunt. Idem de nobilitate, & de togatis dictum arbitrare. nec alia pronior ad vitia & virtutem via, quàm Principis vita. plus enim muta hæc locutio, omnium doctorum calamis & ore potest. quo maius Principi meritum in probitatem præeunti, maius tormentum in improbitatem ducenti. ingens illi à virtute gloria, nec minor à crimine pœna, cùm omnium, virtutem ipsius æmulantium, coronâ donetur; omnium etiam, scelera imitantium, sententiâ percutiatur. Infelix improbi; beata probi Principis conditio. nec opus ferro & ignibus Principi. potentior probitas in suadelam & imitationem ferro & ignibus est. nam & solus pudor subditos à scelere reuocabit, & in virtutem propellet. potentior nimirùm amor pœnâ, moresque minis sunt.

Principis vita ad virtutem & vitia via est.

PHILIPPI II Regis Hispaniarũ constantia.

Proposuit sibi prudenter feliciterq; imitandum ALBERTVS PHILIPPVM II. omnium sæculi sui Principum maximũ, & qui conferri meritò cum primis omnium retrò sæculorum Regibus possit & debeat, vt iure monumento illius posteritas Magni nomen inscribat. In quo nihil non pacatum, nihil vnquã turbidum, nihil indignabundum. Occurrebant aduersa? amplectebatur vt amica, & à quibus prudentiam disceret, robur indueret. Secunda? vt infida & peritura, & damna minitantiá. Denuntiabantur clades? crederes exspectatas. Victoriæ? nullæ illum extulerunt. Regum inimicitiæ? diademati dicebat deberi. Amicitiæ? vt nõ duraturas admittebat. Magnorum minæ? excutiebat vt paleas. Arma? repercutie-

cutiebat vt fortuitas pilas. Coniurationes? magnis has imperijs adiacere sciebat. Nobilitatis motus? putabat sine istis illam esse non posse. Populi furores? mari componebat: frustra ab hoc pacata sperari; & post malaciam metuendas tempestates; sed & iterum sperandam tranquillitatem. succedanea hæc mutuò sibi esse, & ferè plus tranquillari post sæuos, quàm post moderatos fluctus maria. Filiorum & coniugum mortes? sciebat se genuisse, & duxisse morituros. Ex amicis inimicos experiebatur? dicebat hanc esse conditionem rerum humanarum: falli qui aliud exspectaret: & naturæ adeò leges velle euertere, qui aliud speraret. Militares exurgebant seditiones? magnis semper imperijs quasi quadam fatalitate has adhæsisse narrabat, & ferè collactaneas magnorum imperiorum esse. nec vllum propè Romanorum Imperatorum sine his fuisse: & fatuum esse aliud spetare à tanta militum colluuie, è diuersarum gentium despumatione collecta. Accisa aliqua prouincia, aut defrustatum aliquid ab aliquo regnorum suorum denuntiabatur? solere hoc euenire magnis aiebat regnis, quod rupibus, è quibus nullo suo sensu, vsibus suis varij varia detruncant, perexiguo rupium damno, bono suo magno. ni quod verendum, ne, si audaciùs insurgerent, ipsis sectę rupis fragmentis obruerentur. Inopinata insurgebant? nihil illi inopinatum vnquam, nil improuidum. Inciderat in parum vrbanum? non fuisse melius aut natum, aut educatum dicebat. Magnæ caussæ magnarum offensionum præbebantur? magni esse animi putabat non commoueri. quare stabat interritus, vt in aliena caussa. Ingratum se illi quisquam post beneficia præbebat? dicere solitus, ignorare humanarum rerum cōditionem qui aliud sibi promitteret, ac inter beneficia ponendum, si post beneficia gratos experiretur: si ingratos, inter humana numerandum. Conuicia & criminationes liberarum esse dicebat Rerumpubl. & signum humanæ libertatis. quibus non magis mouebatur, quàm si quis asinus virum bonum & magnum calce percussisset:

ſiſſet:& ferè conuicia, paruarum & ignauarum mentium, & humi ſerpentium eſſe. quæ cùm virtute ſuâ deſtituantur, per magnorum criminationes, aſcenſum ſibi ad magna conantur ſtruere. Addebat magnorum eſſe, ridere illa, & indigna arbitrari ad quæ magnitudinem ſuam flecterent. imò, compatiendum potiùs illis, tanquam morbo & phreneſi laborantibus, cùm animorum quemdam furorem appellare conuicia cõſueſceret. denique magni boni ſignum eſſe conuicia pati, quæ nunquam impeterent vilia & plebeia, ſed alta & ſupra vulgus ſurgentia; propriumq; magnorum Regum eſſe; & partem aliquam magnitudinis, liberiores linguas pati. nec vllâ re aliâ faciliùs illa, quàm contemptu vinci. Victorem proinde ſtatuebat illorum contemptorem; victum, qui ſe ob illa torqueret. Paucos ad domeſticam familiaritatem è prima potentia aut nobilitate euexit, ne familiaritas iuncta potentiæ aut nobilitati, metuenda ſuggereret. Perpaucos è prima potenti nobilitate ad primas bellicas functiones extulit, ne potentem nobilitatem cùm armaſſet, timere diſceret. Paucis, ſuâ & amicorum potentiâ magnis, extera imperia in multos annos protulit, ne imperandi ſuauitate allecti, difficiliùs imperium ponerent, quàm ſumpſiſſent. Nulli familiarium ſuorum imperium in ſe dedit, ne regni ſocium videretur admiſiſſe. Nullius ſe conſilijs & prudentiæ totum ſubiecit, ne alienâ mutuatitiâ gubernare prudẽtiâ videretur, & inſolentiæ & audaciæ viam ſterneret, & contemptum in ſe ſuorum prouocaret. Nulli familiarium non plura ſæpè negauit, quàm conceſſit, ne imperare tandem aſſueſcerent. Nunquam perſonam regiam etiam in ludicris depoſuit: ne, dum pares ſibi feciſſe videretur in ludicris, pares etiam feciſſe crederetur in ſerijs. Nunquam tãta ſuis eſt elargitus, vt plura longè non poſſet: cùm ſemper poſſe dare regium, totum verò ærarium & dona exhaurire, fatuum eſſe putaret. In quo cùm omnia magna & laudata, tum laudatiſſima & maxima mors eſt, in omnem meritò poſteritatem, exem-

Eiuſdē cum potentibus agendi ratio:

In morte patientia.

exemplum, & imitationem itura. Magnum olim exemplum patientiæ & constantiæ Iobus dedit. quem frustra totis viribus diabolus ceciderat: cùm nec damnis, nec carorum vnâ ruinâ amissionibus, nec corporis conflictationibus succideret; & immundam vlcerum redundantiam, magnâ æquitate distringeret, solo sterquilinio suo diues; omniũ tentationum iaculis, loricâ clypeoq́ue patientiæ retusis. post quæ tamen & corporis à Deo integritatem recuperauit, & quæ amisit, reduplicata possedit. Confer hunc cum Regum omnium maximo. si regna, potentiam, opes, nobilitatem spectes, frustra Iobus erit; si miseras corporis cum varia inualetudine conflictationes; si vlcerum magnitudinem, multitudinem, acerbitatem, fœtorem; si lecto, tanquam duræ cruci, anno integro affixionem, vt in nullam propè commoueri partem posset; si acres continuosq́ue annorum sex podagræ dolores; si febrim hecticam, cum duplici per annos duos tertiana, intima, adeoq́ue & ossium medullas depascentem; si grauissimam duorum & viginti dierum dysenteriam, quę nec moram daret, nec detersionem admitteret; si perpetua stomachi fastidia, si nullo potu sitim medicandam, si capitis & oculorum insanos dolores, si ingentem puris ex vlceribus redundantiam, quæ binas indies scutellas, diuite pedore, impleret; si inter hæc malignissimi odoris grauitatem, quæ omnem illi somnum ademerat. Hæc inquam si cum Iobi malis conferas, nescio an vllâ sui parte inferiora reperias, atque adeò an non magnitudine suâ vincant. Iam si vtriusque in summis doloribus verba consideres, victum Iobum fatebere. audiamus hunc inclamantem: *Quare exceptus sum genibus? cur lactatus vberibus? quare misero data est lux? Antequam* Cap. 3. *comedo suspiro: & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas,* Cap. 6. *quam patior, in statera! quasi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore sunt plena. Elegit suspendium anima* Cap. 7. *mea, & mortem ossa mea. Tædet animam meam vitæ meæ. Vtinam* Cap. 10.

Cap. 13. *consumptus essem ne oculus me videret! Quis est qui iudicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?* Audiamus magnum Regem, Europâ, Oriente, Occidente toto latissimè imperantem, inter Diomedis & Busiridis maiora longè tormenta: *Deus meus, Deus meus, fac quæ patior, & grata tibi sint, & in delictorum meorum detersionē.* Hęc ille, nec aliud. O verè magnum! cùm interim inter dolorum extrema, & qualia à nulla carnificis manu maiora, vultus illi tranquillus, nullâ mœroris aut doloris rugositate frons contractior, non cruciatuum turbine glomeratior: nec color illi alius, quā regius, & qualis de sceptro lætantium: nec os aliud, quàm pietatem, modestiam; nec verba aliud, quàm Christianum, altè in Christo suo habitantem, loquerentur. Stupuit antiquitas olim,

—— Cùm corde gelato
Scæuola & apposito dextram damnauerat igni,
Plus felix peccante manu, cùm fortè satelles
Palleret constante reo, tormentáque rapti
Is fugeret qui tortor erat.

Quanto stuperet magis cùm videret mortem ipsam pallentem ad regiam constantiam, trepidantem ad patientiam: nec doloribus, nec tormentis septuagenario maiorem cadentem; sed omnibus maiorem, nullisque vincendum, nullis flectendum? O verè Regem, qui imperare non alijs tantùm & sibi, sed tormentis & morti posset! ô quæ vidit ætas parem? aut quis propè Martyrum animus componi cum hac regia mente possit? Vicisti Rex Magne; dicam Maxime, quidquid vbique magnum, quidquid maximum. nec vlla tam ingrata te tacebit ætas: nulla gens silebit. non siluit Gallica: vt omnino maximum esse scias, quod à Gallicano calamo laudandum venit in Ibero. magni veri vis magna. cadit quidquid de diuersitate gentis est, cùm lux illius magna æmulas dispulit nubes, & veram totamque lucem prospectandam dedit. etiam in alieno laudamus virtutem, cùm hostilem animū auersemur. tanta vis virtutis, tanta veri est.

Imi-

Imitatus PHILIPPVM hunc noſtrum ALBERTVS noſter, adeoque expreſſit, vt nullus Apelles aut Protogenes certiùs hominem expreſſerit, nullus parentem filius, nulla matrem filia. neque quidquam virtutum illius intactum reliquit: delibauit omnes, adeoque reddidit quod imbiberat, vt nihil admodum intereſſet inter has & illas. neſcias quas quibus præferas; &, ni ætas obſtaret, quis ab altero mutuatus. Fortunata tanto Rege Hiſpania, orbiſque in Hiſpania; tantoque Principe Belgium, orbiſque in Belgio. vt ignores cuius fortuna melior; niſi quòd Hiſpania in æterna pace, in æterno bello Belgium ſteterit. quo maioribus animis opus fuit, quò propinqua plus mentem quàm remota feriant. Sciebat hoc Rex Magnus, quare non alium quā ALBERTVM Belgio dedit. quo nomine Magno PHILIPPO omnia æternùm Belgæ debemus, à cuius magna mente magno donati Principe ſumus. ô foret æternùm! ſed quis aduerſabitur vocanti Numini? quis præmianti? Non inuideo optimi Parentis felicitati: orbitatem noſtram doleo. verùm ille viam ſtrauit Belgis ſuis, & repoſuit cælo præmia, Magnæ ISABELLÆ precibus donanda.

CAPVT XXI.

Memor ſit in imperio, humanæ conditionis.

PRVDENTIAM hæc vna res magnam dabit, cùm cogitabit euenire poſſe ſibi, quę Regibus euenere. temperabit dexteram, mitigabit ferrum, cùm cogitabit Regulum, Marium, Pompeium, Cæſarem, in barbaro Africano dolio, Minturnenſium paludibus, pupilli manu, Senatorum ferro. cùm Neronem, Caligulam, Domitianum, Ottonem, Vitellium, Galbam, Piſonem, ſui aut alieni ferri victimas. cùm ignes Crœſi, crucem Polycratis; laqueum Agidis, Valentiniani, Gordiani Senioris, Maximini, Alexij Iunioris; lapides Niciæ;

Phocionis, Tiberij, Claudij, Germanici, Drusi, Hannibalis, Conradi venena; Miltiadis, Ptolemæi, Iugurthæ, Maximi, Æmiliani, Auiti vincula; in Alcibiade & Nicephoro iacula; truncatas in Leontio, Iustiniano Iuniore, Thoma, nares, manus, pedes; Valentis ignes; Heracleonis exilium; Mauricij, & Phocæ secures; Lucij, & Baiazetis caueam ferream. Quæ cùm cogitabit, dubiosque & incertos regnorum exitus, & sanguine ferè purpurandos; non mitiora cogitabit? cùm quinquaginta minimùm Romanos Imperatores suo, alieno ferro, veneno sublatos; plerosque etiam Wandalorum, Visigothorum, Ostrogothorum, Longobardorum, morte non suâ extinctos; non paria expauescet in purpura & sceptro, & mansuetudinem pro sæuitia induet? pro morositate comitatem, benignitatem pro asperitate, pro auaritia liberalitatem, castimoniam pro libidine, pro luxu moderationem, temperantiam pro incontinentia, virtutem denique omnem pro vitio amplectetur? non facilis in ignoscendum, in pœnam lentus erit?

Modus in Principe illatas à se iniurias reparandi.

Quòd si quid animo commotiore statuerit, beneficijs malefacta resarciet, & pro iniuria munera reponet. in delatoribus admittendis tardus, tardior in credendo; potiorem semper benignioremque aurem reo tribuet, deteriorem accusatori: in clementiam semper pronior, quàm in iustitiam, Christi sui exemplo, Dei sui. & dum hominem se cogitabit, delicta in alijs, vt ab hominibus nata intuebitur; cumque ignosci lapsibus suis desiderat, non sæuiet in alijs supra delictum, & hominem. neque enim quidquam durius, quàm in alio punire, quod impunitum in te velles; aut damnare in alijs, quod in te nolles. pessimum verò genus, punire in alijs, quod in te præmiandum speres & laudandum.

A vana etiam ostentatione, quacunque viâ potitus regno, caueat. Cessit illa res malè Cæsari. inuidiam enim hac vnâ suorum prouocauit; inde odia, & ferrum, & Imperatoris sui sanguine curia funestata. Modestia vna est, quæ in amorem & ve-

venerationem etiam hostes impellit: maiorque semper ab amore, quàm à metu veneratio. Quid? quòd vanæ illæ ostentationes & fastus, amicissimis etiam displiceant, & amorem in odia vertant, venerationem in contemptum, coniugum etiam ac liberorum. Auersabitur verò ostentationem omnem, & calcabit etiam, si magnorum ferè infelices exitus cogitauerit, & animo tacitus suo circumtulerit.

CAPVT XXII.

Iuuentutis institutioni incumbat Princeps.

MAGNOS in illa Lacedęmonios accepimus & Romanos. de illis plena omnium Græcorum volumina, de his illud Liuij est: *Parua sunt hæc: sed parua ista non contemnendo, maiores nostri maximam hanc rem fecerunt.* Benè iuuentutis institutioni magnitudinem imperij tribuit. Et certè cùm ab hac reliquum vitæ pendeat, in omnem ætatem prouidet, quicunque huic consulit. Optimos proinde iuuentuti instituẽdæ magistros deligat Princeps, quorum & virtutem imitentur, & monitis erudiantur. Eruditio sine virtute obesse plus quàm prodesse solet, arrogantiæ mater. virtus sine eruditione magno ad magna adiumento destituitur. vtrumque si iunxeris, beabis. Facile hoc Principi, si virtute ipse præeat, probatissimos iuuentuti societ, optimos præficiat, labore ac sudoribus fatiget, nec oblectamenta permittat, nisi lassantibus permista; venationes, cursum, saltus, corporisque exercitationes varias permitti velim, arma etiam, & equos. Libidinem omnem, & quidquid ad illam ducit, remoueat. ab obsequio etiam suo, publicisq; muneribus excludat, quotquot illâ notatos senserit. Idem dico de ebrietati, intempestiuis conuiuijs, profusionibus, aleæ lusibus, ignauiæ, blasphemijs, similibusque vitijs deditis. Quòd si hæc fortiter Principi displicere iuuentus senserit, si periculum fortuna-

rum ac dignitatum imminere, palàm boni erunt, licèt fors domi improbi. quin & assuescent etiam domi boni esse, tum, vt Principis indignationem fugiant, tum vt placeant, & probitatis suæ præmia referant. Solus enim metus in ea ætate plurimum potest: nec minùs gloriæ amor, & proposita dona virtuti, quæ licet splendore suo, improuidam illam ætatem non impellat in amorem sui; annexum tamen virtuti, Principis imperio, decus, annexumq; vitijs dedecus, magno incitamento in illius imitationem, horum fugam erit.

Iuuentutis exercitationibus aliquando intersit Princeps.

Multum verò in hanc rem proderit, si ipse, variarum iuuentutis suæ exercitationum, spectator, laudator, præmiator Princeps fuerit. ingens ad summa audenda calcar, Principis præsentia est. Aut sanè è prima nobilitate laudatissimos quosque ac integerrimos præficiat, qui frænent efferuescentes, languentes excitent, succumbentes erigant, & vincere etiam post lapsum doceant. Senes verò iunioribus miscere vtilissimum. Incredibile, quantum iuuentuti frænum laudata senectus sit; vt sola cani capitis verecundia, musteum primæ ætatis ardorem, tanquam suffusâ aquâ temperet, & lasciuientem reprimat. Præmia verò semper à virtute sperent; delictorum ac scelerum impunitatem difficillimam experiantur: vt illam vltrò ambiant, hæc fugiant. Vtrisque ad meliora ducuntur. præmia, & pœnæ optimi instituendæ iuuentuti magistri sunt. calcaria hæc cursui erunt, excitamenta virtutis. ac licet feliciter nasci, magnum sit: maius tamen beneficium à bona institutione est.

Optimi quique iuuentuti præficiẽdi.

Iam cùm magistrorum ferè mores in adolescentum migrent ingenia, & è vicino mutuentur, quod in omnem ætatem transmittunt; inuigilandum Principi seriò, vt quàm probissimi iuuentuti præficiantur. Quod si fecerit, ad magna multi exsurgent, & ad omnia regni munia cum laude obeunda. Iacent sanè ingenia, si desint qui excolant. ita fæcundissimi sterilescunt aut siluescunt agri, & in ignobiles transeunt myricas, in ieiunantes cespites, glebasque macie suâ exsan-

ſangues, ſi culturâ ſuâ fruſtrentur. adde illam, etiam inter teſqua & confragoſa vindemia fluet. Vt verum ſit illud Senecæ: *Poteſt ex caſa vir magnus exire: poteſt ex deformi humiliq́ue corpuſculo, formoſus animus & magnus. quoſdam itaque mihi videtur in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco naſci.* Et quis dubitet in animis culturam poſſe, quod in terra? quanti nunc rident horti inter rupes, & inhoſpita ſaxa? quantæ vrbes deraſis montibus ſuperbiore ludunt vertice? hîc mella ſudant, ibi ſaccarum; & quidquid vlla ætas vllo regno vidit in delicijs, in ferarum antris, & ſcrupeo ſolo, & ſolis ſaxis fæcundo, naſcitur. ſaliunt alibi nati fontes, natant piſces, omniumq́ue gentium florent frondes & flores, deraſis ope humanâ rupibus, iniectaque peregrinâ terrâ, quæ peregrinos alat fructus. ita loco non ſuo alunt rupes alibi nata, felici tranſmigratione. Quo maiora in homine, naturâ in omnem partem molli & flexili, par cultura poterit. ſic tamen, vt, quod in terris euenit, validioribus ligonibus & raſtris in fæcunditatem erigenda ſit vna, mollioribus altera; quædam leui manu ducenda, ac vltroneâ quadam fæcunditate, durioribus altera, ac non niſi per ignes & ferrum magna promittat. quid? quòd non rarò malignè omnibus reſpondeat. Eadem reperies in ingenijs. vt benè Seneca: *Quædam facilia, & expedita: quædam manu (quod aiunt) facienda ſunt, & in fundamentis ſuis occupanda.* Suam dein de vtriſque ſententiam ſubijcit: *Ego illis feliciorem dixerim, qui nihil negotij ſecum habuit. hunc quidem de ſe meliùs meruiſſe, qui malignitatem naturæ ſuæ vicit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit.* Benè. meliùs hic de ſe meritus; felicior ille eſt, quem ingenij bonitas & magnitudo, nullâ propè alienâ, ſed manu eduxit ſuâ.

Nec tamen maxima ſemper ingenia deligam, tanquam regno optanda. mirabor hæc vt naturæ quædam miracula, &, cùm in ſpem venero rerum magnarum, adijciam metum deteriorum. quantum enim ferè à ſublimibus illis ingenijs *Mediocria ingenia regnis tutiſsima.*

ſpei,

ſpei, periculum tantum eſt. quid? quòd metus ſuperet. Mediocria ingenia magis tuta regnis: duci ſe patiuntur, conſilia admittunt, ac, vt ita dicam, ſeſſorem admittunt. priora ferè excutiunt, nec fræna ferunt, nec calcaria, imperij non patientia. Mediocria quò voles, duces; neque regna cogitant, nec domini purpuram, ſorte contenta ſuâ. Iam cùm prima confidentiâ quadam ſui laborent, cui adſociata temeritas; poſteriora alienis potiùs conſilijs quàm ſuis regantur, nec niſi diu & ſeriò cogitata aggrediantur; fit, vt maturiùs ſua peragant, nec periculi ſecum tantum trahant; cùm prima quaſi ab aleæ vnius iactu regna ſuſpendant. Quare mediocria magis ingenia regnis voueo.

Maxima ingenia ſcientiis aptiſſima. Magna illa naturæ miracula ſi conceſſerit Deus, amplectar, nec ambiam: ſtudijſque ac ſcientijs magis idonea iudicem, quàm aut ducendis exercitibus, aut prouincijs pro imperio obtinendis; ex quibus periculi plurimum adeſſe ſolet. quanquam & hæc ſumma, prudentis moderatoris ſtudio, ad modeſtiam deduci poſſint. Nullâ verò re aliâ magna hæc ingenia, quàm ratione & amore temperaueris; frequenti etiam narratione & lectione eorum, quæ ad virtutem ducunt; maximè exemplorum, in quibus, variante res humanas fortunâ, ſubiti & funeſti nimiùm caſus, præcipitia præruptis adiacere, alta fulminibus obnoxia, nec vlla in re plus aut luſiſſe fortunam aut ſæuiſſe, quàm in ſummis, aut ſumma petentibus. Quæ propoſita, & puero etiamtum decantata, inculcata iuueni, magnas moderandæ menti cogitationes inijciunt, & tanquam offuſo flumine flammas reſtinguunt, ardorem temperant, mitigant furores, audaciam frangunt, temeritatem reprimunt.

C A-

CAPVT XXIII.

Concertatio cum inferioribus vitanda Principi.

NON descendat Rex cum subditis in certamen scientiarum, artium, aliarumq; rerum. monet Xenophon: *Non conuenire arbitror viro Principi cum priuatis decertare. quòd si vicerit, tantum abest vt sit admirationi, vt magis sibi conflet inuidiam: ceterùm si victus fuerit, omnium maximè ridetur.* Turpe Principi, à subdito vinci; vincere, non magnum. ignominiam indè referet, laudem à victoria perexiguam. cauebit proinde Princeps, ne periculo huic se exponat, ne risui materiam præbeat, ne rubori. Quid? quòd succubuisse, iram ferè in Principe prouocet. Vnde contumeliæ, & minæ; & pro moderatione furor, & obliuio sui. crescit deinde indignatio, & ferrum meditari docet & sanguinem; & cùm pudeat victum dici, properat in vindictam, & iniuriam pro victoria reponit. Periculi res plenissima, & tam subdito, quàm Principi pœnitenda. Vitabit sanè hos scopulos quisquis sub Principe viuit: nec victoriam hanc, opum ac dignitatum spoliatione, quin & sanguine, plurimùm luendam, amabit. fugiet quisquis sapit, & dum vincere potest, victoriam Principi concedet: prudenter tamen, ne obtrusam vltrò Princeps videat, ac quasi accusari ignauiam suam sentiat. Conatum proinde inferior adhibebit, tanquam vincere voluisse censeri possit, quò clarior sua Principi victoria constet. è qua re vna magna sperare subditus potest, & à concessa victoria præmia magna. Quin adeò si mœrorem vultu præ se ferat, ac quendam fronte ruborem, maiora sperare præmia potest. gaudent præmiare Principes, quos inferiores senserint, & prodigi in minores sunt: à maioribus manum retrahût. Nemo in eum, quem odit, benignior est. odit ferè victorem. ita clementia & liberalitas in miseros est; inuidentia & odium in victores prope-

Intutum inferiori vincere Principem.

Victoria à subdito semper in omni concertatione Principi concedenda.

Infra Principis virtutes, suas inferior ponet.

rat. Prudens proinde subditus vires, prudentiam, eruditionem, eloquentiam, gratiam & quidquid magnum est, teget, si cum Principis donis conferri debeant: etiam, dum imperio cogitur, non ostendet quid possit; sed infra Principis virtutes, suas ponet. Quòd si oblitus sui, victor in quocunque certamine, virium, prudentiæ, eruditionis, aliarumq; rerum steterit; subducet se Principis familiaritati, & aulicæ necessitudini: ætatem, valetudinem, aut si quid speciosius, adferet, & à turba secedet & aula. Non solet purpura indignationem ponere, non iram, non vindictam in victorem. sed neque vinci se patitur. stolida sit licet, imbellis, indocta; prudens, fortis, docta haberi vult. docere denique vult, non discere. quo maiore opus circumspectione, moderatione, verborum delinimentis, submissionibus, quando aliquid proferendum Principis menti contrarium. laudanda nimirùm Principis sententia, rationibus firmanda; sanior interim nostra, magno temperamento, ac quodam verborum flore, proponēda, & ex aliorum potiùs aut veterum mente, quàm nostra: omnia denique Principis prudentiæ subijcienda; quasi si Principis sui sententiam exquirat inferior, & doceri amet, discere gaudeat.

In rebus verò paruis, & à quibus nec damna, nec pericula metuenda, Principis sententia nostræ, licèt saniori, præponenda: neque enim sapientis est, suam licèt probatiorem, in omnibus Principis sententiæ anteferre. Multa illi largietur inferior, quæ largiri sine noxa potest; &, vbi nullum crimen est, sæpè in Principis sui sententiam in rebus minoribus ibit, vt in magnis plus fidei ac existimationis apud Principem reperiat, quia plus affectus & amoris; cùm ferè fidem pro affectu Principes metiantur.

C A-

CAPVT XXIV.

Mechanicarum artium magnam curam habeat.

HABVIT Alexander Seuerus, teste Lampridio, qui *mechanica opera plurima Romæ instituit: negotiatoribúsque, vt Romam volentes concurrerent, maximam immunitatém dedit.* Imitetur Princeps, felicibusque mechanicarum artium progressibus studeat, peritos in eo genere foueat, præmijs etiam inuitet. nec euocare è vicinis remotisque regnis, immunitatibus quibusdam concessis, pigeat. Fortunæ ferè in his regnorum consistunt; neque alia res certiùs Principis ærarium locupletat, neque maiorem negotiationum merciumque orbe toto inuehendarum euehendarumque materiam præbet, neque quidquam, ab extremis etiam terrarum, pecunias, merciumque genus omne, potentiùs euocat: ita vt, quod genitum est vsquam, id omne in vno regno natum videatur. Crescit deinde prouincia crescentibus artibus, non ærario tantùm & opibus, sed hominum multitudine: è quibus & robur additur regno, & regia vectigalia insigni passim incremento crescunt. è populi enim ferè multitudine, publici ærarij magnitudo pendet. Prouocabit ergo quarumcunque artium peritos, animabit indultis, muneribus etiam alliciet, certisque prærogatiuis dotabit, vt venire velint & audeant, &, cùm meliorem patriam in fortunatiore ac opulentiore inuenerint, patriæ obliuiscantur. Nec graue hoc erit, cùm patriæ obliuionem opes inducant, & illa patria habeatur, in qua cum opibus commoda & honores creuerunt, quibus & amicos parabit & parentes, & parentibus & amicis obsequentiores. *Regium ærarium augent artes mechanicæ.*

Quid? quòd decus ab his artibus magnum accedat regnis, & latiùs orbe nostro gloriam, quàm ab eruditione, aut bellica virtute, spargant. admirationem sanè artium elegantia

& varietas parit: illam laus ſequitur, & valitura in omnem poſteritatem, & nouos orbes, commendatio. Hinc ingens illud in aulæis, ſupra quidquid vnquam Mileſij, Seres, Tyrij, Phryges, Babylon dedit, nomen magnum; nec minus è linea textura, floribus, nemoribus, vallibus, montibus, fluminibus, fontibus, rupibus, animalibus omnis generis, menſis, belliſque, ad inuidiam rerum ipſarum ludentibus. Primus hoc docuit, ætati ſuæ in miraculum, poſteritati in æmulam ſequelam Belga. Quid? quòd in cælatura auri, argenti, æris, primus Belga, malleo ſtiloque, ſubſtratâ pice, cælare docuerit, cùm antè fuſili omnes ductu laminas in formas cogerent. In æris ſculptura, tenuiori, molliori, venuſtiori, vt in calamorũ, in odium penicilli, ductu, quidquid nouè vſquam, quidquid antiquè, vicere Belgæ. Artem etiam in ſolo noſtro typographicam (nihil diſputo de loco) primus inuenit Belga. De prodigioſo tormentario puluere diſputatio varia; ſunt qui Belgam auctorem faciant. Finio, & nomen ab artium elegantia & inuentoribus magnum Belgio creuiſſe negare nemo poteſt. Acceſſere exinde illi mercimonia, vt arbitreris orbis potiorem partem in illud migraſſe. ita quidquid vterque Indus, Arabs, Tagus, Nilus, Tiberis, Danubius, Rhenus, Tameſis, Moſcus, Iber, Sequana diuite produxit ſinu, quidquid Oceano toto, inſuliſque omnibus natum, firmaſſe in Belgio videas. Et euocarunt ferè mechanicarum artium miracula hos omnes, vt Sabæ olim Reginam Salomonis prudentia. cum qua exclament lubentes: Superant famam fidemque non magnæ terræ inuenta maxima. Accidet idem regnis omnibus, ſi artium amatores, veneratores, Principes nacti fuerint. A Principis ergo munificentia res omnis pendet. addat vigilantiam & induſtriam prudentiæ comites, nec extra regnum patiatur fieri, quod in eo poteſt, nec efferri induſtriæ materiam, nec inferri à mutuatitia à ſe materia parata. Luſtrabo exemplo. Serico & lanâ Hiſpania diues eſt, & à remotis regnis laneas ſibi ſericaſque mutuatur

A mechanicis artibus Belgiũ laudatum.

Hiſpania ſerico & lanâ nobilis.

ctuatur vestes, regnorum aliorum emolumento magno, damno suo non minimo. permittit domi suæ nata efferri, vt maiore exinde pretio reuehat. Poterat Hispaniam suam serici & panni textoribus diuitare: è quibus regia crescerent vectigalia, nec tanta populorum solitudo regnum teneret. poterat deinde domi suæ parata ad alia regna submittere, & vario regnum suum lucro beare. nunc fœcunditatem felicitatemque suam vltrò abijcit, crudamq; byssum, nobilemque lanam aliorum diuitandam textrinis emittit: commodisque se, opibusque, quas benigna fundit tellus, nudat, vt alios, etiā hostes, locupletet. Sed desunt, quibus textile illud opus credatur. Non desint artifici sua præmia, & quædam etiam non noxiæ regno immunitates, & non deerunt vltrò operam suam spondentes. Quod de Hispania, de reliquis regnis dico. idem omnium iudicium esto. nisi tanta rerum quarumdam copia sit, vt omnem operarū manum vincant. quod vbi fit, pars aliò mandari poterit, sed ita, vt sua Regi & regno emolumenta constent, ne, dum alij beantur, frustrentur ipsi. Miserum sanè, & fatuitatis quoddam genus, te nudare, vt alium vestias. Sed nimirùm magna ferè regna, vel ipsâ magnitudine suâ, ad nescio quæ improuida labuntur; quasi sub ingenti mole fatiscant genua. Ita cùm orbem propè vniuersum auro, argento, gemmis lassent Hispani, regnum ipsi suum ære fatigant ignobili: & pro auro argentoque, æs illis ab hoste cusum est. cumque diuitiarum suarum reconditoria ære onerent, cacabeis gloriari opibus possunt. fors nec multò pòst plumbeis, exindè etiam ligneis, aut boum tergoribus.

Remedia huic malo suggesta non semel, sed irrito semper conatu; vt nesciam, quorum hîc ludat magnorum manus. inter tot magna ingenia, tot selecta regia concilia, æri pellendo, vel non repertum, vel non admissum consilium est. quis credat? nisi quis dicat, quod aliàs dixisse me memini, prudentiam & potentiam iuxtim stabulare non posse; vt

credas refractarios & indomitos equos, quos vnum equile non capiat. Aut fors dicendum, semper abundantiam contumeliosam fuisse in semetipsam: euenireq; nunc hoc apud Hispanos in auro. vt mirum videri possit, cur non vinctos in ergastulis habeant auro, & diuitijs improbos onerent, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Nam quid ego aliud dicam? Aurum video tota propè Hispania exulare, æs imperare. Vrbanior fortè hic iocus in re seria. Quando cara mihi tellus discussis opulentiæ tenebris, lucem intuebere? quando ægro corpori remedia admouebis, tibi, Belgio, orbi in salutem? ô nimis diu luderis? excute somnum, & teipsam tibi redde. Habes Regem, qualem nec voto assequare maiorem, amantem tui, publicique amantem boni: quem nec nimia iuuenta, nec graues premunt anni. Frustra illam accusas. infra hanc Carolus Imperium tenuit. tu tantùm manum & tibi, & Regi tuo Magno auxiliarẽ admoue, consilia suggere, fortiter suggestis incumbe. nec à quo hæc veniant intuere, sed ipsa; & orbis imperia in Rege tuo tenere potes. Nimis diu his inhæreo. finio. tantùm tacita audi vota mea Deus, audi bonorum omnium

CAPVT XXV.

Lectioni Princeps incumbat, maximè Historicorum.

Historiarum lectio Principibus perutilis.

DOCTORVM etiam virorum lectionibus assuescat, Historiarum maximè omnium gentium; eorum in primis, qui de virtutibus vitijsque disserunt. cùm enim ferè omnes non tam cum Principe, quàm cum purpura illius loquatur, consultissimum mutos magistros audire, qui legentium vitia in alijs accusant, erroresque lectoris sui in alijs damnant. Nam quis alius moneat Principem? non patiuntur sceptra monitorem, quo fit, vt lubentiùs cum fortuna ipsorum, quàm

quàm cum ipſis loquamur. è libris ergo diſcenda Principes hauriant. Prudenter filium Baſilius monet Imperator. *Per Hiſtorias veteres ire ne recuſa: ibi enim reperies ſine labore, quod alij cum labore collegerunt. atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones, mundi huius inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus, &, vt vno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia. quorum illa fugias, ne in iuſtitiæ diuinæ manus incidas; hæc complectaris, vt præmijs, quæ illa comitantur, potiaris.* Lectionum etiam Ptolemæo Ægyptiorum Regi auctor fuit Demetrius Phalereus, *vt conſcriptos de regno imperioque libros compararet, atque lectitaret. nam, quæ amici non audent Reges admonere, ea in libris ſcripta eſſe*. verba ſunt Plutarchi. Et ego auctor ſim Principi. Multa hîc diſcet, quæ à ſuorum nemine. adeoque omnia diſcet: & tanquam in ſpeculo vitam moreſque ſuos intuebitur. vitia virtuteſque in alijs, nullo ſuo damno, commodo maximo, diſcet. Cumque magnorum Regum vitam, moreſque varioſque vtriuſque fortunæ felices infeliceſque euentus legerit, fugienda ſibi ſequendaque videbit. temerariorum deinde conatuum infortunatos exitus, fortunatos prudentium, euerſaque regna, & ſedibus quaſi ſuis euulſa, leget. funeſtas etiam Regum mortes, & cauſſas diſcet. E quibus omnibus, quid fugiendum, quid ſequendum ſibi ſit, ſtatuet; quidue Regem deceat, quid dedeceat; quæ è quibus damna metuenda, quæ commoda ſperanda; quantum fortunæ & ſceptris credere debeat, quantum ætati & robori; quantum ſuis, alienis, amicis, inimicis, detractoribus, adulatoribus. denique cùm legerit quanta è vitijs mala, quanta è virtutibus bona fluxerint, illa fugiet, has amplectetur. cumq; ſenſerit, quàm libero ſæpè ſcriptorum calamo mortuorum Principum dicta factaque in omnem poſteritatem tranſmittantur, cauebit à damnandis: paria enim in paribus dictis factiſque expectare debet. Fallitur, ſi, cùm aliorum vulgantur, ſua tegenda arbitretur.

Quis

—— Quis enim secretum diuitis vllum
Esse putet? serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora.

Multò minùs Regum Principumque dicta factaque celari possunt. deuolant in omnem posteritatem, omniumque linguis & calamis, omnium oculis & auribus subijciuntur. Quæ omnia magnam prudentiæ materiam Principi suppeditabunt: amplectenda, fugienda, sequenda, imitanda, cauenda, docebunt. ita rerum caussarumque paritate ac similitudine, euentuum paritatem sperabit, timebit. Et sanè, inter felicia numerari potest, aliorum bonis malisque, labore nullo, emolumento maximo, sequenda vitandaq; posse discere. docebunt Scriptores. A maximis verò Regibus Ducibusq; frequentatam lectionem, & à quibusdam scriptionem, veteres tradiderunt. Pyrrhus, Alexander, Cæsar, Pompeius, Scipio, Sylla, Lucullus, Græcique propè omnes, & Carolus Magnus nos docent. Imitetur Princeps. Quid? quòd Cato Græcas etiam litteras senex didicerit. filius verò illius, ne in curia quidem, dum senatus cogitur, à lectione sibi temperauit. *Quâ industriâ ostendit, alijs tempora deesse, alios temporibus superesse.* Epaminondam litteris addictissimum accepimus, & Philippum Macedonẽ, cuius illud ad Aristotelem: *Filium mihi natum scito, quod equidem Diis habeo gratiam, non proinde quia natus est, quàm pro eo, quòd eum nasci contigerit temporibus vitæ tuæ. spero enim fore, vt doctus eruditusque abs te, dignus existat & nobis, & rerum istarum successione.* Sub quo magistro quinquẽnium integrum, exactâ pueritiâ, stetisse auctor est Iustinus. De Hadriano Cassius: *Fuit suapte naturâ disciplinis deditus, & studiorũ amator, in vtraque lingua impensè eruditus.* De Septimio Seuero Herodianus: *Præter bellicam gloriam, etiam ciuilibus studijs clarus fuit, & litteris doctus, Philosophiæ scientiam ad plenum adeptus.* De Tacito illud Vopisci propè fidem superat: *Nunquam noctem intermisit, quâ non aliquid vel scriberet, vel legeret.* Nec minùs illud Suetonij de Augusto: *Mutinensi bello, in tan-*

ta mole rerum, & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie traditur. quis nunc Regum imitetur? De studio illud eiusdem est: *Eloquentiam studiáque liberalia ab ætate prima, & cupidè & laboriosissimè exercuit. multáque varij generis prosâ oratione composuit; vitam etiam suam tredecim libris, Cantabrico tenus bello.* Poëticam etiam non neglexit. De Cæsare Suetonius: *Eloquentiâ, militarique re, aut æquauit præstantissimorum gloriam, aut excessit. Certè Cicero ait, eum elegantem splendidámque rationem dicendi tenere.* Et *quis sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* Scripsit plurima. de quibus illud Suetonij: *Quorum librorum primos in transitu Alpium, sequentes sub tempus Mundensis prælij fecit; nouissimum, dum ab Vrbe in Hispaniam vlteriorem* IV. *&* XX. *die peruenit.* O vbi ætatis nostræ duces, Reges, Imperatores! De Tiberio Suetonius: *Artes liberales vtriusque generis studiosissimè coluit.* Scripsit varia etiam Lyrico & Græco versu, fuitque Græci sermonis *promptus & facilis.* Illud etiam Lampridij in Alexandro Seuero, magni in sciētias amoris signum magnum est. *Cùm inter suos conuiuaretur, aut Vlpianum, aut doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas litteratas, quibus se recreari dicebat & pasci. habebat verò cùm priuatim conuiuaretur, librum in mensa, & legebat.* quid plura speres, aut etiam voueas in Religioso? De M. Antonino Philosopho Herodianus: *Adeò litterarum & antiquitatis studiosus, vt nemini sit in eo genere Græcorum Romanorúmque secundus. argumento sunt permulta, quæ ab illo dicta atque conscripta ad nos vsque peruenerunt.* Claudo Vegetij verbis: *Neminem decet, vel meliora scire, vel plura, quàm Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis.*

CAPVT XXVI.

Viros doctos præmijs alliciat.

VIROS vndique doctos præmiorum magnitudine inuitet. nunquam deerunt, si munificum nacti Principem fuerint. Docet Vespasianus. de quo illud Suetonij: ***Ingenia, & artes maximè fouit. Primus è fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit. præstantes Poëtas, nec non artifices coëmit.*** Pompeius etiam Theophanem Mitylenæum ciuitate donauit. quem etiam narrant, cùm Rhodum ex itinere vidisset, professores audisset, singulos auri talento donasse. dignum, qui Magnus diceretur. Romani Pythagoram, Græcia vniuersa Leontium aureâ statuâ donauit. stat Euripidi monumētum Macedoniâ manu. Africanus Ennij effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari iussit. Nec mirum: hi namque sunt, qui regna scriptorum suorum monumentis illustrant, qui nunquam mori Principem patiuntur. Nullos excipio. Omnibus, si opulenta præmia ostentaueris, prouinciam ornabis. Ab vltimis etiam terrarum præmiorum magnitudo euocabit. Iuuat nimirùm sub munifico Principe calamum stringere. Et sanè, siue prouinciæ suæ ornamenta, siue non moriturum apud posteros nomen Princeps intueatur, nullis parcet sumptibus: quoq; auidior gloriæ, hoc doctorum erit.

Ex hoc numero exsurgent Poëtæ, Oratores, Historici, quorum calamis nec mori prouincia, nec Princeps poterit. *Doctorum calamis Principes æternant.* Quos si sustuleris, quæ regna, Reges, Principes, viri magni viuent? insepulti cineribus iacerent, sine discrimine sceptri & ligonis. ne semel mortui semper morerentur, calamus dedit. Bene Lyricus:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Vrgentur ignotique longâ
Nocte: carent quia vate sacro.

Et

Et sanè magna parentibus debemus. quòd sumus, illorum est. plura doctis. quòd nunquam morimur, horum est. Illi vitam dederunt, sed perituram, nec vltra mortem vitam. hi etiam post mortem viuere docuerunt, omnium lectorum oculis, auribus, animis. quo plus scriptoribus, quàm parentibus debemus, cùm ab illis non-morituram, ab his morituram vitam acceperimus. Exsurgent etiam Mathematici, Philosophi, Medici, Iurisconsulti, Theologi, regnorum lumina. sine quibus, noctibus potiùs, quàm diebus prouinciæ inuoluerentur. hi regnorum soles, vt quorum radijs, æterno quodam lumine, collustrantur regna. Omnium horum calamis, tanquam animâ, viuere Princeps potest. Quos si sustuleris, non vltra plebeiam vitam, vilesq; animas, vitam protendet. Viuere æternùm vult? viuet in doctis. Quouis ergo auro hos prouocabit, vt vitâ viuat æternâ, ignoret mortem. Sciebat hoc Magnus Alexander: nullis proinde pepercit donis in Anaxarcho, Xenocrate, alijs. Sciebat Augustus Virgilio amicissimus, Andronicus etiam, & Gordianus Imperatores. Quid? quòd Dionysius Tyrannus Platonem amauerit, ambiuerit. Pulcra Cæsaris Sigismundi vox est: *Ego eos amo, quos natura alijs antestare voluit.* Atque hinc doctissimum quemque regni munijs admouebat. Factum ab Alexandro Seuero. de quo Lampridius: Præficiebat rebus *litteratos, & maximè eos qui historiam norant; requirens, quid in talibus caussis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel exterarum gentium fecissent.* Factum etiam à Gratiano in Ausonio: *Cùm de Consulibus in annos creandis mecum solus volutarem, vt meministi, atque vt facere debui, & te velle scini, consilium meum ad Deum retuli: eius auctoritati obsecutus, te Consulem designaui, declaraui, & priorem nuncupaui. trabeam palmatam tibi misi, in qua D. Constantinus pater noster intextus est. solui quod debui, & adhuc debeo quod solui.* Dedit hoc Imperator Ausonij eruditioni; dederunt alijs alij Imperatores. Vsitatum hoc apud Sinas: apud quos è sola eruditionis ma-

gnitudine dignitates prouinciarumque gubernacula administrari videmus. Peccarunt in hac re Licinius, & Michaël Balbus, qui vel calcarunt litteras, vel vetuerunt, & Imperatorum portenta audiunt. nec diu illis regna, nec felicia.

CAPVT XXVII.

Quos in concilium adlegere Princeps debeat?

Feruida & lenta ingenia à Reipubl. muneribus reuocanda.

Miscenda in Rep. calida ingenia frigidis.

Liberali stipendio donandi, qui Reip. muneribus admouentur.

CONSILIIS admoueat, quos incorrupti mores, & eruditio, rerumque experientia probauerit. in quorum delectu ingenia vitabit, tanquam de torcularibus & ignibus æstuantia: lenta etiam nimium, & frigore quodam suo congelidata. illi Rempubl. ignibus perdent, hi frigore. Neque enim aut perpetuæ fornaces, aut perpetuum gelu, moderandis rebus conuenit. Quod si consequi non potest Princeps, nec temperata ingenia vllis frangenda donis suppetunt, misceat calida frigidis, lenta citatis, amœna fastidiosis, benigna morosis, mitia seueris: vt mutuo temperamento ad mediocritatem reducantur. Liberali deinde stipendio singulos donet. punire potest, qui digna laboribus præmia largitur. durum verò est punire, quem necessitate ad illicita impellis. Vis incorrupta iudicia? egestatem amoue. ad quæ non cogit paupertas. Vis integra? adsint integritati sua præmia, vt nec aliunde mendicare, nec sperare debeat, qui iuri dicẽdo præest. Fortiter præmiare & punire, boni Principis est; miseri, punire, nec præmiare; ignaui, præmiare, nec punire. Regia ergo stipendia suis præbeat, quibus vniuersam familiam, pro concrediti sibi muneris dignitate tueantur; & viros inueniet. Ea verò velim stipendia, quæ satis sint familiæ ampliter alendæ: nam & amplitudo venerationem auget, & animos addit. Et verò graue est, Regi aut Reip. de suo impendere. Libera proinde optem patrimonia; nec ea attingi familiæ sustentandæ. seponat hæc in liberos, quisquis à consilijs Principi est. quin eò etiam crescant stipendia, vt seponi aliquid

aliquid possit in posteritatem ac nepotes: & optimè sperare iubeo Principem de suorum integritate. Nam leges ferre, & necessarijs destituere, est ingenium ad dolos & fraudes acuere, & venalē clàm iustitiam facere, cùm publicè non possit.

Imitetur in hac re Alexandrum Seuerum Princeps, quem narrant ampla stipendia omnibus quos in concilium adlegisset, numerasse, vetuisseq; ne qua dona acciperent, neque concessa à Principe munia venderent; cùm diceret eos, qui munia vendunt, ad operarum suarum venditionem necessariò cogi, ne fraudi emptio esset. Emit aliquis munus aureorum millibus sedecim, quod ei annuè supra quingentos aureos non pendit. Quid faciet hîc emptor? ne emptionis pretium pereat, operas locat, & vendit. atque ita ex pretij magnitudine, sua caussarum stat iustitia, pro pecuniæ magnitudine metienda. exiguam numerabit? iustitiam referet exiguam. numerabit amplam? iustitiam referet amplam: vt mensura æqui boniq́ue, non ius, non ratio, sed pecunia sit. Nam quò aliò se vertat? alenda vxor, liberi, familia: & pro muneris dignitate, pro Regis aut Principis magnitudine, è sociorum etiam more alenda. domestica interim res tenuis, parentum sæpè opes modicæ, vxoriæ modicæ, muneris annuus prouentus modicus, modica omnia. tenuitatem hanc, ac quandam muneris maciem, non incrassabit probitas, non virtus. Ab improbitate ergo, & dolis malis, maiora speranda, adipanda nimirum ex his macies. Fortiter in tales Valens, Valentinianus, Iustinianus, sæuiunt: securi priores, virgis posterior, alij muneris abdicatione. Quis mihi nunc pares concedat? vouere possumus; sperare non ausim. Nam venditionem munerum permittere, non permittere operarum, durum. vtrumque permittere, improbum. neutrum, probum. ita tamen, vt Alexandri exemplo, quotquot in munere sunt, diuite pro muneris conditione stipendio Princeps remuneretur.

Nulla dona iudici permittenda; nec venditio, aut muneris emptio.

Verùm, vt largiamur ampla hæc Imperatoria stipendia,

Modus iudicum donaria deprehendendi. quis occultas venditiones, quis largitiones tollet? quis erogationū solitarios cæcosq; testes parietes producet? aut quis sui proditor dominus stabit? qui si fortiter negauerit, erogatore fortiter denuntiante, cui fides? vno teste vis damnari? quis innocens erit, si accusasse satis? & quàm facilè æmulus, qui magnorū nulli defuit, accusatorē inueniet? at si plures, sed factorum singulorum singuli, num fides adhibenda? Suspicionum sanè materiam magnam, variorum denuntiatio suppeditat. accedit, nunquam defuturam Principi rationem in largitionum cognitionem veniendi, si gratas eiusmodi delationes Principi suo fore populus intellexerit. Neque diu celari hæc possunt. nam licèt legum institutio, fallendi modum docuerit, & è nouarum sanctionum edictis, doli fraudesq; creuerint nouæ; nescio tamen, quomodo solis tenebris concreditæ largitiones solem ament. videri volunt, & intueri diem: noctium suarum hostes. Iam in seruorum multitudine magnorum atria obseruantium, quis celet omnia? quis auidissimas donorum vxores? & quod secretum speras mulieri concreditum? nullis sanè propè tenetur secreti legibus mulier: prærogatiua huius sexus est, nunquam, nusquam silere. vulgari amat, & vt videri, sic audiri; & secretissimū suum inimicæ aperiet, si desit amica, si socia, si cōtubernalis, quæ nunquam mulieri defuit. Quid? quòd voluptatis suę, adeoq; & libertatis magnam partem putet, si, quod concreditum illi, ingenuâ quadam libertate in amicæ profundat sinum: vt plus etiam gaudiorum è doni denuntiatione, quàm ex ipso dono capiat. Et certè quisquis rem mulieri cōmisit, vulgari voluit. nec certior alia euulgandi ratio, quā vel vnius plerumque mulieris fidei rem committere, maximè si secretum pactus fueris: quo enim & tu sanctiùs imperaueris, & sanctiùs illa spoponderit, hoc auidiùs in narrationem properabit; imò & prouolabit. Neque satis illi iuisse est; volare vult. alas addidit narrandi concredita desiderium. addidit & timor: vereri enim credas disrumpendam, si diutiùs hoc è recenti

Mulier secreti legibus teneri non videtur.

Quisquis secretum suum mulieri commisit, vulgari voluit.

recenti torculari mustum pectoribus stringat. Ne mirere: seruitutis enim quoddam genus esse putat, non posse loqui; libertatis, posse. eximit se ergo seruitute, & in libertatem vindicat, cùm primæ occurrentis sinum implet. minùs ingenuum, expectare secundam: in primam candor effundit. Et quis vir accuset hîc mulierem? si silere ipse non potuit, cur secretum à muliere sperat? in criminis paritate, non maior pœna manet primum auctorem? Vult secretum suum vir? linguæ imperet. laxauit? ne damnet mulierem, cuius omnis sapientia in ore est. se damnet, cùm longè sanctioribus silentij legibus teneatur. Frustra proinde secretum suum celari maritus postulat, quod vxori commisit. ipsa proditrix viri, & sui erit, dum sibi maritoque apud sociam de dono gratulatur. quin imò proditrix non fuit, laudatrix fuit. prodere noluit, laudare voluit; &, quæ gratularetur, amicam quæsiuit, & cum Euangelica muliere inuenit. Deesse proinde modus non potest Principi, in largitionũ cognitionem veniendi. ipsa se largitio prodet, impatiens celari. Fuit hoc nouum Antonini Pij, fuit magni Principis, à iudicibus, locorumq; Præsidibus ac Gubernatoribus, ante muneris susceptionem, opum omnium suarum indicem deposcere; quo, vbi muneribus defuncti essent, scire posset, quantum illis facultatum accessisset. Imitari ætate nostrâ Antoninum videtur voluisse Regum omnium maximus.

In delectu verò eorum, quos consilijs dandis admouet Princeps, sequatur monentem Iethro: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt auaritiam, & constitue ex iis qui iudicent populum.* Vult potentes, ne intueantur personam diuitis, quique valeant *virtute irrumpere iniquitates*, quos nec magnitudo, nec nobilitas terreat, nec egestas spe præmiorum ad illicita trahat; nam & *munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* In quos illa intermin atio Dei: *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. propter hoc, sicut deuorat*

Qui à Principe deligendi in concilium. *Exodi 18.* *Deut. 16.* *Isaiæ 5.*

stipu-

stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis ascendet. Quare si in aliis delictis non rarò Regi indulgendum, in iniusti iudicis nunquam erit. Est in hac re Alexandri Seueri magni omninò Imperatoris vox Imperio digna, cùm diceret, non satis dignè in malum iudicem vindicari, si magistratu priuaretur, sed grauioribus longè suppliciis mulctandum. De quo illud Lampridius: *Si vnquam furem iudicem vidisset, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret.* Est & illa Magno Constantino dignissima sententia: *Si quis cuiuscunque loci, dignitatis, in quemcunque iudicum, Comitum, aulicorum, vel palatinorum meorum, aliquid veraciter & manifestè se probare posse confidat, quòd non integrè aut iustè gessisse videatur; intrepidus ac securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam. & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo de eo, quòd me vsque ad hoc tempus simulatâ integritate deceperit. illum autem, qui hunc prodiderit & comprobauerit, & dignitatibus, & rebus augebo. Ita mihi summa diuinitas semper sit propitia, & me incolumem præstet.* Digna omninò lex, quam Christianorum Imperatorum primus ferret, & iureiurando confirmaret. Sanè, si Reges iniquorum iudicum delatoribus, munia ipsa, si iuridicundo idonei essent, conferrent, aut amplâ mercede donarent; non magno molimine iudiciorum integritati consulerent.

Qua pœna improbus iudex puniendus.

Virtutes illorum, qui à Principe in concilium deligendi.

Deliget ergo Rex, quos grauior ætas, magnoque collecta vsu experientia, integritasque, & ignara munerum manus, casti mores, animus sibi constans & periculis maior commendat: quos in audiendo faciles, in comprehendendo celeres, in decernendo lenes, in inuestiganda veritate diligentes, studiisque ac laboribus addictos deprehenderit: quibusque fides omnibus vitæ commodis antiquior, omnibus opibus carior, quorumque eruditionem sancti mores ornent. Quos vltrò ac reluctãtes etiam, ad Rempub. euocabit. amouebit verò, quotquot incorrupti mores, impurior vita, fraus & dolus occuparunt: quos rei familiaris angustia oppressit,

nec

nec permittet in senatorio portu naufragos hos conquiescere, quos alieno magis patrocinio quàm vitæ innocentiæ inniti senserit, quos dolo malo ac muneribus viam sibi sternere intellexerit; quosque aut nimia lentitudo, aut nimius æstus, aut grauior morositas, aut fastidiosi mores, & nauseabundo similes, aut innata quædam animo leuitas & inconstantia tenet. Sed neque in vnum facilè ea conferet, quorum singula totum hominem occupare possunt. Plures honorandi, quò Principis beneficium latiùs pateat, & certiùs singuli commissa sibi expleant, quo paucioribus obruuntur. In delectu verò illud Alexandri Seueri apud Lampridium, memoriâ & imitatione dignum: *Senatorem nunquam sine omnium Senatorum qui aderant consilio fecit: ita vt per sententias omnium crearetur, testimonium dicerent summi viri; ac, si fefellissent vel testes, vel ij qui sententias dicebant, postea in vltimum reijcerentur locum, ciuium condemnatione adhibitâ, quasi falsi rei approbati, sine vllius indulgentiæ proposito.* At nunc quoties non vno in regno, nescio quæ ancillula, aut seruulus, Senatorē Reipub. & Regibus dedit? alium Principis, aut viri magni amores, aliquem obsequia fratris, non sint sororis, non filiarum, non vxoris. dona etiam non paucos. ita quod eruditio & prudentia non potuit, non virtus, fauor, mulier, aurum dedêre.

In deliberando sequatur illud Lampridij in Alexandro Seuero: *Si de Iure tractaretur, solos doctos in consilium adhibebat: si verò de re militari, milites veteres & senes, & benemeritos, ac locorum peritos.* Prudenter. imitetur Princeps noster. Peccat in Remp. grauiter, qui indoctos iuridicūdo præficit, adeoq; & euertit illam. Et ridenda sanè res, cùm in rebus alijs artium peritissimos deligamus, sartores, sutores, fabros; in iure dicendo, è quo non rarò fortunæ vniuersæ, honorque, vitaque pendet, ineruditos deligi. In decernendo statuendoq; illud à Cassio notatum in Nerua: *Nihil vnquam de suo arbitrio statuit, sed principes viros in consilium semper adhibebat.* Et à Spartiano in Hadriano: *Nihil non consulto senatu faciebat, execratusque*

est Principes qui minus Senatoribus detulissent. erat verò tum mos, vt, cùm Princeps caussas cognosceret, & Senatores & equites Romanos in consiliū vocaret, sententiamq; ex omnium deliberatione proferret.

Consilio verò in primis in bello vtendum putat Imperator. putat & Sapiens noster: *Consilijs tractanda sunt bella.* Veteranos autem adhiberi vult Imperator. Docuerat antè Iob, senibus prudentiam inesse: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et verum illud Claudiani: *Tenero tractari pectore nescit* prudentia. Et lege olim fuit traditum, ne infra quinquagesimum annum quis, vel magistratū gereret, vel legationē obiret. Et receptum hoc Græciæ parte. Benè. ac, si quæ alia, militaris scientia experientiam deposcit. Nec satis tamen senem esse. benemeritos vult Imperator. quos nimirum facta docuerunt, rerumque experientia longa, quæ pro prudentia esse consueuit. Et sanè, si quid à Deo vouendum, consiliarij quàm optimi Principi vouendi, cùm ab his regni vniuersi incolumitas pendeat, vt qui Regibus oculorum vicem præbeant, iudicij subeant. Tolle oculos, quis videat? tolle iudicium, quid homini reliquum? Et certè, qui in consiliariorum delectu errant Principes, in perpetuo eos errore necessum est versari. Et, vt qui fontem in origine sui secat, flumina emacerat, & quidquid à fonte fæcunditatis affluit agris, quos macie suâ paullatim emori senties, ac quasi fatiscere viribus subtractis: ita qui à prudenti consiliariorum delectu aberrant, Rempub. emacerant, sterilitatem inducūt, speratam in semine suo messem suffocant, atque adeò à radice succidunt, cùm omnis Reip. adeps ac melior succus, à prudenti consiliariorum rore & imbre defluat.

Prou. 20.

Iob 12.

Princeps consilijs non rarò intersit.

Ad iudiciorum verò integritatem plurimùm valet, si Princeps ipse non rarò consilijs dandis ferendisque intersit. Carolum Magnum die vno per hebdomadam interfuisse accepimus: Carolum Audacē diebus tribus: Lusitaniæ autem Reges certo per hebdomadā die. De M. Antonino Philosopho Capitolinus: *Semper cùm potuit interfuit senatui, etiamsi nihil*

hil esset referendum, cùm Romæ fuit: si verò aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit.

Nihil verò temerè aggrediatur, nihil præproperè & calidè, tanquam à torculari, memor veteris dicti: *Consilia calida & audacia primâ specie læta, euentu tristia sunt.* & illius: *Duo aduersissima recta menti, celeritas, & ira.* & alterius: *Consulere oportet lentè, consulta exequi festinanter.* Scio, *animo cupienti nihil satis festinari.* sed & hoc scio, pœnitentiam festinationi adiacere. Nullam proinde rem ante seriam maturamque deliberationem aggrediatur, ad quam integro pectore ibit, nō obsesso. & stolidum est petere consilia, postquam certò apud te aliquid statueris. Videri tales consuluisse volunt, sequi nolunt; probarique volunt sua, aliena nolunt. ad nudam deinde prudentiæ & moderationis ostentationem, consilia hi cogunt, ne denique præfidentes videantur, & damnari meritò possint in infelici rerum successu, in consilium alios vocant, quò & modesti audiant, & temerarij ac insolentes non audiant. Secuturi nimirùm tales consilia sunt, si antè apud se animumq; suum decretis responderint: recessuri, si non responderint. Vt facilè videas nudum hosce modestiæ nomen venari. Grauis omninò error; cùm aut omnibus diffidunt, aut prudentiæ suæ armisque nimis fidunt. Benè Tacitus: *Plura in summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.* Sed & excusationem apud omnes meretur, licèt votis res non responderint, quisquis prudentum consilia secutus: non meretur, quisquis suis tantū innixus res aggreditur.

Plures etiam in consilium adhibeat. certiùs enim multis, quàm singulis creditur: singuli enim decipere, ac decipi possunt; neminem omnes fefellerunt. Et quantum quisque ingenio possit, quóue robore sit, quo candore, faciliùs Princeps aliorum comparatione discet, certiusque propositæ rei veritatem cognoscet. Inconsultissimum verò est, vnius tantùm consilijs inniti, vni vniuersa regnorum committere: neque enim omnibus vnus par esse potest. & inuidiam ferè

Periculi res plena, vnius consiliis inniti.

Xxx 2 tales

tales odiaque incurrunt omnium, & funesto ferè fine vitam claudunt. O nimis fæcundum hoc ludibundæ in magnis fortunæ sæculum! Gallia nos docet, Germania, Hispania, Anglia. quantos hæc regna viderunt, tulerunt! quàm infelici exitu inuidiosa felicitas notata! O, dicat quisquis sapit, *Quia me vestigia terrent*: & subducat nauem, & portum respiciat, & tuta ante naufragium littora, ne noua fabula, prioribus deterior, exsurgat orbi. Ac si non moueant recentia, intueatur vetera. A quo cadit Amanus, Clitus, Seianus, Plautianus, Aluarus Luna, Montdragonius, si nô ab Assuero, Alexandro, Tiberio, Seuero, Ioanne Aragonio, Francisco Mediceo? & plenæ omnium sæculorum sunt Historiæ. Time quisquis supra fortunam tuam maiorumque extolleris: iisdem ferè manibus cades, quibus sublatus es; quin & celeriùs quàm surrexisti: facilior enim per præcipitia lapsus. lento gradu in verticem ferimur; lapsus in momento est. Sed & consultum Regi plures esse, qui rerum cognitionē habeant, ne vno cadente, cecidisse videantur omnes; & ignari rerum discere incipiant, qui docere debent, magno regni Regisque damno.

Ita verò ad consiliũ, vt dixi, accedat, ne, vbi antè secum firmauit sententiã, frustra rem in consilium vocet, nec abduci se pudore permittat. Ab odio etiam, ira, auaritia, amicitia, superbia, libidine vacuum esse decet. haud enim facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt: neque quisquam simul libidini & rationi paruit. Seponat ergo affectus suos Princeps, priuatumque studium, publicisque medeatur: sententiæ verò cautiori lubentiùs adhærescat, nec difficulter sese applicet etiam tuta metuentibus: cautaque potiùs consilia cum ratione, quàm prospera illi ex casu placeant. Fugiat verò consilia, quorũ temeritas absolui nequit nisi beneficio felicitatis: nam licèt hac viâ possit prosperari, non conijciat se tamen in fortuitam hanc prosperitatem, quæ ferè præcipitio alligata est, aut de illius vicinitate damnaminatur.

Quòd

Quòd si moram res patitur, tacitus secum Princeps rem discutiat priusquam deliberet, ne imparatus accedat. &, vt obijcere difficultates ipse possit, & firmare rationibus; nullam tamen in partem, cum Traiano, Hadriano, Antonino, propensum animum ostendat, ne in illam suos trahat. quorum non pauci, dum placere Principi volunt, sepositâ suâ, in illius sententiam eunt: nec tam quid deceat, aut dedeceat, quàm quid sentiat Princeps intuentur. Sed neque proniorem se in illos, qui secum sentiunt, ostendat. nullâ re consilia meliùs quàm libertate firmantur; nullâ infringuntur magis, quàm si libertatem sustuleris. neque enim hac sublatâ, veritati, sed complacentiæ locus erit & adulationi: nec rebus, sed Principis fortunæ seruient. Affectu potiùs magno prosequatur illos, quos senserit veritatis magis, quàm placendi studio duci.

Caueat etiam ne ab euentu res metiatur, ni timidissimos in cõsilio dando velit suos, qui à dubio euentu perpetuis timoribus natabũt. Et ferè plebeiorũ ingenia cõsilia ab euentu metiuntur: hinc non raro apud eos eadẽ facta, nunc sapientiæ ac roboris, nunc furoris ac temeritatis nomen accipiunt. Neque redarguet, si votis euentus non respondeant, cùm millia in fortuitis occurrant, quæ prudentissima consilia euertant ac frustrentur. Fatebor interim magnum omninò, adeoque primum mereri locum, qui apud se consilio abundat, non indigus alieno; secundum, qui alieno, vt suo vti didicit; tertium, qui nec aliena consilia admittere, nec expedire sua nouit. Ego tamen primum illum statuo, qui prudentiæ suæ non nimis præfidens, prudentum sequi consilia nouit. vt tardo malim ingenio Principem, audiat modò, quàm acuto & perspicaci, si non audiat. Audiamus Sapientem: *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium; vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur*: & *salus, vbi* sunt *multa consilia*. Est in hac re illud Antonini Imperatoris: *Æquius est, vt tot amicorum ac fidelium consiliariorum sententiæ subscribam, quàm vt illi-*

Nunquam ab euentu res metienda.

Prou. 15.
Prou. 11.

illi se meæ voluntati accommodent. Quid verò ad stabilienda regna consilia valeant, fortiter & verè Sallustius docet: *Omnia regna, ciuitates, nationes vsque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt. vbicunque autem gratia, timor, voluptas ea corrupere, pòst paullò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposita est.* Videant Reges, ne in consilium adhibeant, quos gratia, timor, voluptas, pessimum veri venenum, occupauit.

In statuendis verò condendisque legibus, Ferdinandum cognomento Catholicum prudenti prouidoque astu vsum narrant; solitum nimirùm per fidum aliquem suorum, rem lege firmandam in vulgus spargere, non vt ferendam, sed vt vtilem, & Reipubl. necessariam, quò certior de populi voluntate fieret: quam vbi placituram intellexerat, lege firmabat. vnde consequebatur, vt volentibus, quæ cogitauerat, imperaret.

CAPVT XXVIII.

Ecclesiis probatissimos præficiat.

ECCLESIÆ præfici curet, quos vitæ probitas, morum integritas, prudentia, rerum experientia, eruditio, pietas commendat: non qui deductum nomen à trabeis, & fastos recolunt purpuratos, & exesam senio nobilitatem, nec aliud. Quòd si cum opibus, imaginibus, præclaraq; memoria sui, virtutem relinquere maiores possent; esset cur meritò magnorum liberis prima quæque in Republ. munia, etiam reluctantibus, traderentur. Nunc cùm sola virtus sit quæ neque dari, neque accipi potest, & illa sola sit, quæ Ecclesiæ purpurâ vestiri mercatur; perfacilè quiuis videat, qui Ecclesiis præfici debeant. Amor, maiorum in Rempubl. ac Reges merita, vetus nobilitas, amicorum turba, fauor, gratia, magnorum affinitas, opes, morum elegantia, formæ venustas, lin-

Solius virtutis ratio in Ecclesiæ Prælatis habenda.

linguarum peritia, mollis elocutio, vestium nitor, & si quid aliud externarum rerum est, Principum ferè oculos obnubilant. quare suspecta hæc meritò esse debēt, vt, si solitaria sint, & virtutibus suis destituta, negligat. Sanè si fortibus factis ignobilis nobilem anteeat, si militari peritiâ; quis hunc non ignauo nobili, solâ natalium prærogatiuâ fulto, præferat, si saluam Remp. & exercitum volet? Eadem in omni hominū genere reperies, etiam inter plebeias artes. Quis sutorem, sartorem, fabrum imperitum perito; quis in liberalioribus pictorem, architectum, typographum indoctum docto; quis Poëtam, Oratorem, Historicum, Philosophum, Medicum, Iurisconsultum, Theologum ineruditum erudito, ob maiorum scientiam aut merita, anteponat? Quo maior delectus in Ecclesiæ Præsulibus adhibendus. nec sanguini quidquam dandum, aut gratiæ: virtuti, & illi soli est. Nunc in non vno regno, quasi per manus, de fratre in fratrē, inde in nepotem, aut agnatum, non dico de patre in filiū, itur. Eleganter Bernardus ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouētur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum magisterium. Et hoc quidem in initio. processu verò temporis paulatim insolescentes, docti sunt in breui vendicare altaria, subditorum marsupia vacuare, magistris nimirum in hac disciplina vtentes idoneis, ambitione & auaritiâ.* Elegantiùs etiam in illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia: Huic paruulo adhuc, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica iam beneficia prouida parentum sollicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi, vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè seruiuimus, vt ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra diuidatur hereditas. Illum Præpositus aut Decanus, vt sibi succederet, plusquam materno educauit affectu, in deliciis enutriens & delictis. ille dignus Archidiaconatu, vtpote filius Principis, magis autem si sit*

illi se meæ voluntati accommodent. Quid verò ad stabilienda regna consilia valeant, fortiter & verè Sallustius docet: *Omnia regna, ciuitates, nationes vsque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt. vbicunque autem gratia, timor, voluptas ea corrupere, pòst paullò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposita est.* Videant Reges, ne in consilium adhibeant, quos gratia, timor, voluptas, pessimum veri venenum, occupauit.

In statuendis verò condendisque legibus, Ferdinandum cognomento Catholicum prudenti prouidoque astu vsum narrant; solitum nimirùm per fidum aliquem suorum, rem lege firmandam in vulgus spargere, non vt ferendam, sed vt vtilem, & Reipubl. necessariam, quò certior de populi voluntate fieret: quam vbi placituram intellexerat, lege firmabat. vnde consequebatur, vt volentibus, quæ cogitauerat, imperaret.

CAPVT XXVIII.

Ecclesiis probatissimos præficiat.

ECCLESIÆ præfici curet, quos vitæ probitas, morum integritas, prudentia, rerum experientia, eruditio, pietas commendat: non qui deductum nomen à trabeis, & fastos recolunt purpuratos, & exesam senio nobilitatem, nec aliud. Quòd si cum opibus, imaginibus, præclaraq; memoria sui, virtutem relinquere maiores possent; esset cur meritò magnorum liberis prima quæque in Republ. munia, etiam reluctantibus, traderentur. Nunc cùm sola virtus sit quæ neque dari, neque accipi potest, & illa sola sit, quæ Ecclesiæ purpurâ vestiri mereatur; perfacilè quiuis videat, qui Ecclesiis præfici debeant. Amor, maiorum in Rempubl. ac Reges merita, vetus nobilitas, amicorum turba, fauor, gratia, magnorum affinitas, opes, morum elegantia, formæ venustas, lin-

Solius virtutis ratio in Ecclesiæ Prælatis habenda.

linguarum peritia, mollis elocutio, vestium nitor, & si quid aliud externarum rerum est, Principum ferè oculos obnubilant. quare suspecta hæc meritò esse debẽt, vt, si solitaria sint, & virtutibus suis destituta, negligat. Sanè si fortibus factis ignobilis nobilem anteeat, si militari peritiâ; quis hunc non ignauo nobili, solâ natalium prærogatiuâ fulto, præferat, si saluam Remp. & exercitum volet? Eadem in omni hominũ genere reperies, etiam inter plebeias artes. Quis sutorem, sartorem, fabrum imperitum perito; quis in liberalioribus pictorem, architectum, typographum indoctum docto; quis Poëtam, Oratorem, Historicum, Philosophum, Medicum, Iurisconsultum, Theologum ineruditum erudito, ob maiorum scientiam aut merita, anteponat? Quo maior delectus in Ecclesiæ Præsulibus adhibendus. nec sanguini quidquam dandum, aut gratiæ: virtuti, & illi soli est. Nunc in non vno regno, quasi per manus, de fratre in fratrẽ, inde in nepotem, aut agnatum, non dico de patre in filiũ, itur. Eleganter Bernardus ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouẽtur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum magisterium. Et hoc quidem in initio. processu verò temporis paulatim insolescentes, docti sunt in breui vendicare altaria, subditorum marsupia vacuare, magistris nimirum in hac disciplina vtentes idoneis, ambitione & auaritiâ.* Elegantiùs etiam in illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia: Huic paruulo adhuc, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica iam beneficia prouida parentum sollicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi, vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè seruiuimus, vt ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra diuidatur hereditas. Illum Præpositus aut Decanus, vt sibi succederet, plusquam materno educauit affectu, in deliciis enutriens & delictis. ille dignus Archidiaconatu, vtpote filius Principis, magis autem si sit* Epi-

Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est episcopata progenies. alius vndique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, dissimulat, miseráque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inueniuntur exposita. nimirum peregrè profectus est, sed in plenilunio fortè, vt sua districtè repetat, rediturus. Quis eâ intentione gradus Ecclesiasticos quærit, vt suam pariter ac proximorum operetur salutem? Honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari, & superbire, & huic sæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini: Regnauerūt, & non ex me, principes extiterunt, & ego non vocaui eos. Vbi timor Dei? vbi mortis memoria? vbi gehennæ metus, & terribilis exspectatio illa iudicij? Quid? quòd matrimonia contrahuntur spe futuri in sobole Episcopi aut Abbatis, & ante matrem filius præprouidâ destinatione Episcopus est, fulgetq; votiuâ purpurâ, cuius adhuc patrem mater ignorat. Maritanda nimirùm Episcopi fratri, vt Episcopi mater fiat; aut Abbatis, vt Abbatem noua nupta lactet, beetque fæcundetq; patrem, Episcopi aut Abbatis mater. Fortunata mater, quia Episcopi soror; non futura Episcopi mater, nisi fratrem, aut sanè patruum aut auunculum nacta Episcopum foret. fortunatus filius Episcopi consanguineâ natus; nō futurus Canonicus, Abbas, Decanus, Præpositus, Episcopus, nisi tali matre natus esset. Neque enim aut paritura illa talem, aut nasciturus hic talis esset, nisi patruum numeraret Episcopum. scilicet vt cælestes stellæ steriles, influxu suo fæcundant terras: sic patruus Episcopus neptis suæ partū. hoc solo nomine Episcopatu dignus, quòd Episcopi nepos; non futurus dignus, nisi Episcopi nepos esset, aut neptis mater.

Praua multorum regnorum consuetudo in Ecclesiæ Præsulibus statuendis.

Nec satis erat virum viris, feminā nasci feminis; mulieribus vir, viris mulier nascitur; & viris mulier Abbas imperat, mulieribus Abbatissa vir. quo enim alio nomine vtrumque designem? sed & matrimonio iuncta Monachis Abbas imperat. Olim sine puerperijs æterna successio erat, nunc, ne quid

illi

illi desit, matrimonio femina Abbas iungitur, vt Monachi non fiant, sed nascantur. Imperare etiam virgo viris discit, & leges dare, quas non didicit, non vidit. Alibi Abbatissa vir audit. ô non audiat maritus, non pater, & illæ matres! Fæcunda culpæ sæcula. quid reliquum?

Ecclesiæ dignitates transire in filios periculi plenum est.

Irrepsit nescio quæ, & occupauit non vltima regna consuetudo, vt parentum merita transeant in filios. Inter aulæ & regni proceres, inter togæ Principes, militiæ Duces aliquis numeratur, cuius virtute, fortitudine, consilio Respub. stetit. numerosa huic soboles, & obstrictum se parentum obsequijs Rex arbitratur, nec irremuneratum filium vult abire. è regio ærario graue est: ex Ecclesiæ remuneratio fit. Hunc proinde Canonicum, illum Abbatem, tertium Decanum, quartum Præpositum, quintum Episcopum, meritorum parentis præmium statuit. Munificus nimirùm Rex est. nec virtus hîc prouocat, sed sola parentis merita. tanquam si quis ineruditus, docto alieno calamo, eruditus audiat: imperitus pictor magni pictoris penicillo peritus habeatur. At spes est, non indignos muneribus fore. Quis aurigam, nauclerum, pistorem deligat, quis culinæ suæ coquum spe futuræ aliquando peritiæ? peritos deligimus, nec nudâ futurorum spe, nec parentum industriâ, in delectum ruimus. Eadem videas in omni omnino hominum genere. nemo in delectu, maiorum, sed peritiæ rationem habet; etiam in ouium pastoribus, aratoribus, vinitoribus, hortulanis, stabularijs, piscatoribus. Soli non rarò Canonici, Abbates, Decani, Præpositi, Episcopi periti nascuntur. tanquam non fiant, sed Ecclesiasticis nati dignitatibus sint; & imperare in re omnium maxima, omnium difficillima sciant, qui nullius imperium passi sunt; eaque doceant, quæ nunquam didicerunt, ac ne viderunt quidem. quasi materna vbera Decanare aut Episcopare docuerint, & à lacte didicerint, quæ viri docerent. Docta ô nimis vbera, in quibus Episcopalis erudita est infantia! felix vterus, in quo tota Episcopata, Decanata,

Præpositata, Abbatisata, Canonicata est progenies!

Videant Reges & Principes, quomodo Deo, Ecclesiæ, suis suorumque animabus satisfaciant. infortunata conditio, ob fratrem vel nepotem, ignibus fors adiudicari æternis: tot animas perire, & in illis non rarò Regem: non dico Episcopum patruum, aut togatum aliquem, aut purpuratū patrē. Non addam plura, & nescio quis mihi in aurē: Caue,

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Cui nihil habeo quod reddam, nisi ab eodem calamo:

Iustum, & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ.

Non sileo hîc tamen Isidorum: *Cognoscant Principes sæculi, debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per Principes fideles, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.*

Theologi, an Iurisconsulti præficiendi Ecclesia dignitatibus.

Quòd si petas, quid sentiam, Theologi, an Iurisconsulti Ecclesijs præficiendi. Quid dicam? tenera hæc res est, & multorum inuidię exposita, & odio grauida. Hoc dicam, ex vtraque scientia natos viros magnos, orbis miracula. neque damnare possum, si Ecclesiasticis conuentibus ordinis vtriusque præstantissimi intersint, Iuris quadam ac Theologiæ mistura. & nescio quomodo è docta varietate maior venustas exsurgat. Et sanè Iurisconsulti integritatem nudæ Theologi eruditioni anteponendam putem. Theologum verò, quem vitæ probitas, rerum cognitio, prudentia, multorum annorum experientia comparata, in aduersis fortitudo, prudensque zelus ac pietas ornat, regendis inprimis Ecclesiis idoneum arbitror; maximè si hæresis inualuerit, si conuellendæ opiniones falsæ, si stabilienda fides, eoque magis, si non omni

ni Iuris legumq; cognitione destituatur. Vniuersim interim dici potest, è quocunq; genere statuantur, viros ætate maturos, pietate, probitate, morum integritate claros, & à primis annis Ecclesiasticis functionibus assuetos, Ecclesijs præficiendos, ne discere cogantur, cùm docere debeant. Eoque maior in hoc delectu ratio habenda, quòd corrigi error non possit, cùm hæc ferè dignitas non nisi cum vita ponatur. Felicem in delectu suo vidimus ALBERTVM: qui cùm seuerissimus in illo esset, prudens, maturus, serius, tum fortunatissimus audiebat. singula scrutabatur, anteactam vitam, præsentes mores: è quibus spem timoremque futurorum colligebat. nihil assuetus hic generi, nihil nobilitati, sed soli virtuti dare, è qua supra vota plerumque eueniebant. Felicitati hæc quidam, pietati alij, plerique prudentiæ tribuebant, sapientiores iunctim omnibus: cũ in omni delectu illius, tria hęc elucerent. nec, quod magnum, frustratum aut pœnitendum illius vnquam in magnis muneribus vidimus delectũ.

Nullus verò certior delectus, magni Dei, cuius nunquam frustratoriæ designationes; & semper magnum aliquid à magna illa manu. ita Moysem, Aaronem, Iosue, aliosque in illo populo reperias. At, ne fatigem notissimis chartam & lectorem, non egrediar magna Ecclesiæ lumina. quis in Magno Gregorio columnam igneam, in Fabiano & Innocentio Tertio columbam, in Gregorio IV. latebras, in Chrysostomo emissam cælitus vocem, in Nicolao Nicolaum, in Fulgentio insulam, in Cæsario sepulcrum ignoret? & frustra fugam, prodente qui delegerat Deo? Non inferiora fòrs illis ætas nostra vidit, Deus dedit; cùm Romanæ apes, præsagâ mellificatione, Pontificię coronæ, quasi propheticâ circumductione, tanquam naturali oraculo, in testationem quandam diuinatricis cuiusdam disciplinę, Pontificem quem cælo maximum acceperant, terris maximum designarunt. qui vt vitæ integritate, ita ingenio, eruditione, dictis, obitisque in Italia & Gallia muneribus, clarissimus, eaque in omnibus fa-

VRBANVS VIII. *Pontifex Maximus.*

ctorum felicitate, vt fortunatiora ſperare vix hominis, perficere nullius, niſi præſenti in omnibus magni Numinis auxilio foueretur. qui cùm auguſtâ ſuâ Vrbem pręſentiâ, tum orbem vniuerſum, non minore ſpe quàm implet nomine; vtrumque excelſi animi magnitudine, vt Regibus natũ; modeſtiâ, vt priuatum; prudentiâ, vt æternùm imperaſſe; affectu, vt patrem; comitate, vt infra; maieſtate, vt ſupra tiaram arbitreris. Veriſſimæ, Vrbis, Italiæ, orbis deliciæ. quẽ imitari plurimi concupiſcant, nemo poſſit. Doctorum vbique virorum amator, propugnator. ne mireris. non poteſt ab omnium eruditionum diuite bibliotheca, à qua nihil in omni ſcientiarum genere petas quod docere non poſſit, aliud ſperari. vt meritò, quidquid nunc orbe doctum toto, magna ſub tam magno Mæcenate ſperare poſſit & debeat. Neque quemquam terreat prima poſt cælos maieſtas, ſupra quam aſcendi non poteſt: nemo enim potentiam illius experietur niſi aut periculorum excuſſione, aut damnorum reparatione, aut dignitatum acceſſione & clementiâ: vt nihil potuerit doctis probiſque omnibus, voto concipi maius, aut ſpei felicior reſpondere euentus. neque enim inuenies, quem aut maior in vtraque facundia dictionis elegantia veſtiat, aut qui pronior profuſiorque in omne litteratorum genus ſit. à quo vno tantum abeſt vt turpe ſit vinci, vt vincere nefas foret, glorioſum vinci ab eo, quem Deus & virtus ſupra omnes extulerunt. Gaudeat Italia, in hoc vno conſecuta, ne aliorum calamis vinceretur, vel externam prudentiam depoſceret, quique iam antè didicit, quod docere nunc tutò poſſet. gaudeat orbis parentem conſecutus; qui iam inde à prima ætate in appetendis honoribus verecundiſſimus, in gerendis moderatiſſimus fuit, vt qui illos omnes admitteret potiùs quàm ambiret; animoq; æquiſſimo, quod alieno arbitrio aſſumpſerat, deponeret. Nemo ſanè hoc vno gloriam minùs, aut eruditionem & probitatem magis concupiuit, vt nullus vereri illius magnitudinem debeat, quam huma-

humanitatis manibus figulatam scimus. In ijs timeri amplitudo debet, qui ex suo arbitrio illam vt pararunt, ita retenturi pari arte & conatu videntur, modumq; in armis habent. hi ferè sunt, qui ad summum decus audent, quod nemo auderet bonus, perficiunt quæ nullus nisi auidissimus & audacissimus posset; in conatu temerarij, in exequendo non rarò felices, vt quibus temeritas in gloriam cedere soleat. ita quæ pessimo, ac propè nullo exemplo audent, fortiter exequuntur: quanquam perrarò temerarijs conatibus, fortunati, aut non pœnitendi, respondeant euentus. si tamen responderint, ad vltimum temeritati felicitas non sufficit. At in communi hoc omnium parente sperare summa omnia meritò possumus. Et inuiderem sanè tibi Roma VRBANVM, vt Chrysostomus Petrum & Paullum, magis quia Octauum, qui numerus Ambrosio spei & virtutum perfectionem designat: nisi scirem non Romanis tantùm VRBANVM, sed omnibus parentem esse; nomenque hoc Magnum non vni vrbi, sed omnibus destinatò delegisse. Et nescio quid non magni, VRBANI nomen spondeat.

Primus, martyrio nobilis, meliore Romam Pontificiamq; Sedē purpurauit purpurâ, quâ quâ ab illa purpuratus fuerat.

Secundus, scriptis clarissimus. magis etiam quòd de eo meritò dici possit: *Nec Romula quondam*
Vllo se tantum tellus iactauit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, inuictáque bello
Dextera!
quâ propellente factum, vt septingenta Christianorum peditum millia, equitum millia centum, Godefrido Bullonio duce, Palæstinam peterent, non felici magis euentu, quàm memorando conatu.

Tertius, nescias pietate an animo maior. qui captæ à Saracenis Ierosolymæ cùm superesse nollet, ad meliora à Deo rapi precibus meruit. dignior qui diu orbi præesset, quàm orbis qui diu hoc potiretur.

Quartus, generoso & prudenti ausu, contra Manfredum Saracenorum copijs subnixum, crucem erexit, hostem pepulit, pacem Italiæ dedit.

Quintus, rarâ omnino virtute, & animi robore Vicecomitem Barnabonem incubantem Italiæ, & extrema Ecclesiæ minantem in ingloriam coniecit fugam.

Sextus, schisma tulit. Italiæ, Germaniæ, Hungariæ manibus vicit, priuati publiciq; Iuris peritissimus, & Sede dignus, & Sedes illo.

Septimus, vir omnino magnus pietate, moribus, eruditione: de quo illud credas vaticinantis poëtæ:

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Esse sinent. —— *Manibus date lilia plenis,*
Purpureos spargam flores.

De VIII. taceo, si dixero illum esse, qui ab omnibus meritò eligi debuerit, & ex omnibus Vrbanvm. O emortuæ meæ litteræ! viuetis: cùm in hoc vno diuinitus dato, non virtutes tantùm, sed litteræ viuant omnes, quæ in singulis alijs vllo sæculo vixerunt. sperate. tempus hoc cælo concessum, in quo sub doctissimo Pontifice, docti indoctis imperare possent.

CAPVT XXIX.

Non conferat in vnum prima, aut plura regni munia.

Æmvlationem hæc prouocant. prosiliunt exinde odia, quæ solo plurimùm ferro & sanguine ponuntur. Augustus publica munia solebat diuidere, ac noua etiam excogitare, vt, cùm pluribus benefaceret, plures obstrictos teneret. In vnum verò omnia prima regni contulisse, dominum propè delegisse est. noli mi Princeps, ne, dum plures orientē hunc solem venerantur, occidas: &, cùm ab huius manu regia ferè beneficia fluant, hanc dexteram pro regia habeant:

cumque benefacere plurimis possint, deuinctos sibi arctiùs plurimos habeant, quàm vt regia illos dissoluat manus, aut salus; quorumque fidâ operâ vtantur, si dignum aliquid sceptro audere lubeat. nimis fidos administros & propugnatores beneficia faciunt, ac pro armis & ferro munera sunt. ne crede. Nemo adeò Regibus amicus est, qui sceptra negligat. negligit, qui habere cùm possit, non accipit: habere potest, quisquis potentiâ & gratiâ supra Regem creuit: creuit, cui prima quæque regnorum concredita, & per quem ferè dona & beneficia à regia nube depluunt. Et non huic parere dulce, cui obstrictos se sentiunt, quotquot regijs opibus & honoribus aucti? non est hoc, amare. est se regnumque perdere, cùm nihil huic desit præter nomen, & audaciam ad regnum. audebit verò, quisquis potest. nimis amica homini purpura, nimis in votis sceptra sunt. Se ergo regnumque in discrimen Rex conijcit, quisquis in vnum prima omnia conijcit. Merouæos qui nouit & Capetum, scit quid velim. Sed neque amat hunc ipsum, quem tot honoribus opibusque Princeps obruit, vt cuius vitam, omnium æmulationibus, odijs, ferro obijciat. adeò vt inter beneficia non putem reponi posse nimium hunc Principis in vnum affectum, cùm ferè ingentibus præcipitijs ingens hic fauor claudatur. Et sanè perpauci talium siccâ morte vitam finierunt. Quid? quòd non raro solæ opes & honores, sæuiendi caussam Regibus dederunt? Quo fit, vt nimij hi Regum amores metuendi magis sint quàm amandi, cùm rarissimè æternent, plurimumque in odia vertantur, securibusque ac fune finiantur. Plenæ omnes historiæ sunt: nec vllum propè sæculum fæcundius nostro. non tango notissima Germaniâ, Hispaniâ, Galliâ totâ. Hoc dico: prudens alieno exemplo, infida fortunæ munera, & inter risus ferrum ac præcipitia timet, exilia, vincula, sanguinem, populi furorem. Et sanè perraro diuturnant citò nata. nec ferunt ætatem, quorum accelerata magnitudo est: ferunt, quorum lenta & tarda est.

Periculi res plena vni prima regni munia committere.

Non

Non quòd nihil permittendum Principi in munerum largitione putem; sed ne vniuersa sua in vnum, aut perpaucos effundat. non faciet, si affectus suos rationibus temperauerit, si præteritorum meminerit. Scio discrimina in Regibus, vt in aliis, nasci à virtute & amore. illa nemo meritò damnabit: nam cùm suus amor virtuti debeatur, maiori maior debetur. Et ordinum etiam dignitatumque discrimina Regi tenenda sunt. quæ si confundas, nihil est ipsâ æqualitate inæqualius. pro virtutum ergo magnitudine dignitates erunt.

Non est tutum Regi ab vno suorum pendere.

Neque tamen has ita in aliquem effundat, vt totus ab vno pendeat. nemo Regum pædagogum admittit, nisi Regem velit. Rex est, qui imperat: non quem diadema vestit. admisit Rex imperantem? Regem admisit.

Quid? quòd, vbi regnum in vnius ius atque ditionem concessit, cæteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus audiunt; vni obnoxij. à cuius nutu & voluntate cùm pendere cogantur, aut toti in illum eunt Rege destituto, aut nascentibus odijs cum potentia, armis se in libertatem vendicant, potentiam euertunt, & simul regnum.

Odiorum caussa, plura in vnum conferre.

Neque vlla maior odiorum materia est, quàm cùm in vnum omnia conferri viderint. hinc in vnius caput doli & fraudes. Non succedunt? ad aperta decurrunt arma. Vt taceam regnorum pericula: cùm enim vni omnia committuntur, propior iam regno est. Et quid facilius, quàm amicos parare, & regiâ fortunâ vti augendæ potentiæ? Quid si ærario etiam imperet, quid vetat regiâ pecuniâ eos sibi obstringere, quos vetus nobilitas, noua egestas, audere docuit? ac promptissimum quemque manu & linguâ sibi iungere? primis etiam quibusque regni muneribus fidissimos sibi præficere? varios deinde regni proceres affinitate sibi connectere? quod vbi fit, quid ad regnum præter nomen deest? quid ad nomen præter audaciam? vt voluisse, occupasse sit. & quis non volet, cùm possit?

In plures ergo, qui saluum regnum volet, potentiam diuidat,

uidat, & pares ſtatuat plures. neque enim facilè in paritate dominatus exſurget. Scio modicis rebus æqualitatem facilè haberi: at vbi potentia creuit, difficilè paritas tenetur. Prudentis tamen Regis erit, vnius potentiam alterius potentiâ deprimere, vt mutuus metus mutuam potentiam teneat. quare nec munia, à quibus regni robora pendent, vni tribuet, aut pluribus quos ſanguinis neceſſitudo iunxit; maximè ſi inter illos aliquis ſit potentiâ, ætate, auctoritate reliquis maior. facilis enim ad hunc acceſſio reliquorum erit. *In plures prima regni munia conferenda*

Huc accedit, nihil propè magis noxium regnis eſſe, quàm ſi in paucos omnia Regum beneficia conferantur: nam & tales ſegnes ad obſequia redduntur, cùm nihil ſupereſt, quod aut Rex dare, aut illi ſperare poſſint: & reliquis ad fortia animus concidit, cùm viderint ad paucos omnia deuolui, nec virtuti, ſed affectui locum eſſe. Et dictum verè eſt: *Creſcere Principis potentiam, ſi plures potentiâ pares habeat, minoribuſque periculis regna exponi.* Quis enim audeat in paritate ſupra reliquos ſe efferre, aut de regno cogitare inter æmulam potentiam? aut quis prudens parium vota ſperet? nemo præferri ſibi parem patitur, vix ſuperiorem. Quare in magna opum & dignitatum potentia, extra metum & periculum Princeps erit. parium namque ſociorum timor manum, ferrum, animos continebit. nec quidquam ad reprimendum potentius, quàm metus à vicino.

Quid? quòd paritas æmulationem prouocet: æmulatio verò in officio ſingulos teneat. nimis enim ſolers & oculata æmulatio eſt. nihil patitur tectum, nihil inaccuſatum in æmulo. nullum etiam ſecretum æmulationi. gaudet proſilire, & felicitatis ſuæ magnam partem putat, ſi prodere damnanda & punienda in æmulo poſſit. Vnde fit, vt ex æmulantium ſtudijs, notiſſima omnia ſint Principi, mores, vita, molitiones, dicta, facta, ac cogitata propè. Nimis ingenioſa æmulatio eſt, abditiſſima ſcrutatur & eruit. *Paritas æmulationẽ parit. hoc regno vtilis.*

Plures proinde aſſumi, rebuſque præfici à Regibus velim,

pro regnorum nimirum latitudine, negotiorum mole. Ita tres Darium delegisse legimus, ad quos Persarum Satrapæ, Persici negotia regni deferrent. plurimos sibi Alexander Magnus à Dijs immortalibus fidos dari optabat. septuaginta Iethro monitu delegit Moses, qui in excipiendis populi controuersijs subsidio sibi essent.

Plures rebus admouendi, ne vno moriēte Rex auxilijs destituatur.

Ab vno metus, non à pluribus.

Et certè consultissimum semper habitum, plures rebus adhiberi, ne, vno pereunte, auxilio omni Rex regnumq; destitueretur. Quid? quòd in pluribus à mutua, vt antè tangebam, æmulatione, sollicitudo exsurgat maior, dum placendi crescit studium, fidemque per labores probandi. Nec metus à multis, ab vno esse potest. in officio mutuo se plures continent. In vnum si omnia conferas, audacia illi pro diademate & sceptro erit.

Vnus pluribus obeundis non sufficit.

Grauissimus verò Regum error est, vni plurima regnorum munia cōcredere. neque enim tam validus aut ferreus quisquam est, vt omnibus vnus sufficiat, vnus tam varia feliciter solus expleat. Non sumus Angeli, vt nulla nos negotiorum moles fatiget, nullis frangamur. Homines sumus. atteritur hæc caro, & liquescit. neque quas attulimus ad res arduas vires, spirituum beatorum more, referimus: delumbatas ferè, & deartuatas, & primæuo robore suo destitutas, referimus.

CAPVT XXX.

Gubernationibus quo modo prospiciendum.

PROVINCIARVM verò magnarum gubernatores, nec perpetuos velim, nec annorum multorum. Libertatis securitas, Mamerco dictatore, *si magna imperia diuturna non essent.* Fuit in eadem sententia Cæsar, cùm Præturam vltra annum, Consulatum vltra biennium non putauit protendendum. suo enim exemplo didicerat, quid magistratus prorogatio ad

ad occupandum regnum posset. Quo verò longiùs dissitæ prouinciæ,& exercitus in manu est,hoc amplius periculi est. posse & imperare nolle, vix huius sæculi est. Et quam facilè vir fortis militum animos sibi paret, ignorare nemo potest, dum æquat cum milite labores,obuio & fortuito vtitur cibo,veste habituque vix à gregario discrepat,segnes exemplo sæpiùs quàm pœnâ coërcet,magisq; illorum vitia quàm laudes dissimulat,prædisque suos onerat. ipse per omnia miles, si prædam excipias, nullo negotio militem fortiùs sibi obstringit,quàm vt rescindi nexus hic possit. Maximè, cùm in remotis prouincijs, plus illarum Præsidibus permittendum sit. Summa tamen primaque exercitus munia, regiâ voluntate conferri consultum fuerit. aliquos etiam fidos designari exploratores, qui dicta, facta, consilia studiosè rimentur, & periculorum Regem moneant.

Primæ exercitus munia regiâ auctoritate conferẽda.

In quo illud etiam obseruatu dignissimum puto, vt prouinciarum illarum propugnacula, priuatarumq; vrbium ac arcium, à solo regio imperio pendeant. cuius solius voluntate præficiantur, qui imperaturi locis illis sunt. Magnæ hæ habenæ prouinciarum Gubernatoribus sunt. & obstricti regio beneficio priuatorum locorum Præsides, non facilè pro Gubernatore in Regem armabuntur.

Prouinciarum propugnaculis a Rege, non alio præficiendi.

Caroli V. magni Imperatoris ad Philippum filium, prudens consilium est, ne gubernationes magnas diu sub vno capite pateretur. neque enim satis tutò magna imperia à Regibus diu vnius fidei committi, quòd animos continuatio suggerat, & audere multa supra priuatam fortunam, ipsa imperandi consuetudo doceat. gustata enim ab insuetis regnorum commoda, regna suadent. Et graue sanè videtur, ab imperijs, quæ ipsâ morâ quasi in naturam transierunt, ad nulla descendere, â summis fastigijs ad ima vallium. Nam licèt tutior in his ambulatio, placent ferè tamen magis speciosa in sublimibus pericula. securitatem in plano negligimus, intuta præcipitia amamus. Sed & prospectus è

Gubernationes magnas diu vni non esse committendas Carolus V. monet.

montibus diuinum, humanum è vallibus referre videtur. amplectimur proinde magis pendulam, & ipsâ magnitudine sui dubiam magnitudinem, & quasi è sublimi inferiorum calcationem; nec montium interim præcipitia, vt nec vallium securitatem intuemur. tanquam si venenarius calix peregrinitate suâ delectet. de raritate enim desideria crescunt; certiora, quia vsu iam plebeia, cõtemnimus. Suadebat idem Imperator, ne facilè primis regni sui illa munia committeret, ne, quo nascendi prærogatiuâ propiores regno sunt, hoc audentiores essent. tutius talibus augustas credi legationes, honorum & sumptuum plenas, in quibus & periculi nihil est, & de opibus etiam, dum regiam suamque tuentur dignitatem, aliquid decederet. ne nimia potentia supra priuatam fortunam eos extolleret. Mediæ verò fortunæ hominibus, quos nec domestica, nec amicorum potentia iuuaret, tutiùs gubernationes magnas committi.

Prouinciarum regno connexarũ perpetui ne sint Gubernatores.

Sed neque connexarum regno prouinciarum perpetuos velim Gubernatores. neque enim consultum est, prouincialium animos tam potentes in Præsides affectus induere, vt præter regium nomen nihil his deesse videatur, nec nisi per horum manus regia ad eos beneficia veniant. cùm non immeritò Regibus suspecta nimia suorum potentia esse possit. quo certior tutiorque regno, frequens mutatio erit.

Videat Princeps quibus regni propugnacula cõmittat.

Videbit etiam Rex seriò, cui regni sui propugnacula, hostibus vicinisque Regibus limitanea, committat, cùm ab his regnorum fortunæ pendeant. Hos etiam nolim perpetuos. ne, si qua fortè inter hos & Regem offensio nata fuerit, vicinorum Regum animo subeant cogitationes, & propugnacula in terrorem vertantur. Atque his interim à regia manu substituendus aliquis, qui absentium vicem gerat. quem expediet regiâ munificentiâ in officio & fide contineri: & à regia, non à Gubernatoris liberalitate & affectu totum pendere. vt habeat hic, quem vereatur: domesticumque molitionum suarum testem æmulumque, iisdem mœnibus inclu-

clusum videat; non sanguine, non affinitate sibi iunctum, non beneficijs obstrictum.

Propugnaculis verò eiusmodi limitaneis de omni commeatu bellico domesticoq; prospiciat, nihil adeò vt deesse illis patiatur, etiam in summa pace, quod ad hostilem anni vnius obsidionem perferendam necessarium sit. Benè firmasse, benè prospexisse, benè sibi & regno consuluisse est. Nec annus labatur, quin virum fide dignum, rerumque talium intelligentem, lustrandarum rerum omnium caussâ submittat, illumque non inferiore aliquo sociatum.

Propugnaculis de commeatu prouidendum.

Maximam verò maritimorum locorum curam habeat, à quibus ferè regnorum incolumitas pendet, quæque obuia magis, & oportuna hosti inferendisq; damnis sunt, & difficilem terrâ marique oppugnationem sortiuntur; cùm neque maria claudi possint, & facilis hosti aditus, & expedita quiduis suppeditandi ratio sit, & impediendi ardua.

Maritimorum locorum maxima cura Regi habenda.

In quibus prouidendum, ne loca hæc maiore præsidiario milite impleat, quàm propugnatio deposcit. impedimento enim sibi, & grauis, multitudo est, locorum angustijs arctata. nec vltra commeatum miles admittendus. Peccatum in hoc genere his bellis ciuilibus non semel est. & solo milite, nullo sanguine fuso, nullo dato, inuictæ in illam diem vrbes in hostium potestatem venerunt. Excludenda dein ab his locis imbellis multitudo, quæ animos adimere militi solet, & non minimam commeatus partem, fructu nullo absumere.

Nimia præsidia sæpè propugnaculis noxia.

Dabit etiam operam, vt, cùm in omni acie & loco benè miles armatus prodeat, tum in regnorum propugnaculis maximè. benè enim armati, beneque compositi pauci, pluribus inermibus, incompositis, & imparatis, & inassuetis ad arma, potiores sunt. Exercitatissimos proinde, armisque assuetos regnorũ munitionibus præficiet, non Duces modò, sed & milites.

In propugnaculis regnorum bene armari militem oportet.

CAPVT XXXI.

Bella non suscipiat, nisi necessitas cogat.

Bella sine caussa suscepisse, semper nocuit.

PERPAVCIS, sine caussa suscepisse, inulta fuere. ac licet in nonnullis, quædam sub initium felicitas subriserit, funesto ferè exitu inauspicata hæc bella signarunt. Nicanor mihi testis, Bacchides, Timotheus, Gorgias, Apollonius, Lysias, Antiochus, Holofernes, Alaricus, Vitiges, Attila, Totila, Pyrrhus, Asdrubal, Hannibal, Xerxes, Cosroës, Crœsus, Crassus, Andriscus Macedo, Perseus, Iugurtha, Cimbri, Teutones, Mithridates, Tigranes, Syphax, Spartacus, Viriatus, Sertorius, Catilina, Antonius. Quæsierunt hi hostes, inuenerunt. & morte tandem infelici suâ & ingloriâ omnes propè temeritatem notarunt. Possem hîc plures ex omni gente, possem ætatis superioris & nostræ exempla referre. abstineo, ne perpetuo sanguine funestem hanc chartam. Neque ignota cuiquam Gallia esse potest, Germania, Bohemia, Hungaria, Italia. hoc certum, è centum bellorum motoribus, vix vni alteriue concessum, vt sine ferro aut veneno irent ad plures. Non solet Deus prosperare hos conatus. & ferè refugam videmus rerum naturam in iniquo ferro. Perpaucis verò improbitas sua impunita stetit, raroque in posteros transijt felicitas. Vni fors aut alteri è millibus læta fuere: reliqui, dum noua regna quæsiuerunt, alienis & suis exciderunt. Quid? quòd à minima sæpè manu, prouocata, & in arma ire coacta, maximi exercitus ceciderint? Abrahamus in trecentis decem & octo vernaculis quatuor Reges fundit. in trecentis Gedeonis, centum & viginti Madianitarum millia cadunt. Machabæi, quantula manus, quàm validos gentium variarum exercitus fundunt! Betulia, è minimis Palæstinæ vrbibus, quantos Assyriorum exercitus, Holoferne feminea manu obtruncato, cędit! quantos Persarum, non

vno

vno anno Græci! quantos Mithridatis, terrâ mariq́ue Lucullus! quantos Carthaginensium, L. Martius in Hispania! quantos Wandalorum Belisarius, Gothorum Narses, Saracenorum Catacalus, Russorum Ladislaus! Numantia, non mœnibus, non turribus cincta, quattuor nec amplius millibus pugnatorum, populum orbis terrarum viribus fultum, quindecim annis, sub varijs Consulibus, magnisq́ue exercitibus sustinuit: nec opprimi nisi à Carthaginis euersore potuit. Intuere Theodosium paruâ & imbelli manu in Eugenium & Maximum euntem, Heraclium in Cosroëm; Pelagium, Ramirum, Ferdinandum in Mauros. Paruâ hi omnes manu validissimos strauerunt exercitus. animos caussæ bonitas & necessitas addiderat. Quâ fretus Princeps, nō numerabit hostes, sed animos suorum; & audebit pro suorum regniq́ue incolumitate vitam ponere, gloriosiùs inter medios armatos hostes animam positurus, quàm ignauam & precariam vitam habiturus.

Quàm inuitus ad bella iuerit ALBERTVS, nimis orbi notum: quàm verò fortiter armis arma represserit, æquè testatum orbi est. Et quis non crederet totis suis prouincijs exscindendum, cùm hinc arma starent Gallica, illinc Anglica, inde tot propè Reges, quot Germaniæ Principes, inenodabili in religionis interitum fœdere iuncti; & omnium pænè gentium opibus, armis, milite, animis suffultus Batauus? Tot vno tempore, terrâ mariq́ue hostibus cinctus, stabat interritus. nec aliud interim oculis auribusq́ue insonabat, quàm hostile. Neque tamen tutatus se solùm, sed arma inferre vltrò est ausus, tutius arbitratus minitantem hostem aggredi, quàm exspectare; cùm ferè maiores inuadentium, quàm tutantium se animi sint. Video admirabundum Punico secundo bello exclamantem Florum: *O horribilem in tot aduersis fiduciam! ô singularem animum populi Romani! tam arctis afflictisq́; rebus, cùm de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diuersa respicere: cumq́ue hostes in iugulo per Campaniam Apuliámq; volitarent,* *me-*

ALBERTVS Austrius fortiter arma armis repreßit.

mediámque iam de Italia Africam facerent; eodem tempore, & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, diuersa per terrarum orbem arma mittebat. O populum dignum orbis imperio! dignum omniũ fauore, & administratione hominum ac Deorum! Et ego minore iure exclamem? O nullis auditam sæculis fiduciam! ô animum in Principe, humano maiorem! Cùm de prouincia sua non immeritò non semel dubius, deque salute sua suorumq; sollicitus staret; exercitum non magnum varijs temporibus annisque partitus, ausus fuit per suos absens in Italia pugnare, per Georgium Bastam in Transiluania, per Bucquoium Comitem in Austria, Morauia, Hungaria, Bohemia, per Marchionem SPINOLAM in Palatinatu, Iuliæ & Cliuiæ Ducatu, per alios in Westphalia, præsidia insuper valida Neapolitano regno transmittere; & prouinciam suam præsens, per quam omnium propè gentium hostes volitabant armati, prudenter, fortiter feliciterque tueri, consilio, manu. Macte animis Princeps Magne, non Romano tãtùm, sed orbis imperio dignissime. nulla te tacebit ætas. cùm mediam de Belgio tuo Galliam, Angliam, Germaniam hostes tui facerent: & hos sustinuisti, & omnium vbique audaciam repressisti, & imperio tuo, Catholicique Regis, & Austriacæ Domui prouincias, & erepta per summum scelus regna, adiecisti. Hæc qui faciat, non illum meritò primis orbe toto Regibus & Imperatoribus conferam? Non fuit maior Belgio dies, quàm quo te Principem patremque accepit. Non fuit tristior, quàm cùm tecum insepultum marmori iacuit.

O quis ALBERTOS orbi Principes omnes largiatur, qui nunquam in bella eant nisi prouocati; nunquam arma norint nisi irritata, nullum ferrum nisi inimicâ incude procussum! felicia regna, quibus aut ALBERTI imperent, aut illis similes! Nobile huius rei exemplum in Theodosio apud Aurelium habemus: *Bella non mouit, sed inuenit.* & in Hadriano apud Cassium: *Nullum ipse bellum mouit; quòd si motum erat, composuit.* Dignus Christiano nomine, & qui ALBERTVS dici posset.

posset. O multissimò omnes tales! non gemerent tot Christianorum myriades sub barbaro Turcico imperio. nunc, dum mutuis cadimus telis, mutuis prouinciæ ardent flammis, & in Christiano iugulo Christianum sæuit ferrum, nudum latus barbaris obijcimus: qui solis Christianorum odijs tutò dominantur, & orbi propè imperant exarmato. Non facerent si ALBERTI omnes moribus essent. de quo, quod de Flauio Claudio Trebellius, dici potest: *In quo sic magnorum Principum bona fuerunt, vt non ab alijs exemplum caperet, sed etiam si illi non fuissent, hic ceteris esset exemplum.* Cùm in alijs virtutibus omnibus, tum in bellica moderatione exemplũ posteritati statui æternum ALBERTVS potest. de quo illud, quod de Maroboduo Paterculus, dici possit: *Gerebat se ita, vt neque bello lacesseret, & si lacesseretur, superesse sibi vim ac facultatem resistendi declararet.* Nam licet nunquam nisi alienis armis ad arma compelleretur, semper tamen illa parata habebat.

CAPVT XXXII.

Quid faciet Rex, moturus exteris bella?

MOTVRVS exteris bella, vicinorum antè Regum animos paret, ne aut ad hostem, palàm, aut secretò deflectant, ne pecuniâ, ne consilio iuuent. Nihil verò in hac re consultius, quàm si eos, à quibus ferè regna pendent, obstrictos aut amicos habeat: aut sanè è primis illorum aliquos. munera quid non possunt? Limitanea etiam oppida milite, commeatu, propugnaculis firmata securitatem pollicentur, maximè cùm longiùs abducendus à regno exercitus. Quòd si Princeps ipse exercitus sui ductor fuerit, videat ne regno suo illum præficiat, qui imperare possit & audeat, qui potētiâ, qui gratiâ, qui bello clarus; & cui animus ad magna, & ætas imperio par, ingensque potentium amicorum turba, qui opibus & dignitatibus primi, aut è primis. Si filium ha- *Ante bellum quid faciendum Principi.*

Aaaa bear,

beat, tutiùs illi gubernacula credet. Fratri nisi probatissimo vix credet. ignara ferè fratrum sceptra sunt. Senatui potiùs supremo, quàm vni, regnum committet. à multis damna timeri non possunt, quæ ab vno possunt. nec facilè plures in absentem Regem insurgent. vnus, cui omnia regni robora in manu sunt, quid non audeat? Et ferè in multis aliqui sunt, quibus fides Regi suo stabit. nec tam facilè in vnam sententiam, aut caput vnum coalescunt plures. sed & æmulatio exsurgit in multis. in vno expeditiora sunt omnia. audeat tantùm. audacia illi pro muro & ferro erit. Et nil facilius, quàm vbi armaueris dextram, inermes reliquos opprimere, & fœdera cum vicinis Principibus, largis sponsionibus inire: munificentiæ etiam ostentatione, seueriorisque disciplinæ relaxatione, comitate, benignitate, perhumanâ vltroneâ compellatione, adeundi facilitate, maximam mortaliũ partẽm non magno molimine ad se trahet. Eò magis, quòd hominum plerique nouis ferè imperijs capiantur. veterum nimirùm fastidio, noua concupiscimus: & in spem etiam fortunatum ac dignitatum erigimur. melior semper piscatio in turbido est. Et sperare noua, noua imperia docent.

Domestica ante bellũ, quomodo statuenda. Consultum verò Principi fuerit bella in exteros moturo, vt ita domestica statuat, vt, si à vicinis remotisue regnis bella insurgant, habeat domi quibus sua tueatur. In quam rem magno illi subsidio erit, si quàm plurimos è suis habeat, qui ad omnem euocationem, sacramento Principi teneantur, solis quibus militant mensibus stipendiandos, aut sanè quibus quædam Principum dignitatum aut immunitatum largitiones pro stipendijs sint. Designandus etiam his militiæ Dux foret, sed firmatis regijs litteris, quarum resignatio supremo Senatui committatur, non nisi irruentibus bellis exequenda: vt sola hostilia bella Ducem hunc rerum ignarum aperiant. antè indicari nolim, ne meditandis factionibus tempus suppetat. sat proinde erit moneri, cùm imperium parare, nec metus ab hoste, nec temporis breuitas permittet.

Ad

Ad quod etiam iuuerit, ſi regij hi milites, non vltra hoſtiles conatus arma circumferre permittantur, aut ſtipendia

[illegible] Illud etiam probauero, vt, præter hunc belli Ducem, alius à Rege ſtatuatur, qui mediocri aliquâ manu à Rege deſignanda, in vicina hoſtilis regni loca iniurijs damniſque accipiendis commodiſſima, excurſiones faciat, & quanta poteſt maxima damna inferat, vt ab inuadendis alienis, ad ſua tutanda hoſtē auocet. Non magno milite hæc fieri poſſunt. Quòd ſi pluribus etiam locis hoſtiles hæ procurſiones fiant, licèt in ſolam prædam, incredibile eſt, quantum hæc ad ponenda arma momentum adferant. populi clamores, querimoniæ, preces, lacrymæ, cædes, prædæ abactæ, intuta itinera, commercia repreſſa, agrorum vaſtationes, villarum incendia, nobilitati illata damna, metus ab hoſte, audaciam reprimet, & conſilia mutare & arma coget. *In agrum hoſtilem excurſiones faciendæ.*

Addam, vt huic hoſti ſuo alium paret. ſpes prædæ, oſtentatum regnum, rei oportunitas, facilitas, vetera odia & iura reuocata, noua inuenta, quæ nunquam deeſſe Regibus ſolent, plurimùm valent, ſi per idoneos, & in perſuadendo fortes & cautos proponantur. Maximè ſi, qui plurimùm apud Principem illum poſſunt, cuius arma prouocamus, auro vincantur. Et quis regia ſpernet dona diuite manu porrecta? Nec deerit auro ſubactis ratio, Regem ſuum ſub honeſti ſpecie, in arma & ferrum impellendi; eo magis quo Regum ſuorum mores perſpectos habeant, ſciantque quibus prouocari poſſint, quibus ſoleant. *Hoſti alius hoſtis parandus.*

Denique auro vinci hoſtilis Regis, arma inferentis, purpurati poſſunt, & quotquot auctoritate, aut priuatis obſequijs, ſiue in toga, ſiue extra illam, plurimùm apud illum valent. quibus mille rationes aurum ſuggeret, vt à cogitatis, aut illatis iam armis pedem referant. *Auro primates hoſtilis Regis expugnandi.*

CAPVT XXXIII.

In hostilem agrum militem ducat.

In agrum hostilem, militem educere consultum.

FACTVM à primis belli Ducibus, Romanis, Græcis; ab Hannibale, Scipione, alijs. Et ferè maior bellum inferentis, quàm defendentis, animus est. Hinc illud Hannibalis: *Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audaciùs fortiusque pugnaturi, quanto maior spes, maiórque animus inferentis est vim, quàm arcentis.* Et res docuit, Trasimenus lacus, & infelices Cannæ, & tantum-non Roma subacta, si tam prosequi victoriam, quàm vincere Hannibal sciuisset. Hinc etiam illud Sulpicij Consulis ad populum: *Sed vtrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam accipiatis; hoc quantum intersit, si vnquam antè aliàs, Punico certè proximo bello experti estis.* Rationem Hiero Syracusanus reddit: *Vt hostes in terra sua bellum sentiant, minúsque laxamenti detur iis ad auxilia Hannibali submittenda.* Factum. & in Africam missus Scipio, cùm terrorem Carthagini intulisset, cedere Italiâ coëgit Hannibalem, de patria tuenda, non de aliena occupanda sollicitum. Quid? quòd animus in alieno ferè agro militi maior, spe fugæ nouorumque auxiliorum ademptâ. Est in hanc rem illud Taciti de Vitellianis: *Propinqua Cremonensium mœnia, quo plus spei ad effugiendum, eo minorem ad resistendum animum dabant.* Ita euenit non semel. fugæ oportunitas fugam suasit: & caussam receptui amicus ager dedit. Sed & vxores, liberi, parentes ex propinquo inuitant, & ad se vocant. Rariùs sanè in agro alieno, quàm in suo perijsse regna videbis. damna non semel in alieno acceperunt, in suo perierunt. Vt non immeritò apud Antiochum Hannibal neget, *opprimi Romanos, nisi in Italia, posse.* Exemplo hoc suo docuerat. arceri Alpibus, & armis poterat. nimiæ fiduciæ suæ, aut hostilis contemptus pœnas Romani dederunt.

In

In alieno ergo agro bella paranda, ducendusque miles in hostile solum, vt bellorum incommoda à te in hostem transferas, inimicâ oneretur miles prædâ, horteis pascatur hostilibus, exhauriat opibus inimicam prouinciã; vt hęc, cùm damna sentit, bella non amet, deposcat pacem, aut ab vltima rerum desperatione, plebem in Principes Magistratusque suos concitet, dum bellorum auctores in fortunarum suarum iactura detestatur. Nam si intra viscera hostem accipias, duplici malo conflictaberis: miles enim hostilis ac amicus, tuis erit ex æquo grauis. nam vt hostilitatem animo non circumferat tuus, factis nihilo benignior erit. nescit miles parcere. præda illi ex hostili, an ex amico agro sit, pro eodem habet; satis illi prædam esse. Quid? quòd hostis illi sit, à quocunque prædam sperare potest. Et quò mihi amicus animus in hostili facto? nisi quòd mitiùs ab hoste, quàm ab amico, fortunis exui feramus, & magis feriãt ab amica quàm ab inimica manu & ferro vulnera, altiusque illa in animum demittamus. Atque hinc popularium animos deiectos experieris, & seditionibus propiores. Quæ etiam in summa disciplina ægrè vitabis: semper enim ferè irrepit aliqua militaris insolentia è tanta hominum vndique affluentium colluuione. Quòd si in hostilem agrum militem duxeris, simul quidquid à militia malorum, in hostem transferes, abduces à tuis. quos faciles ad quæcunque militaria subsidia reperies, quamdiu militiæ ab illis mala auertis. gaudet enim minoribus malis, quisquis se per illa à maioribus eximi videt: nec mala illa arbitratur, sed bona, & vt amica amplectitur, per quæ grandia mala dispelluntur.

Quæ hinc commoda sequantur.

Non sim tamen auctor, vt militari libidini occupanda regna, prouincias, vrbes permittat. neque enim quidquam moderatum in milite. sæuire & perdere didicit, nec aliud. Prudentis proinde Principis est prouidere, ne, dum laxat fræna militi, commeatu destituatur exercitus. alliciendi potiùs agricolæ, & militari disciplinâ forti coërcendi milites.

Inhibenda tamen militaris petulantia.

Et quid imprudentius, quàm occupanda regna depeculatione perdere? militem contine. melius est diuiti prouinciæ præesse, quàm exhaustæ, & nulli, ne militi quidem, profuturæ. Quid? quòd è rapina, ferro, ignibus, in populo, quem subijcere conaris, nunquam-moritura nascantur odia. Atque hinc Romani non rarò, victas vrbes ciuitate donabant. æternas sibi volebant. facit amor è beneficijs natus. Ita vel ob solam pulcritudinem intactas seruabant, ne tot docta sæculorum opera momento perderent. ita Massiliam Cæsar, Alexandriam Augustus non passi sunt exscindi. tantum potuit in magnis his Principibus veneranda ciuitatum harum vetustas, elegantia, conditores. Scio non rarò, quas præsidio firmare non poterant, vrbes diruisse, aut munitionibus, vt hostilem potentiam frangerent, nudasse. factum à Mario, Corbulone, Didio, alijsque. illas etiam, quæ frequenti perfidiâ aut rebellione nobiles essent, excisas: delinquentibus in pœnam, reliquis in metum. sed & in prædam quasdam datas, hosti in terrorem, militi in laborum ac sanguinis præmiationem. factum à Cæsare, ab Acilio Consule, à plurimis. Perrarò tamen ad hæc veniendum, nisi regni tui bono, perditas vrbes velis & excisas. In his, non nego, ferro & ignibus sæuitum: memorem tamen etiam in his velim Principem humanarum rerum, & plus semper clementiæ spargere, quàm iustitiæ. laudatus à veteribus Corbulo, quòd per hostiles agros, villas, vrbes illæsas duxisset exercitum, ne spem veniæ auferret, & ex desperatione in ferrum ageret.

CAPVT XXXIV.

Adnitendum Principi, vt hostilia & suorum consilia ac molitiones intelligat.

AB hostilium consiliorum cognitione quo plura pendent, eo studiosiùs incumbendum Principi, vt illa nouerit. nec parcendum hîc laboribus, non opibus; vt, si vlla

in

in re profusio necessaria, hîc sit; cùm nobilissimæ ferè victoriæ ab hostilium consiliorum cognitione venerint, damnaque ab hac vna propulsata fuerint maxima, & in interitum, ni scirentur, regnorum itura. Vt ausim affirmare, maiores plerumque triumphos ab hostilium molitionum cognitiōne, quàm ab armis & ferro venisse: maioraq; damna ex hostilium cōsiliorum ignoratione, quàm è valido milite accepta. Magnus in his Alexander; nec scire tamen omni adhibito studio potuit, quid post suorum cædem Darius meditaretur, quid ageret, ac ne quidem per quę loca exercitum duceret, vsitato apud Persas more, Regum consilia tegendi. Miratus Alexander. laudauit. imitari voluit. Cæsar etiam, Germanorum Belgarumque, non tam virtute, quàm hostilium consiliorum accuratâ perscrutatione, victor stetit, cùm conatum illorum præueniret, & meditata arma antè frangeret, quàm parari tutò possent, & antè singulos inauditâ celeritate euerteret, quàm coalescerent aut in vnum corpus coirent. nimis etiam validi, vt Cæsarem pellerent, si iungere copias potuissent. Fuit in hoc non inferior Iugurtha, siue cùm sua tegeret, siue cùm hostilia consilia scrutaretur. Nec minor Hannibal: cuius victoriæ plus de anteprouido astu, quàm de virtute habuerunt. Sertorius sanè non aliâ ferè arte Romanam lusit, tulit, fregit potentiam, victorque Hispano milite Romanus Dux, contra Romanos stetit. Nec minùs laudatus Scipio, cùm Syphacis cōsilia noctu præuertit, flammaque & ferro meditata præscidit. Animos verò L. Martio, hostium post victoriam securitas dedit; audaciam ab hostili neglectu mutuatus, duos victores exercitus minore manu, quàm multorum postea Regum mensæ conuiuas caperent, prostrauit. Magnus etiam consiliorum Pyrrhi indagator Curius, magnus Hannibalis Fabius; & vterque iacentem restituit rem Romanam, cùm hostilem astum astu pellerent. Non inhærebo his diutiùs. plenæ sunt gentium vndique omnium vernaculæ Historiæ.

Magni semper Duces primam victoriæ partem in hostilium consiliorũ cognitione posuerunt.

De

Habeat Princeps à quibus suorum studia cognoscat.

De suorum studijs ac machinationibus, hoc dicam. Habeat apud se viros integerrimæ mentis & manus, quos nulla libido, nullus è propinquo sanguis, nullũ è remoto odium, nullum aurum, nullus speratus honor, nullus metus à vero bonoque auertat: qui prudenter & cautè in ciuium mores, dicta, facta, boni solius publici studio, perquirant: quique non nisi explorata & certa ad Principem deferant. Factum à PHILIPPO II. Hispaniarum Rege. Magnâ tamen hîc opus in omnem partem circumspectione. Nam & deferentes extra cuiuscunque affectus, amici ac inimici, suspicionem esse debent, & cùm facilis ad audiendum, ad credendum tardus sit Princeps, tardior etiam ad statuendũ. ac non nisi re compertissimâ quidquam statuet. cogitabit eos qui denuntiant, homines esse, falli posse. Et quoties oculis labimur! sæpiùs etiam auribus, animo sæpissimè. Neque tamen negligenda hæc sunt. reo interim pars melior seruanda. Consequetur Princeps his modis, vt nihil illum alieni, nihil regni sui fugiat. illud auro impetrabit, hoc fidorum denuntiatione. Vnde fiet, vt neque improuidus obruatur, neque imparatus hostem sentiat, neque ignarus periclitetur; neque scelera impunita, neque facta impræmiata maneant, neque in munerum erogationibus, neque in personarum delectu fallatur.

CAPVT XXXV.

Peritißimos deligat militiæ Ductores,

A Ducibus peritis omnis militia pendet.

CVM ab his vniuersa res pendeat. vt in vita Scipionis audeat magnus Historicus: *Tanti esse exercitum, quanti imperatorem, verè proditum est. sic, redacto in disciplinam milite, commissa acies: quodque nemo visurum se vnquam sperauerat, factum est, vt fugientes Numantinos quisque videret.* Et de Coriolano ex Romano Volscorum Duce: *Vt facilè appareret, Ducibus validiorem, quàm exercitu rem Romanam esse.* Et alibi: *Vt facilè conuenerit*

uenerit inter Romanos Latinósque, vtrius partis L. Manlius dux fuisset, eius futuram haud dubiè victoriam. Et sanè ijsdem militibus, quibus rem Romanam contra Iugurtham Albinus perdiderat, Metellus restituit, & fugere victorem docuit, vincere victos. Factum idem à Scipione in Hispania, à Pompeio, à Graccho, Pelopida, Epaminonda, ab alijs. Nec vni tamen perpetuò exercitum committet, ne agnoscere exercitus incipiat dominũ, non Ducem, & precariò Rex regnum teneat: cùm ille verè teneat, in cuius manibus robora regnorum sunt. cui si accesserit animus, cum Romanorum plurimis accedet regnum. nec quidquam facilius, quàm regno potiri, cùm exercitum teneas. Nimis magna & Reip. funesta apud Romanos documenta sunt; in Magno Pompeio, Cæsare, Sylla, Mario; Belisario, & Narsete sub Iustiniano; Stilicone, & Rufino sub Honorio & Arcadio. Cùm verò non rarò præficiendus aliquis exercitui sit, prima tamen militiæ munia Rex erogabit: vt obstrictos sibi habeat, non Duci; & sperare miles à Rege militares dignitates, & factorum in bello fortium præmia discat, non ab exercitus ductore.

Non perpetuò vni exercitum Princeps committet.

Vnum etiam, non plures exercitui pari potestate præficiendos, docet Liuius: *Tribuni militum consulari potestate quatuor creati sunt. quorum vnus vrbi præfuit, tres delectu habito profecti sunt Veios, documentoque fuere, quàm plurium imperium bello inutile esset; tendendo ad sua quisque consilia, cùm aliud alij videretur, aperuerunt ad occasionem locum hosti.* Vt verè dictum: Saluberrimum in administratione magnarum rerum est, summum imperium apud vnum esse. Apud vnum voluit esse ALBERTVS. etiam dum bella non vno loco arderent, vnius SPINOLÆ Marchionis ductu geri voluit, quæ vnius Regis ærario gerebãtur, quamdiu locorum vicinitas vnicum imperium permitteret. Videbat prudentissimus Princeps, non facilè sub diuersis Ducibus, mutuis quibus mutuo egebant subsidijs, succurri posse. nec vnquam in vnum ærarium conspiraturos diuersorum exercituum Duces. nec diuidi tamen

Non facilè plures pari potestate, vni exercitui præficiendi.

ærarium consultum esse: cùm pro varijs fortuitis rerum euentibus, nunc maiore hîc opus pecuniâ, minore alibi. & verti etiam has vices solere, & posse. sed neque facilè coalituros duos supremos militiæ Duces, si qua necessitas exercituum coniunctionem deposceret. nimis æmula de imperio potentia est. & perpaucos Nerones & Salinatores, plures Paullos & Varrones, prudens sciebat. quare tutiùs vnius, quàm plurium imperio Rempubl. & exercitum committi posse putabat.

CAPVT XXXVI.

Militarem disciplinam fortiter tueatur.

Stipendia res militaris basis.

DISCIPLINÆ verò militaris fundamentum stipendia esse Cassiodorus arbitratur. cuius hæc verba: *Disciplinam seruare non potest ieiunus exercitus, dum quod deest, semper præsumit armatus.* Hinc seditiones illæ militares, & funestæ à Rep. secessiones, in regnorum interitum natæ. O quoties his Belgium, militarium seditionum pila & lusus! Grauis omninò error. aut non scribendus miles, aut non proroganda stipendia. non scribere, & inermem prouinciam hostibus obijcere, fatuum; scribere, & prouinciam militi, quem scripseris, in prædam tanquam hosti exponere, vt vnde sperari salus, inde timeri hostilia debeant, non minùs fatuum est. Dabit proinde operam Princeps, ne stipendia, consueta prouinciæ vectigalia, & regnorum vires superent; ne aut prouincia nouorum vectigalium impatiens alium dominum circumspiciat, aut exhausta langueat viribus destituta, omni nimirùm meliore sanguine educto, quo regnorum valetudo bona roburque continetur.

Militaria stipendia regni vectigalia ne superent.

In hostili agro miles alendus.

In quo genere video primos quosque belli Duces seriò elaborasse, vt in hostili agro ex hostili præda miles aleretur. est in hac re illud Catonis: *Miles si strenuus est, ex hostico alatur, sin*

ſin ignauus, indignus nomine Romano eſt. Quid? quòd etiam non raro ſtipendia, aut integra, aut non poſtrema pars, ex hoſtili agro paretur, cùm oppidatim ac pagatim, pro facultatum ratione, certa pecunia militi numeráda exigitur. Quod non magno molimine fieri poteſt, ſi in hoſtili agro cuique domus ſua ſacra ſit, nec militaribus direptionibus prædiſque expoſita. Et ſanè, ſi militem, ſemel inſtitutâ ſeceſſione, ex amico agro tantum colligere videmus, quantum menſtruis militaribus ſtipendijs perſoluendis ſatis eſt, quis negabit eâdem induſtriâ in hoſtili agro vti poſſe?

Illud etiam in Hieroſolymorum Regibus ſolemne fuiſſe video, vt aulæ miniſteria partitis menſibus, primis copiarum Ducibus committerentur, ad eaque munia ij maximè vocarentur, qui cum imperio exercitibus aliquando præfuiſſent; idque, tum ad imperij maieſtatem, tum vt obſequi diſcerent, qui imperare didicerant, & exemplo reliquis ad parendum eſſent: tum quòd ab his exactior aulæ gubernatio ſperari poſſet, qui exercitui cum imperio præfuiſſent, vt qui militari aſſueti diſciplinæ, fortiùs certiuſque neceſſariam aulis diſciplinam indicerent, & tuerentur.

Iam, ſi primos quoſque omnium vbique gentium Duces intueamur, ſi res proſperè bello geſtas, maximam victoriarum partem è militari diſciplina relatam videbimus. Exemplis hoc ſuis veteres comprobarunt. Metellus in Iugurtha præit: qui poſt L. Calpurnium Beſtiam, & Sp. Albinum Conſules, poſt Proprætorem Aulum Albini fratrem, periculorum & laborum impatientem exercitum, linguaque quàm manu promptiorem, ex ſocijs prædatorem, ſolâ militaris diſciplinæ obſeruantiâ, prohibendo magis à delictis, quàm vindicando, Iugurtham Auli victorem ad preces coëgit, victumque exercitum, & ſub iugum miſſum, vincere docuit. De quo illud Salluſtij: *Tranſuerſis itineribus quotidie caſtra mouere iuxtà ac ſi hoſtes adeſſent, vallo atque foſſâ munire, vigilias crebras ponere, & eas ipſe cum legatis circumire: in agmine in primis*

Diſciplina militaris ferè victoriarum cauſſa.

modò, modò in postremis, sæpè in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur. vt cum signis frequentes incederent, miles cibum & arma portaret. pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, latè explorare, non priùs bellum attingere, quàm maiorum disciplinâ milites laborare coëgisset. Sequitur Scipio, qui post Hostilij Mancini apud Numantiam turpe fœdus, redacto in disciplinam milite, *fecit vt, quod nemo*, Floro teste, *visurum se vnquam sperauerat, fugientes Numantinos quisque videret.* Qui non ampliùs quatuor Celtiberorum millibus, quadraginta millium Romanorum exercitum, annis quatuordecim sustinuerant, pudendisq; fœderibus affecerant. Addit: *Tantum esse exercitum, quanti imperatorem, verè proditum est.* Tertio loco Lucullum & Pompeium statuo, qui solâ militari disciplinâ superiores, cætera inferiores, nobilissimos de Mithridate & Tigrane triumphos egerunt. Quarto Epaminondam, qui quatuor non ampliùs peditum millibus, equitibus quadringentis, quatuor & viginti peditum Lacedæmoniorũ millia, equitum mille quingentos, prostrauit. nec alia victoriæ caussa, quàm rara in Epaminonda disciplinæ militaris peritia. Quinto Alexandrum, qui quadraginta Macedonum millibus orbem cùm subiugasset, alterum quæsiuit, non tam robore, quàm veteri Macedonicâ disciplinâ seuerâ & acri. Sexto Græcos sub Cyro Minore, qui non totis quatuordecim millibus, centum barbarorum millia cecidere. nec alteri, quàm veteris disciplinæ militaris gloriæ victoria tributa. Et certè quamdiu in quocunque populo disciplina hæc stetit, stetit & victoria; cùm nulla re validiùs, quàm militari disciplinâ exercitus armentur, nullâ certiùs roborentur. Et semper triumphi populo Romano magis è militari hac disciplina, quàm è robore aut numero venêre. Atque hinc solemne illud, vt nullum diem militi otiosum permitterent, nullumque adeò Duces sibi ab opere vacuum. testis mihi in Valerio Liuius, in Pompeio Plutarchus, in Metello Sallustius; de Scipione, Mario, Catone, Cæsare, Antonino alij, quos

quos in aggeribus construendis, ac in fodiendo primos fuisse tradunt.

Non omitto hîc illud Lampridij in Alexandro Seuero: *Init Parthicam expeditionem, quam tantâ disciplinâ, tantâ reuerentiâ sui egit, vt non milites, sed Senatores transire dicerentur quacunque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant.* Addit pœnam: *Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subijciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnabatur.* Exemplo confirmat. *Cùm quamdam aniculam affectam iniuriis à milite audiuisset, exautoratum eum militiâ, seruum ei dedit, quòd artifex carpentarius esset, vt eam pasceret.* Quis non speraret sub hoc Principe victoriam? quis non amaret militem hoc ductore? Sed neque transeo hîc Aureliani apud Vopiscum mandata militaria: *Si vis tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum nemo exigat. annonâ suâ contentus sit. de præda hostis, non de lacrymis prouincialium habeat. arma tersa sint. stipendium in balteo, non in popina habeat. equum suum defricet. in hospitiis castè se habeat. si litem fecerit, vapulet.* Hinc natum illud, *vt militem qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuerit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdemq; subitò dimitteret, vt scissus ille vtrimque penderet.* Nec minùs nouitate suâ grauis pœna Opilij Macrini Imperatoris. refert Capitolinus: *Cùm quidam milites ancillæ hospitis pudorem deprauasse suspecti essent, & res constitisset; duos boues miræ magnitudinis viuos subitò aperiri iussit, atque his singulos milites inseri, capitibus, vt secum colloqui possent, exertis.* Illud etiam Cassij de Adriano Imp. ad militare disciplinam referendum. *Aliam ex alia prouinciam percurrens, regiones & vrbes perlustrabat, & in primis arces omnes vbique contemplatus, considerabat: quarũ alias loco magis oportuno transtulit, alias penitus subuertit. Omniaque illa simpliciter, non dico, quo pacto generalia & communia in exercitibus se haberent,*

sed arma, machinas, fossas, vallũ & mœnia, alia priuatim vniuscuiusque, & eorum qui in ordine militabant; statiua etiam & hyberna intueri & exquirere ipse volebat. exercebatq́; milites ad omnem speciem pugnæ, &, vt exemplo suo meliores & duriores redderentur, duro & aspero victu vtebatur. nam siue pedibus iret, siue equitaret, nunquam vehiculum aut quadrigas ascendit. caloris & frigoris iuxtà patiens: quippe qui etiam Alpes & Gallicas niues, & Ægypti calores capite intecto pertulerit. adeò verò peritos, & laborum patientes habebat exercitus, vt equites qui vocantur Bataui, Danubium armati transnauerint. Quis sub his ductoribus, sub hac militari disciplina, ipsorum Imperatorum exemplis confirmata, victorias non speret? vt nunquam mihi nouum, tot victorijs claros plerosque primos Romanorum fuisse, cùm & disciplinæ militaris seuerissimi obseruatores, & pertinacissimi semper laborum, & inimicissimi luxus & otij, fuerint. *Sic agrestes Curij, sic veteres Coruncani, sic nomina reuerenda Fabricij, cùm inducia bella suspenderant, inter aratra viuebant: &, ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Iouis Capitolini laureis, triumphales viri rusticabantur. Inde est quòd accepimus, datos ferentibus fasces, & missas cum currulibus suis per rura palmatas; quòd agricolas consulares, pastoresque trabeatos, & Dictatores inter armenta vestitos.* imitari si non pigeat, non deerunt triumphi. Addo illud Pacati de Theodosio. *Ne tum quidem, cùm in altiorem prouectus gradum, iubere tantùm, & diuidere cum negotijs otium, & partâ gloriâ, velut reposito frui posses honore, operam remisisti; quin omnium castrensium munerum numeros primus aut cum primis obire, stare pro signis, excubias sorte agere, vallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere; dux esse consilio, miles exemplo.* O quis sequatur! exurget nouus terris Theodosius, quisquis Theodosium secutus fuerit, quisquis Traianum. de quo illud: *Cùm tecum inediam, tecum ferrent sitim, cùm in illa meditatione campestri, militaribus turmis Imperatorium puluerem sudorémque misceres, nihil à ceteris, nisi robore & præstantiâ differens; cùm libero Marte,*

nunc cominus tela vibrares, nunc vibrata susciperes; alacer virtute militum, & latus, quoties aut cassidi tuæ, aut clypeo, grauior ictus incideret. Sequere Princeps, & summa omnia voueo.

Et certè militari semel disciplinâ remissâ, nihil speres, præter latrocinia, & scorta, & valentiorem in amicos quàm in hostes animum: exinde ignauia, & totis socordia castris, oratio fortis, validæ linguæ, ignauæ manus, in agrestem turbam ferrum, ferocia & crudelitas in exarmatos, timor in armatos, quorum nec vultum, nec vocem sustineant. aspera, & dura, qualia bellorum omnia, inimica socordiæ, amica mollia. hinc longæ noctes, deliciæ in epulis, luxus in veste, graues vigiliæ, sudor, qualis ignauis, inter epulas & scorta; in agris vastandis, villis expugnandis, pecoribus abigendis fortes, cætera inualidi, fugæque quàm bello aptiores. accedit in Duces suos insolentia, cùm omnis imperij impatientes, seditionibus propiores quàm bellis sint. Ab hoc hominum genere quid speres? infelices nimirum regnorum exitus, prouinciarum excidia, & antè in Duces & Reges ipsos, quàm in hostes arma. Vt ego longè decem armatorum millia, veteri Romanâ aliquando disciplinâ instructa, centum armatorum millibus militari disciplinâ exsolutis, præferam. Neque enim satis est numerum & vires adferre: labascunt hæ ac diffluunt, si disciplinam solueris: imbelles contrà artus solâ militari disciplinâ exercitâ, indurescũt. Hæc verò è Ducis prudentia ac vigilantia nascitur. Atque hinc verum illud semper, validiorem ceruorum exercitum duce leone, quàm leoninum ceruo duce esse. tantùm Ducis prudentiam, quæ in militari maximè disciplina elucet, valere primi orbe toto bellatores iudicarunt.

Mala à disciplina militaris neglectu nata.

Disciplinæ proinde militaris seuerum custodem Regem esse velim: terrori hic, etiã paruâ manu, erit hostibus, suis admirationi, & in delicijs; cùm regnorum felicitas, agrorum, vrbium, villarum, ab vna seria in omnem partem militari disciplina pendeat. Et sanè damni minus, centum millium

Seueriore disciplinâ continendi milites.

exer-

exercitus, sub vigili Duce & disciplinæ tenaci, quàm trium millium, sub indulgente, & disciplinæ laxioris dabit. imò, quo maior exercitus, Metelli alicuius, Æmilij, aut Scipionis manibus eductus, hoc plus ad prouinciales emolumenti accedet. & gaudebunt etiam inassueti militiæ, militem talem admittere, quem non vt hostem, sed vt socium, propugnatorem, in paruo contentum amplectentur, lucrum pro damno referentes. Vbi enim disciplinæ sua stabit integritas, & stipendiorum militarium, sine quibus illam nequidquam speremus; emolumenta à milite speranda, damna metuenda non sunt. Incumbat ergo omni studio & conatu militari disciplinæ quisquis militiæ præest, quisquis regno; & spondere triumphos audeo, & aliena regna.

Non taceo hîc nobile factum ALBERTI Principis, omnium meritò calamis, omnium ore laudandum. oppugnabat Ostendam memorandâ omnium propè retrò sæculorum oppugnatione; in qua vna supra centena vtrimque millia desiderata narrantur. & vetuerat, ne quis certos limites trãsiret, qui fascem aggeribus valloque componẽdo non detulisset. Fors gregario Belgico militi loci illius custodia obuenerat: meditabaturque transitum ALBERTVS ipse sine fasce. negabat miles cuiquam se inonusto transitum permissurum. Blandè inde militem compellat Princeps, transitumque concedi sibi deposcit. perstat in negando miles, fortior etiam in rogando Princeps. stetitque exinde inter Principem & militem contentio, inter blandas illius preces, & fortes militis negationes. cùm tandem ALBERTVS oneratus fasce transitum impetrat: simulque amplè collaudatum militem, insigni stipendiorũ auctario donat, quòd pro militaris disciplinę legibus, & Ducum suorum imperio fortiter stetisset, nec pepercisset Principi. Factum magno Principe dignũ, & disciplinæ militaris sanctum documentum, magno Alexandro & Cæsare dignum, quod imitentur exercituum Ductores. Et sanè quid non meritò sperent regna militari disci-
plinâ

plinâ instructa? vt non iniuriâ Valerius de hac dicturus, præmittat: *Venio nunc ad præcipuum decus & stabilimentum Romani imperij, salutari perseuerantiâ ad hoc tempus sincerum & incolume seruatum militaris disciplinæ tenacissimum vinculum: in cuius sinu & tutela, serenus tranquillúsque beatæ pacis status acquiescit.* Tranquillus nimirum Rerumpubl. ac regnorum status, in vna militari disciplina, tanquam inconcussa rupe, inædificatur. Non serij modò, sed & seueri, ac propè crudeles in hoc genere Carthaginenses. à quibus *Duces, bella prauo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta fuisset, cruci suffigebantur, quod benè gesserant, Deorum immortalium adiutorio; quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes*. Nihilo Carthaginensibus seueritate inferiores Romani. exemplo P. Rupilius in genero suo, C. Cotta in P. Aurelio sanguine sibi iuncto, Papirius Dictator in Q. Fabio Rulliano equitum magistro, L. Calpurnius Piso in C. Titio equitum præfecto; Q. Fabius Maximus, Superior & Inferior Africanus, & L. Paullus in transfugis militibus, L. Quinctius Cincinnatus in L. Minutio Consule, Q. Fuluius Flaccus in Fuluio fratre; &, quod magis stupescas, A. Postumius Dictator & Manlius Torquatus Consul in filijs; populus etiam Romanus in eis qui apud Cannas Rempubl. deseruerant.

CAPVT XXXVII.

Pacis iuxtà ac belli tempore exercitum alat.

NEc bellorum tantùm tempore, sed nec in alta suorum pace deponet arma, siue in tutelam sibi suisque, siue in terrorem hostibus. quæ res ad augendam maiestatem, hostibusque metum incutiendum plurimum semper valuit. Nec numerosis tantùm peditum equitumque copijs regnum firmet, sed & validis classibus maria constrata habeat.

Semper militem paratum habeat Princeps.

qua in re priuatis etiam prouincialium opibus bellicæ instrui naues possunt. Ita Catalauni exigua gens, priuatorum fortunis, validis diu classibus, maris imperium tenuerunt. idemque ætate nostrâ, non in vna gente vidimus, felici semper successu. Vt dici meritò possit, Quisquis Regum pacem volet, arma paret. factum à Salomone, & à Regibus omnibus magnis. In pace certè bella meditari, prudentis Principis est. assuescere etiam bello in alta pace, sapientis est. Augustus certos annuos census in militaria stipendia decreuerat, nulli alteri rei impendendos, ne nouis exactionibus populo grauis esset. De Salomone illud proditum, quadraginta millia equorum currulium, duodecim equestrium perpetuò habuisse, tribuum Præfectis stipendia subministrantibus. Sanè è regalibus duobus, qui in singula capita annuò pendebantur, ali exercitus poterat. Quid? quòd non militem tantùm, sed & regiam domum singulæ per orbem tribus, mensibus tribus alerent. Non quòd imitari Principem velim, sed vt videat, in non magna gente, exiguis limitibus coarctata, auri tantum superfuisse, quantum magnis alendis exercitibus, rebusque alijs omnibus regiè suppeditandis satis esset. Nec quidquam, etiam in altissima pace, intermittat exercitiorum militarium; nec ignauescere suos patiatur, aut otio diffluere. arma expediant, & amico, tanquam hostili, inter se procursu arma tentent, induantq; inimicum animum, quem extra certaminis locum ponant. assuescant duris, nuda humo & cælo, frigoraque iuxtà ac calorem pati discant. Est in hac re illud Hieronymi: *Corpus assuetum tunicis, loricæ onus non fert; caput opertum linteo, galeam recusat; mollem otio manum durus exasperat capulus.* Et illud Tertulliani: *Etiam in pace labore & incommodis bellum pati ediscunt; in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. nemo enim miles de cubiculo, ad aciem procedit; sed de papilionibus, expeditus & substructus, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit: vt quanto plus laborauerint, tanto plus de victoria sperent.* Venationes

Militaris exercitatio etiam in pace instruenda.

stiones in hoc genere probem, natationes, saltus, cursus, equorum & armorum omnis generis agitationes, mutuas velitationes, & quidquid robori ædificando valet. Laudatum etiam in P. Rutilio Cos. Romano fuit, *quòd doctioribus gladiatoribus accersitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus ingenerauerit; virtutem arti, & rursus artem virtuti immiscuerit, vt illa impetu illius fortior, hæc illius scientiâ cautior fieret.* Non probem tamen, vt iustis inter se concurrant exercitibus; ne veterum pertæsi, nouarumque rerum auidi, aliam Rempubl. cogitent: sed per turmas, locisque dissitis ac varijs, ne qua spes coalescendi sit. Nec idem semper præsit, sed varios experiantur, ne vnius affectû nimis altè imbibant. *Disiunctis inter se locis pacis tempore miles habendus.*

Quantum verò militaris hæc exercitatio momenti rebus adferat, vel ex eo colligi potest, quòd Romanos nullâ remagis, quàm armorum perpetuâ exercitatione, castrorumque disciplinâ, orbem subiecisse terrarum, auctor sit Vegetius. De qua re fortiter & verè Valerius Maximus: *Disciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ populo Romano peperit, & multarum vrbium, magnorum regnorum, validissimarum gentium regimen largita est, fauces Pontici sinus patefecit, Alpium Taurique montis conuulsa claustra tradidit, ortámque è paruula Romam casa, totius terrarum orbis fecit columen.* Docuit exemplo suo Scipio, qui scortis, luxu, delicijs totis castris exulare iussis, Romanos è victis victores reddidit: Numantiamque, quæ quatuor & decem annis terrori Imperio fuerat, solo æquauit. steterat illa inuicta, quamdiu luxus, & disciplinæ militaris neglectus: vt primùm hæc restituta, cecidit tot fortissimorum Ducum victrix Numantia. *Itaque neglectæ disciplinæ militaris indicium, Mancini miserabilis deditio, seruatæ merces, speciosissimus Scipionis triumphus extitit.* Ita Valerius. De Metello verò Sallustius: *Vbi in Africam venit, exercitus ei traditur iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, linguâ quàm manu promptior, prædator ex socijs, & ipse præda hostium, sine imperio & modestia habitus. ita imperatori nouo plus ex malis moribus sollicitudinis, quàm ex copia* *Militaris exercitationum commoda exemplis comprobata.*

militum auxilij, aut bonæ spei accedebat. Edicto primo adiumenta ignauiæ sustulisse dicitur. præterea transuersis itineribus quotidie castra mouere, iuxtà ac si hostes adessent, vallo atque fossâ munire, vigilias crebras ponere, eas ipse cum legatis circumire. Item in agmine in primis modò, modò in postremis, sæpè in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur. vt cum signis frequentes incederent, miles cibum & arma portaret. Ita prohibendo à delictis, magis quàm vindicando, exercitum breui confirmauit. Vna militaris disciplina collapsum luxu exercitum pristino robori restituit, hostem vinci posse docuit, Africamq; Romano imperio subegit. Idem habemus in Lacedæmonijs, qui cùm à prima ætate iuuentutem suam durioribus, ac disciplinæ militari assuefecissent, vniuersam Græciam delicijs assuetam subegerunt: cùm verò imperio potiti disciplinam neglexissent, & Athenienses, ignauiâ depositâ, veteres Lacedæmonios imitati essent, victi victores imperio suo subdiderunt.

CAPVT XXXVIII.

Maris imperium paret, qui latè & tutò imperare volet.

Maris imperium parandum tutò imperare volenti.

AVCTOR Themistocles Regibus, quorum imperia latè protēduntur, vt maris sibi imperium parent, quo vno, locis cæloq; disiuncta iungi posse arbitratur: nec plures prouincias, sed vnam censeri posse, quæ maritimi imperij nexu in vnum corpus coaluisset. sic fieri, vt quasi iunctis manibus se tueantur, inuicem sibi factæ auxiliares, & solo nexu inuictæ; cùm denexas facillimum sit euertere. Longa enim è diuisis auxilia, longæque moræ, quiduis audendi non modò animos, sed & exequendi oportunitatem hosti præbent. iunge, quæ maria disiunxerunt, remittent armatas cogitationes hostes, nec vltra iam cogitationes arma. vna verò dissitas iungendi terras ratio, mare est. cuius imperium ne-

necesse sibi paret, quisquis imperia, aut disiunctarum mutuò prouinciarum suarum securitatem amat. Neque enim terrarum, sine Oceani imperio, diu stare possunt, si hostem nacta fuerint. Et quæ diu regna sine hoste steterunt? satis est regna esse, ad hostem reperiendum. neque vllo vnquam sæculo caussæ Regibus defuerunt, mutuò regna ambiendi. Sentient proinde exarmata maria hostiles excursiones, deprædationes, dominatum; sentient & terræ, robore suo, armato dico mari, destitutæ. Sed & terrorem longè latéque suum sparget quisquis dominatur mari; liberumque illi erit, quamcunque hostilem conterminam mari partem impetere, potentiam frangere, & ante minas arma ostentare, ac in quam volet partem flectere. Magnæ preces, ferrum sunt: validiorque ad quiduis impetrandum, omni ratione & eloquentiâ, armata classis est. Et sanè solius mari imperantis metus, intra solas cogitationes æmulorum Regum manus continet, erupturas in ferrum, si armatarum nauium timorem sustuleris.

Charachux, cuius vnius consilijs Orientis sibi imperium parauit Salahadinus, à Christianis captus, rogatusque quibus modis Palæstina capi posset & tutari; respondisse dicitur, solâ classe, maritimoque imperio Ægyptum capi posse, & exinde Palæstinam. nec viam aliam esse. sed neque aliam, quâ aut Saracenis adimi, aut ad Christianos transferri imperium posset.

Prudenter magnus Imperator CAROLVS V. PHILIPPO filio auctor fuit, si pacata regna vellet; si æmulos potentiæ suæ Reges ac Respubl. extra ferrum, arma, noxiasque molitiones, Proregesque in officio continere; si nouarum rerum studia frangere; si denique extra hostilem omnem metum tranquillam vitam ducere; maris sibi imperium pararet, portusque omnes littoraque valido milite compleret, armatasque classes, in omnem bene gerendæ, bene tuendæ rei occasionē, in varijs variarum prouinciarū fidis stationibus

CAROLVS V. maris imperium filio suasit vt compararet.

teneret. nullisque in hac re sumptibus parceret: noxiam enim in hoc genere parsimoniam omnem esse, quæ in prouinciarum interitum iret. quin adeò, maiorem semper profusionem maioris lucri caussam fore: crescere in immensum pacato mari vectigalia, decrescere infesto, turbato, & armis insesso; crescereq; priuatorum fortunas, ac in ijs regnorum Regumque. neque enim quidquam esse, quod plus opum ac potentiæ adferret regnis, quàm si libera, extra piratarum hostilemque metum, nauigare, in omnem lucri spem intentis mercatoribus, liceat maria.

Et sanè cùm plurima fuerint, quæ Belgicum aluere bellum; nouarum rerum cupiditas, loci oportunitas, maris, fluminum; vicinorum Regum & Principum auxilia; hostilis in nostris contemptus; consiliorum optimorum, beneque gerendarum rerum neglectus; diffidentia, tarditas, æmulantium studia, & odia domestica, multorum egestas solo bello medicanda: quæ etiam inuictam in hanc diem non magnam prouinciam tenuerunt, frustra vtriusque Indiæ profusis opibus, totiusque Hispanici imperij viribus: tum vnum maris fluminumque imperium, audere & stare docuit, & vltrò etiam inferre bella, omnemq; latissimi regni partem, Oriente ac Occidente toto, inimicis infestare classibus. O quis credat, exiguum populum, solâ inimicâ maris infestatione, orbi propè imperasse? ac tanquam nouam Numantiam, omnem potentissimi Regis, annis ampliùs quinquaginta, conatum lusisse? ausuq; portentoso orbem non semel enauigasse, audaciæque ingentis suæ vestigia omnibus, quà sol oritur, quà occidit, orbis terrarum regnis impressisse, nulli supplicem, omnibus minitantem? sed & nouas orbe nouo terras, mariaque, nullis antè classibus trita retexisse, dum, quod magnus Macedo vouerat, orbes inuenit nouos? tanti fuit imperasse mari. Nulli illum æstus, nulla terruere frigora, nulla fregere. etiam per ipsa concreta glacie maria, (quæ posteritas credet?) nauigare lubuit, & naturæ vim inferre, clausaque sæcu-

Maris imperium quos animos ad bella suggerat rebellibus.

sæculis retrò omnibus claustra reserare. Magnos animos, &,si adsit Deus,si pietas, si caussæ bonitas, imperio dignos! Hoc est Belgam esse, nullis difficultatibus cedere, vincere omnes: nihilque supra virtutem suam putare, infra illam omnia. cælum petent, si peti nauibus possit. tanta animis fiducia sedet. ô Babylonias cogitationes!

Et hæc omnia non magnis opibus aut milite facta. Quid? quòd priuatorum ferè facultatibus: ne Respubl. damna sentiret, sentiret commoda; &,si quæ damna, in multos dispertita, minora forent, ferendoque faciliora; quo plures quasi per capillum tangerentur, nullius iugulum peteretur.

O quàm non magnâ re occurri his malis potuit! quàm nullo propè regij ærarij sensu! Sed quis vota hæc Belgarum omnium Rex magnus audiat, quis sequatur? non sint nuda vota, rebus suis vidua! Triginta regijs nauibus per Flandriæ littora dispersis, imperiū teneri posse maris plerique putant. Quod qui tenuit, imperauit continenti. maximè si, è peritorum sententia, nunquam incomitatæ naues, aut solitariæ Oceano se commiserint, ac non infra sex aut decem; quo faciliùs socijs se mutuo armis tueantur. Fieri hoc potuisse, non factum, quæ posteritas credet? tantillâ re imperium stare potuisse quis credat? paucorum aut imperitiâ, aut cupiditate, aut æmulatione optima consilia euersa quis credat? *Quâ vià id sibi vindicare Rex Hispanus possit.*

Sed graues sumptus ex hac nauium paratura exsurgent. Nulla bella sine sumptu stetere, quem qui ferre non potest, non vult, arma ponat. Et non Bataui, tot opibus, quot prouincijs & regnis inferiores, armatas emisere classes? ferre illi sumptus potuerūt, potentissimi Regis ærarium non poterit? *Occurritur difficultatibus quæ è contrà quis opponat.*

Verùm exsoluamus, ex mente viri magni, hoc onere regium ærarium. & singulæ regiæ ciuitates aut oppida maiora per tot regia regna & prouincias sparsa, ære suo arment, stipendijsque suis alant nauem vnam. centum minimùm nauium classis exurget. Graue hoc? leniamus, & singula regna, prouinciæque maiores, tres ære suo naues arment, &

stabit

ſtabit optata ſuo claſſis mari. Decurramus per ſingula. quantula res, ſi Neapolitanum regnum bellicas hîc naues tres, milite, cõmeatu, reliquis inſtruat? faciat idem Mediolanum, Sicilia, Luſitania, Caſtella Vetus & Noua, Aragonia, Catalaunia, Sardi cum Balearibus, Brabantia, Flandria, Hannonia, Arteſia, Luxemburgum, Geldria Namurco & Limburgo coniuncta. & quinque & quadraginta ſtabunt naues, ære regio nullo. Quibus ſi regias adiunxeris quinque & viginti, imò & ſine his, vniuerſi maris imperium ſpondeo. Adde priuatorum opibus, maiores, minores, in Flandrico Brabanticoque littore, quæ nullâ die nocteque hoſtilia littora patiantur ſecura, intutamque vltrò citroque commeationem reddant, fruſtrentur piſcationem, mercimonia depauperent, vt intra viſcera belli incommoda ſentiant, neque picta videant damna aut vulnera, ſed corpore circumferant; nec diu bella trahent, & ſupplices videbis. Maximè ſi flumina, quæ regijs propugnaculis tenentur, nullas aduerſariarum partium naues admiſerint, commercia nulla. Nam cùm omnis hoſtilis potentia negotiationibus, piſcatu, mechanicarumq; artium exercitatione continetur; qui hæc ſecuerit, tanquam exſectis vndique validi corporis neruis, potentiam eneruabit, nulloque ſanguine, aut alio ferro, hoſtium ipſorum confeſſione, ſternet.

Sed durum prouincijs, armare has naues. Imò perfacile. hoſtilem concede prædam ſingulis, & vltrò current in arma. adeoque & priuatorum facultatibus armari claſſis poterit, ſi vniuerſam conceſſeris prædam. non ſentit miles auro contecta vulnera: ſiſtit præda ſanguinem, vulneribus medetur, dolorem lenit.

At periculum, ne armata hæc prouincialium claſſis in Regẽ ipſum arma vertat. Quamdiu ſic ludimur, & priuatorum cupiditatibus, ęmulationibus, neglectu cadimus? Olim à Cicerone inania hæc terriculamenta exploſa. audiamus, in re nautica, exemplum in Verrinis: *Sumptum omnem in claſſem, frumen-*

frumento, stipendio, cæterisque rebus, suo nauarcho quæque ciuitas semper dare solebat. is neque, vt accusaretur à nautis, committere audebat, & ciuibus suis rationem referre debebat: in illo omni negotio, non modò labore, sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc, vt dico, factitatum semper: nec solùm in Sicilia, sed in omnibus prouincijs: etiam in sociorum, & Latinorũ stipendio ac sumptu, tum cùm illorum auxilijs vti solebamus. Verres, post imperium constitutum, primus imperauit, vt ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur, vt is eam pecuniam tractaret. Vides hîc veterem in nauticis stipendijs Romanorum morem. probat hunc Cicero, damnat Verrinũ. quid vereamur imitari Romanos orbis domitores? Prædæ verò partes duas prouincijs, aut ijs quorum opibus armantur naues, concedi velim, tertiam militi & nautis, quo maior ad arma animus sit. nescit parcere, non sibi, non hosti, quem prædæ spes magna inebriauit. Præerunt verò huic classi, quos præesse Rex voluerit, à cuius manu delectus omnis. nec vllum prouincijs imperium aliud, quàm menstrua militi ac nautis stipendia de suo adnumerandi. honor omnis à regia manu, pœna ab eadem.

Verùm, si mari fluminibusq; hostem excluseris, non parum regio ærario decedet. ô quamdiu fatuus hic timor, vanâ magnorum mentes inuoluet nube! pereant regio ærario, vt bene vir magnus, aureorum centum millia, hostili decies centena millia decedent. Magnum victoriç genus est, vno se exuere, vt exuas hostem decem; vnum secandum digitum præbere, vt totam hostilem dexteram seces; vnum propugnaculum euertere, vt hostilia euertas omnia. *Commoda hinc secutura.*

Quæ omnia, eiusdem viri magni iudicio, plus poterunt, si omni terrâ marique commercio hostem excluseris. Dura regio populo conditio. durior, aiebat, erit hosti, qui solis commercijs diues, bella mouet & alit. tolle illa, & solitudinem videbis: &, vbi nunc se premit populus, & grauis propè sibi copia est, Arabiæ deserta suspicabere: cùm terrarum illis minimum sit, industriæ plurimum. Tolle industriæ mate-

 riam,

riam,& tanquam vno Macedonico ferro, inuictum in hanc diem nodum secabis. tolles, si secueris commercia; secabis, si maritima,& fluminum,& terrarum commercia sustuleris. cùm enim paupertas, & necessariarum rerum inopia, prouincias occupauerit; aut sedibus incolas expellet,& alias cogitare coget,aut in mutua vertet arma, & plebeiam secessionem. vt verum aliquando sit illud vaticinantis Poëtæ:

Principium irata Belgarum à plebe tumultus,
Finis ab irata plebe tumultus erit.

CAPVT XXXIX.

Veteranos milites foueat: benéq; habeat militiâ claros, ac eorum coniuges, filios, fratres; ægrosq; & saucios.

Veteranos Princeps honesto habeat stipendio, eorúmque vxores & filios.

LONGA deinde militiâ fractos ne destituat Princeps. præsidio tales regnorum munitionibus erunt, in quibus non illiberali haberi stipendio velim,quo se,vxores liberosque honestè habeant. dabit hæc res animos tironibus, & ad magna audenda, animos magnos, cùm viderint reposita in senectutem virtuti,laboribus,vulneribus, sanguini præmia. Muneribus etiam non raro supra consueta stipendia donet. incredibile quantam hæc munificentia laudem paritura sit Principi,quanta gratulantium vota.indignabuntur non habere plures se animas,quas Principi suo deuoueant.In quam rem,natam è delictis, aut fortuitis casibus pecuniam Princeps seponat, nulli alteri rei impendendam. Accendet hæc vna res omnium animos. & pueri arma pro Principe amabunt, & gaudebunt adolescentes sanguinem fundere mercede coronandum,nec vulnera iuuentus perhorrescet præmianda: oculum, manum, pedes largietur; sat oculorum, manuum, pedum diues in Principis sui incolumitate, quæ sciat pro carne & ossibus, aureas sibi manus pedesq; Principis munificentiâ substituendas. Et certè turpe Principi, vetera-

teranum videre egenum, aut, quod deterius, mendicato ſuſtentantē vitam: quam fòrs non ſemel Principi ſuo in hoſtili ſanguine dedit. Vt mirum ſit Principi colorem in milite ſuo egente ſtare, cùm leuiſſimo negotio mederi malo huic poſſit, bono ſuo maximo, damno nullo.

Non offendât militiâ claros. Caueat verò ne viros militiâ claros, & quos felicitas & audacia comitatur, ad extrema conſilia deducat. errat, qui hos contemptu, aut munerum abdicatione, vinci aut flecti poſſe putat. exaſperatur generoſitas contempta, & in ferrum impellitur, non niſi alterius partis ſanguine & internecione medicandum. Docet nos Coriolanus, cùm à Romanis; Alcibiades, cùm ab Athenienſibus; Narſes, cùm à Iuſtino; Proſper & Fabricius Columna, Borbonius & Auria, cùm à Carolo VIII. Triuulcius, cùm à Ferdinando II. ad hoſtes trãſeunt: ingenti eorum ſub quorum antè ſignis militauerãt, damno.

Nec conſiliorum intimorum conſcios. Sed neque conſiliorum intimorum conſcios, in aliena cogat regna; ne videat, quod ætas noſtra vidit, quod erubuit.

Non ſecretò datgratiitò à ſe offenſo Princeps. Quòd ſi quem etiam è primis bellatoribus, aut prima nobilitate, ſciens volenſque, nullâ datâ cauſſâ, grauiùs offenderit, non facilè illi latus ſuum credat: niſi fòrs eo ingenio ſit, vt componi beneficijs, beneuolentiâ, comitate, fiduciæ oſtentatione queat. Sed neque poſt offenſionem ea illi loca aut munia credat, in quibus periculum regno creari poſſit: cùm ferè iniuriarum maneat, beneficiorũ memoria pereat; maiuſque propè ſemper vniuſcuiuſque ſtudium ſit, quibus modis iniuriam iniuriâ, quàm quibus beneficium beneficio expleat, cùm gratiarum actionem inter onera, iniuriarum repoſitionem inter lucra numeremus.

Militum verò ægrorum ſauciorumque, magnis ſemper Imperatoribus familiare fuit, maximam curam habere. Hinc illud Eumenij in Conſtantino: *Boni Principis eſt, libenter ſuos videre felices; ſed melioris, inuiſere etiam laborantes.* Factum à Tito, narrante Aurelio Victore: ***Lues quanta vix vnquam fuit. quibus tamen malis pecuniâ propriâ ſubuenit, cunctis remediorum***

generibus, nunc ægrotantes per seipsum refouens, nunc consolans suorum mortibus afflictos. Et à Traiano, Cassio auctore: *Cùm vulnerum ligamenta suis deessent, propriæ vesti non pepercit, quam in lacinias conscissam sauciatis partitus est.* Quis militum non ambiat vulnera Imperatoris sui purpurâ medicanda? Pulcrum illud etiam Hadriani apud Spartianum: *Ægros bis ac ter de die, & nonnullos equites Romanos, ac libertinos visitauit, solatiis refouit, consilijs subleuauit.* Et illud Alexandri Seueri apud Lampridium: *Ægrotantes ipse visitauit per tentoria milites, etiam vltimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adiuuit. Et si fortè grauiùs laborassent, per ciuitates & agros patribus-familias hominibus, & sanctioribus matronis eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, siue conualuissent illi, siue perissent.* Vide in partiendo prudentiam, in impendijs iustitiam; & imitari non pudeat.

ISABELLA *Belgarum Principis in saucios milites animus & liberalitas.*

Nec minùs laudandum illud Magnæ ISABELLÆ Hispaniarum Infantæ, Belgarum Principis, cùm saucium victorem militem suum submissis deferri iubet carpentis, benignisq; verbis, benignioribus etiam factis solatur; cùm vulnerum, ac in ijs fortium cuiusque factorum, spectatrix, laudatrix staret. non poterant ab ore digniore laudes venire maiores. O diem militi gratum! voueant omnes vulnera, vt Principis tantæ laudibus, congressu, alloquio fruantur. Et quis sentiat vulnera tot coronis nobilitanda, tot palmis tegenda? Non sunt hæc vulnera, sunt gemmæ vertici stellando, adamantes & pyropi frontibus inornandis, armillæ brachijs arctandis, torques pectoribus diuitandis. Durum fòrs, hostile sensisse ferrum; pro Principe tulisse, dulce. Et quis hos lassos dicat, quos lætos videt, & in oculis Principis sui, tanquam agonis sui Præsidis, gaudio plenos? Nec his contenta. victorem exercitum suum, hostili adhuc sanguine madidum, præteritorum memoriâ, præsentium honore, futurorum spe, ad maiora accendit. Illud fòrs etiam beneuolentiæ maioris, cùm hostilem militem vulneribus grauem, in vrbem suam principem deuehi imperat; addit medicos & munera. Dignum

gnum Christiano Principe pectus, dignissimamque orbis imperiō dexteram! eoque digniorem, quòd, cùm post Rudolphum & Matthiam potiri Imperio posset, noluerit. Quæ sæcula parem tulerunt? vnum exemplum, Phœnicem vnum, ætas nostra vidit. plura ne quærite. At vos amate Belgæ Magnam hanc Mentem, quæ Imperij purpuram vltrò oblatam postposuit vestræ; & pro illius incolumitate viles animas vestras habete. proijcite lubentes quidquid in vobis melioris sanguinis est, pro illius salute, quæ pro vestra proiecit Imperia. Crederes generoso pede calcasse, vt, supra imperia & orbis regna, caput in Principe suo Belgium extolleret. Ingens amor. ibit hic in omnem posteritatem, & inter inuidas magnorū mentes, in æterna iuuenta stabit. Fortunatus cùm ab alijs, tum ab ISABELLA nostra CORDVBA, magni GONSALVI sanguis. quem comite & socio, factorum magnitudine verè magno TILLIO, in Germania Mœnus & Neccarus, fugatis cæsisque, modicâ manu, ingentibus Halberstadij & Dorlachij exercitibus, æternùm nobilitauit: Belgicusque Fleriianus ager victorem vidit, contra inuictum in illam diem peditatū, præualido, in patentibus campis, equitatu subnixis, cedere coactis hostibus. Felicior tamen, quòd omnium orbe toto Principum nobilissimæ, maximæ, prudentissimæ ISABELLÆ ore laudatus; omniumq; ætatis nostræ Principum virorum, Germanicis, Austriacis, Bohemicis victorijs fortunatissimi, clarissimi, MAXIMILIANI Bauarici muneribus, victoriæ testibus decoratus. Felicissimus, quòd pietas triumphos à Deo meruerit. Vt dicere illud Bauaricum posset: *Pugnaui, Deus & pietas vicit.* Dubium, eruditione, modestiâ, comitate, prudentiâ, an armis maior. Macte animis. hæc via ad Magna est. audeo; ad summa est.

CAPVT XL.

Veterem Nobilitatem commendatam habeat.

Nobilitati veteri ſuccurrendum

INDIGENTI Nobilitati ſuccurrat, cadentem erigat, collapſam veterem reſtituat. Factum à multis, maximè ab Alexandro Seuero. Nemo prudens veterē deprimet, ne ab ignominia & paupertate, in ferrum cogat, vltimum deſperantibus remedium, aut ad vicina regna. Neque deeſſe vnquam Principi ratio poteſt. non defuit Auguſto, non Neroni primis annis, quibus ex laude imperauit. Et quid facilius Principi, quàm pecuniâ iuuare egentes, aut locupletibus matrimonijs, aut quæſtuoſis muneribus? Et verò neſcio quid glorioſius euenire Principi poſſit, quàm magnæ Nobilitati imperare; vt creſcere gloria Principi ex illuſtri & veteri Nobilitate videatur, perire Nobilitate pereunte. plurimum enim lucis decedere regno videtur Nobilitate obſcuratâ, tanquam ſi quis cælo ſtellas detrahat: quid enim niſi tenebras & noctem orbi inducat, luminaribus ſubductis? Sciebat hoc Tiberius. primum proinde illi ſtudium Nobilitatis; ſed Nobilitatis in armis exercitatæ. Sciebat Philippus Magni pater: quare veterem omnem nobilem iuuentutem armis inſtrui curabat. fuit hæc robur Macedonum: quâ vnâ orbis ſub Alexandro imperium ſtetit; corruit verò gentis gloria, cùm ſub Perſeo neglecta Nobilitas, ignauiæ & otio permiſſa.

Maior virtutis quàm nobilitatis ratio habenda.

Non quòd ſolius nobilitatis rationem haberi velim. virtutis magis habenda. Exemplo id ſuo Veſpaſianus docuit, qui nobilem adoleſcentem, quòd muſcum redoleret, conceſsâ præfecturâ exuit, indignum munere arbitratus, qui plus vnguēta quàm allium, Suetonio teſte, oboluiſſet. Quòd ſi ad nobilitatem virtus acceſſerit, digniſſima impetijs ac præmijs erit.

Etiam

Etiam Regum filios assuefieri armis velim. fecerunt Imperatores, maximeque Romani; tum vt laboribus pares facerent, tum vt miles amare disceret, tum ne aulicis delicijs languescerent, denique quòd securiores de legionibus forent, filijs ductoribus. factum à Tiberio, à Vespasiano, ab alijs. feliciter semper. nam qui exercitum cōmittit alijs, precariò sæpè regnum tenet, & dominum patitur. Quòd si qua necessitas ad consilia hæc cogat, non patiatur ire hæc imperia in annos, ne felicitas & potentia in audaciam vertantur, & imperare pergat velle, qui imperij gloriā diutiùs gustauit, & amicos parauit, & regni robora in manu suâ tenet. Quid enim non suadeat oportunitas? Factum sub Galliæ Regibus à Capeto. factum alibi, & Romæ non semel. *Assuescant armis Regum filij.*

CAPVT XLI.

Duella penitùs extirpanda. nec parcendum in hoc genere.

DVELLA omnia, seuerissimis legibus, seueriore etiam pœnâ, tollat. nullique hîc parcat. summa pietas est, non parcere; summa crudelitas, parcere. sæuit in patriam, qui parcit; consulit patriæ, qui punit: cùm ferè per duella nobilissimus regnorum sanguis fundatur. iacent mutuis vulneribus, ad quorum arma hostiles trepidarent exercitus; primisque propugnatoribus nudatæ iacent vrbes. Terrori longè lateq; esse poterant, si barbaro consanguineo ferro non caderent. ceciderunt: & in his Respubl. sæpè tota. vt nullus tam inimicus hostis regno, nullus tam amicus hosti, quàm nos ipsi simus, dum & regnum exuimus propugnatoribus, & hosti viam sternimus. Et nescio, an aliquid æquè noxium excogitari regnis possit. Cùm enim ferè regnorum robur nobilitate contineatur, in hanc verò maximè duella sæuiant; nemo non videat, robori per duella insidias strui, & regnorum per hæc iugulum peti. Vt taceam barbarum morem. nec ego *Regna primu propugnatoribus exuuntur per duella.*

minus

minus feritatis in hoc barbaro lusu, quàm in Brasiliensium mensis reperio. Iacent victimæ, ciuili ferro, vt migrasse in Christianos credas cruenta Diomedis præsepia, Busiridis aras, & Christiana Taurica regna facta, nouos Tydeos in nouis Menalippis. hoc enim vnum deerat, vt *viuo scelerantes sanguine fauces* Christiana pietas videret. Fuit hoc olim orbi portentum, cùm staret *consanguineum campo scelus, vnius ingens Bellum vteri*, Eteoclis & Polynicis fratrum. Nata nunc ætas, quæ vicit illam. neque enim in vno fratre ferrum stetit. vt dici possit, *Vinci sua crimina gaudent Manes*. Et hęc Christiani. Caussam si quæras; plurimùm nullam reperies. quasi supra belluarum feritatem, in sanguinem propter sanguinem eatur. Honor prætexitur. nimirum honor est, totâ animâ in infernum delabi. & quod de illo,

—— Non arma manu, non fræna remisit,
Sicut erat, rectos defert in tartara currus.

ita nostri, toto calente ferro, in nunquam morituros ignes animas deferunt. vt dicere cum eodem possint,

Non tumulo, non igne miser, lacrymisque meorum
Productus, toto pariter tibi funere veni.

O nimis toto! & ante funus toto! animâ pariter, & corpore flammis tumulandi æternis. Non potuit aliud Erebo nasci regnis deterius, dęmone consultore. Sed neque ignauior reperiri mors potuit, aut magis fatua. quasi aut vitæ tæderet; aut hostilis metus in amicum impelleret ferrum. Creuitque eò stolida hæc insolentia, vt anno vno, regno vno, maior domestico hoc ferro nobilitas, quàm decem iustis cum hoste congressibus caderet. Barbaram hanc consuetudinem quis crederet, inter Christianos, Christi sanguine lotos, æternitati natos, reperiri? aut quis Deus Principi hanc culpam donabit? quàm vereor, ne à manu illius suorum exigat sanguinem! Sistere hunc Princeps debuit, potuit. non stitit: fusi sanguinis reus stabit. Quis eripiet tanti sanguinis reum? aut quod flumen purgabit hoc crimē? Dicet, non potuisse? quò illi

Duellorum mala Deus à Principe exiget.

illi ferrum & pœnæ? Dicet, noluisse? non opus alio iudice. Dicet, parcere voluisse? parceret regno: & in vnius pœnam, multorum sanguinē sisteret. Dicet, aliorum precibus & lacrymis indulsisse? negligere priuatas, in publicis lacrymis debuit. Dicet, ignorasse? non cadit ignorantia in Regem, cùm etiam remota regna duella hæc traxerint in admirationem. Dicet, non omnibus indulsisse? sed vel omnibus debuit, vel nulli, cùm delicti paritas pœnæ paritatem deposcat. & non vel vni indulsisse, ad audendū paria, reliquis viam strauisse est? Nulli ergo in hoc crimine ignoscet, & pœnarum etiam magnitudine terrebit omnes. defunctorum verò cadauera aut insepulta volucribus relinquet, aut canum sepulturâ donabit: à sacratis verò locis omnino excludet. bona etiam omnia partis vtriusque regio addicet fisco. neque vllis precibus victori, si fortè fugâ elapsus, reditum permittet. æternum elapso exilium esto. Cohibui hactenus calamum, emitto. video enim ante me fræna illi laxasse D. de Bandaron libello suo De duellis, qui paucis vno regno annis, post vetita regio edicto duella, septies mille cædes duello factas, regiâ lenitate, tanquā aquâ ablutas, aut spongiâ deletas recēset. Cogita quot cædes nullæ condonationes, sed sola temporis longinquitas deleuerit, quantæq; ante seuerissimam duellorum inhibitionem, ante minas & pœnas, cædes perpetratæ. Addit, ad impetrandas duellorum condonationes tres auri milliones in iudices profusos. auro nimirum, tanquam balneo nobilitatis lotus sanguis est, auro emptus. O quis colorem teneat? quis Deus vindicem in impium aurum manum? O Reges! ô Iudices! ô regnum! reprimo calamum. Fortis in hoc genere ALBERTVS: præuenire duella valido imperio & minis solitus; facta punire. neque nobilitati hîc parcere, non Principibus: & dissentientes arcibus pro carcere includere; prouocatores etiam, aut non obsequentes, dignitatibus exuere. quo factum, vt in tanta militari licentia, tanto exterarum gentium, mutuò naturâ dissentientium, concursu, rarissima duella exaudiren-

tur. Prodigio simile credas, in tam varia, omnium propè gentium nobilitate, odio ferè ab vtero & matrum vberibus flagrante, tam rara duella exorta: aut in semine suo, prudenti ALBERTI imperio & forti, repressa & suffocata.

CAPVT XLII.

Magna cura habenda ærarij.

ÆRARII maximam curam habeat: munimentum hoc regnorum est, & quo validiùs sæpè certiusque, quàm armis expugnes hostem. Hinc Cicero fatetur, Reipub. ac belli neruum pecuniam esse: & Asdrubal Hannibalem pecuniâ viam sibi ait strauisse in Italiam; cuius defectu, non militum, queritur Hannibal coactum se deserere Italiam. De ciuili verò bello, Mutiani magni Ducis ad Vespasianum verba sunt, *Omnis ciuilis belli neruum pecuniam esse.* censetque vetus Historicus, *publicas priuatásque opes, & immensam pecuniam inter ciuiles discordias ferro validiorem.* Plures nimirum illâ, quàm ferro trahes, cùm potentior illa in suadelam omni ferro sit, potentiorque in sequelam. magnam enim illa vim habet animos conciliandi: à qua re vna ciuilium bellorum felices iuxtà ac infelices exitus ferè pendent. parasse nimirum sibi animos, vicisse est. Iam quid speres à milite, ærario exhausto? nam siue in amico, siue in hostili, agro exercitum teneas, quid agas? In amico prædæ indulgere non potes: nam quid peccauit amicus tibi populus, militari prædæ permissus? & in quem sæuis, nisi in te ipsum, qui in obsequentem tibi populum sæuis? & quid hoc est, nisi iniquitatis genus maximum, sæuire in tuum, in innocentem, in obsequentem? aut permittet tam barbarum hoc scelus impunitum Deus? Iam, quæ fatuitas, vltrò agrum suum opesque perdere? Si in hostili versaris agro, & liberas permittis militi prædas, quid reliquum armatus miles faciet commeatui suppeditando? aut è quo

Neruus Reipubl. pecunia.

Ciuilis belli maxima vis in pecunia sita.

quo speres, si hostilem agrum perdis, spemque omnem & opes omnes secas? Quòd si ex omni agro prædas securibus subieceris, & statim ad ferrum decurras & funem, quid faciet miles pecuniâ destitutus, prædâ negatâ? perget prædari? paratam crucem inueniet. desinet prædari? mors illi: nec aliud super. Nam aut pereundũ fame, ignauo militibus mortis genere. aut ferro suo præsæuiẽdum fami. indigna hæc mors Christiano. Et tamen quò se vertet miles? aut quæ hæc, non dicam Christianitas, sed quæ æquitas, stipendia negare, prædantes punire? stipendia spondere, fidem fallere; militem educere, in amico aut hostili agro metari, vitæ necessaria subtrahere, omnemq; omnino viam vitæ claudere? claudit stipendiorum frustrator, cùm, quod vnum vitæ supererat, prædas subtrahit. ita vt militem, siue prædas egerit, siue ab ijs abstinuerit, certa mors maneat, hîc fame, ibi fune. Dura cõditio, ac in hanc diem inaudita, cogere militẽ aut in funalem, aut in medialem mortẽ, aut in ferrum suum. nam si vltimâ fame & pauperie pressus, stationẽ deserit, crux illi paratur & funis. ita, in quam se partem inflexerit miles, incurrit ingloriam mortẽ. Atque hinc militares seditiones, ô nimiùm Belgio funestæ! Et quẽ hîc damnes? militem? Quid, si subtracta stipendia? quid, si negata præda? quid, si nec ex hostili, nec ex amico agro necessaria prębeantur? quid, si nihil militi præter manum & ferrum? damnandus miles erit, an malignè numeratæ pecuniæ auctores? Neminem damno. erit, cùm decernet hæc falli nescius Deus. O quoties militaribus, ex his caussis, natis seditionibus erepta è manibus victoria! quoties Belgium sibi, Deo Regiq; propè redditum, corruit! quoties vnâ seditione plus retrocessit, quàm validissimis decem annorum exercitibus creuerat! Et à malè administrato ærario seditiones omnes. ô nimis notæ Belgio, orbique in vno Belgio! ô meum! Quàm exiguâ pecuniolâ auerti militares hæ seditiones potuerunt! neminem accuso. Fortuna hæc fuit nobilissimæ prouinciæ. O mea religio! quoties adnaui-

Barbarum sæuire in militem prædatorẽ, negatis stipendijs.

A malè administrato ærario seditiones natæ.

gasti littoribus, vt tenere iam manibus illa posses! repulit te sæuior ventus, & repulit in fluctus. Prospice, quisquis habenas tenes. Et tu, magne cæli terrarumque domitor, auerte malum. Quinquaginta iam annis sanguinem dedimus, hausimus, & cecidit propè nobilior Europæ pars in vno Belgio. O! sat pœnarum datum. retrahe extentam in vindictam manum. aut, si necdum pœnarum satis est, tuâ, magni Dauidis exemplo, cadamus dexterâ. mitior Patris erit hostili manu. tuâ tantùm cadamus. non cadamus consanguineo diutiùs ferro, ô nimis crudeli! Non cademus, si stipendia militi adnumerata fuerint: neque enim à stipendiato menstruè milite metus. Audiamus in Alexandro Seuero Lampridium: *Milites non timuit, quòd in vitam suam dici nihil posset, quòd vnquam Tribuni vel Duces de stipendijs militum quidquam accepissent; dicens, Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habẽs aliquid in zonula. at mendicitas militaris ad omnem desperationem vocat armatum.* Planè ita est. & non omnis ferè militaris secessionis metus, à negato aut dilato stipendio? adnumera. & delinquenti ne parce. sed sæuire, & stipendia negare! O iterum meum Belgium! ô Regum Maxime! Dum hæc scribo, publicis rumoribus circumfertur, nescio an veris; supra septuaginta militum millia hîc censa, qui sacramento tenentur tuo. Quid dico? stipendia in tot capita menstruè numerari? ô! quis hos Deus capitatim designet? non desunt qui quinquaginta millia voueant, è quibus decem præsidio sint vrbibus, & prouinciarum limitaneis munitionibus, quadraginta verò millia in hostem armata educantur. Nec periculum in quinquaginta millibus alicuius putant secessionis. Regiâ enim pecuniâ tuâ, quam menstruè transmittis, ali perfacilè exercitum illum posse arbitrantur, & menstruè viritim stipendia numerari. Addunt partem magnam pecuniæ tuæ magnæ exulare à milite, & inarmatas diuitare manus, locupletareque ignauas, quæ ferrum nullum norunt, nomina veriùs quàm auxilia, qui nunquam in acie steterunt,
nun-

nunquam tubarum sonum, nisi in spectaculis audierũt, nunquam armatum hostem, nisi pictum viderunt. quorum profusionibus neque Indiæ vtriusque opes sufficiant. ad solum regium ærarium expilandum ingeniosi. Taceo. quid diffundis in hos nobilissimam ærarij partem? non maximam Rex Magne? vide, quàm mens ferè his ingeniosè nequam. peior etiam res familiaris. & quid aliud speres ab his auri & ærarij exenteratoribus, nec aliud? Retrahe te calame, ne, quidquid toto Belgio otiosorũ, in te vnum. O si hæc coràm intuearis Rex Magne! Sed fors augustam regiam Maiestatem Tuam tot stipendiorũ augmenta decent: & magni Regis est pecuniam in plurimos prodigâ manu fundere. Vtilia speciosis præfer, necessaria splendidis; & vinces. Quàm vereor, ne præualeant inueteratæ hæ consuetudines consilijs votisque bonorum! finio. nunquam enim sana magnaque consilia inuidiâ caruere. & quò hanc gratuitò & vltrò accerso Religiosus? audet Paterculus: *Ineluctabilis fatorum vis, cuius fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Nunquam hoc cadat in tam pium Regẽ, in Catholicum nomẽ, in veræ fidei inconcussam in hanc diem rupem. in quã, quotquot hactenus orbe toto, minitabundi incurrerunt fluctus, fracti dissiluerunt, & audaciæ suæ præmium interitum retulerunt. referant æternum.

Fixeram hîc gradum. sed vt nauclerum, firmatis anchoris, ventorum illudit rabies, *& quas nolebat cogit inire vias;* ita me abripuit calamus, & nequidquã reluctantem coëgit sequi. pareo necessitati, ignosce. Quò tot, vt vir bello magnus narrare solitus, nouè inuenta munia, ne desit stipendio nomen? tot quasi exactæ militiæ iuuenes stipendio solo graues, qui nullum decus sudore & sanguine pararunt? tot donaria quocunque nomine signata? tot exautorati Tribuni, Centuriones, reliquorumq; muniorum, integris etiamnũ viribus & annis, quibus recentes succedant, nimirum vt duplicatis stipendijs modus expilando ærario reperiatur? Plures sanè ex omni hoc hominũ genere reperire se dicebat, quàm

 Lu-

Lucullum habuisse lego in magnum Mithridatem, quàm Martium in vtrumque Pœnum duorum Scipionum victorem. Et quis post hæc miretur non sufficere regium ærarium militi, qui purpuratorum hunc exercitum censere voluerit? O vbi vetus Roma? vbi magni olim Censores? Premo conantem plura calamum, tacitæ lectoris conscientiæ reliqua relinquens. Certè vnâ spe, & eâ solâ, malè administrandę pecuniæ, animos, & tot iam annos arma, ostentat hostis. Quod etiam palàm fatetur, cuius si vires intuearis, si prouinciæ angustias, pro portento erit, quinquaginta iam annis cum Regum potentissimo, terrâ marique, quasi ex æquo de imperio certasse. Magis miraberis, si propiùs, quo illius res loco sint, cogitaueris. Dabo non mea, sed quę partim vulgaris in Hollandia libris, partim communi omnium ore circumferuntur. Indigere Batauiam bello sustentando, annis singulis, argenti (vt dicunt) millionibus quindecim, cùm vix explere narretur annuus prouentus illorum, quacunque arte quæsitus, argenti milliones summùm vndecim: è quibus si dempseris argenti millionem vnum facilè & medium, persoluendo fœnori mutuatitiæ pecuniæ; & millionem etiam argenti vnum, quem annis singulis in propugnaculorum veterum instaurationem, nouorumque erectionem, impendunt, non supererunt argenti milliones nouem. Crescant proinde necessum annis singulis immensùm debita: quę nono ante inducias anno, sex & viginti argenti milliones superasse narrantur. quæ tantum abest, vt per inducias decreuerint, vt creuerint etiam plurimùm. nam præter parem militum numerum quem aluerunt, redempta de Anglo oppida; Gallica, Bohemica, Hungarica bella & Germanica, milite & auro fota; propugnacula omnia, regijs omnino sumptibus, toto induciarum tempore, aucta, firmata, nouè erecta, ingentē pecuniæ vim absumpserunt. Adde, caruisse illos toto induciarũ tempore, vt ipsi fatentur, auro Gallico, Anglico, Germanico. Fors arbitretur aliquis, magna ex Indicis classi-

classibus subsidia ad Ordines deuenire. Fallitur. fuit cùm pecuniam, quam à priuatis in societatis partem acceperant, numeraret: nunc ex collatitia illa omni pecunia nihil super. Quod ipsi clarè editis libris testari, ne ignorantiam prætexere negligētię nostræ possemus. Quin imò non desunt qui dicant, argenti supra duodecim milliones à societate illa mercatoria deberi. quod illorū non pauci ingenuè fassi. Hîc cogita quantâ opus pecuniâ ad annuas vsuras explendas: quanta, vt aliquid numerent priuatis collatoribus, ne omni apud omnes fide excidât. atque hoc sub nouo fœnore factum narrant non semel. De Occidētali societate nihil dico. hactenus ferè nomen est. Iam ex annuo prouētu, genus vectigalium, è fluminum, quæ in nostra potestate sunt, portorijs natum, quæ vulgò Licentias vocamus, si sustuleris, non infima pars ærarij corruet, argenti nimirū milliones minimùm duo. Sed neque prudentiores vident, è qua re augere annuum prouētum possint, cùm nihil omnino inausum reliquerint, nihil intactum & inauctum. ac nuper adeò è nouo singulorum capitum vectigali non admodum supra argenti millionem vnum collegisse referuntur. Quæ res si vera, non parum apud exteros minuet opinionē numerosæ prouinciæ. Quid? quòd aucta in immensum vectigalia. iam millesima, inde quingentesima bonorum pars omnium exacta. accessit exinde ducentesima. Nec hic finis. accessura centesima. Neque hîc ratio habetur eorum quæ annuè pendunt bona: sed rerum in se pretia pensantur, domus quam inhabitant, supellectilis, agrorumque, tanquam venditioni subiectorum. Vnde fit, vt non rarò, qui annuos è bonis florenos recipit mille quingentos, numerare florenos cogatur quingentos. Addunt, in non vna prouincia, supra mediam partem prouentuum, annuè numerari. Quis hîc non miretur promptissimos ciuium animos? ô si in bona caussa!

Redeo ad te Princeps. primam maximamque ærarij curam habe. Sacrosanctum hoc adeò tibi sit, vt nulla ex hoc *Nulla munera è militari erario numeranda.*

munc-

munera, aut perrarò admodum, ad quemquam eant. E fisco hæc petenda, aut sanè è nouè aduenientibus. quæ nunquam deesse magno Regi aut Principi possunt. quæ licet magna, non puto in ærarium condenda, sed muneribus, alijsque seruanda. Commune ergo Principis ærarium, quod portorijs, vectigalibus, consuetisq; regni prouentibus constat, in bella bellicosque apparatus, domesticamque familiam, roborandoq; regno necessaria, seruetur: vt subitis & inopinatis necessitatibus occurrentibus, habeat, quo se regnumq; tueatur Princeps: ne decurrere ad mutuatitiam sub graui fœnore pecuniã cogatur. non exponat fortunas suas his ærarij comedonibus, his omnis melioris vitæ blattis ac tineis. Agrarios mures legimus, qui non contenti herbas depascere, radicibus insidiantur & semini, vt spem omnem secent futuræ messis. Ærarios in Republ. mures reperire non esset difficile. arceat hos Princeps, omnis melioris in Republica sanguinis, quia melioris auri, prędatores. Faciet, si ærario benè fuerit, ne ab aliorum nutu pendere cogatur. Dedecet Principem supplicem fieri suis, &, dum beneficia deposcit, beneficijs exedi. non est prudentis fœneratitio ære regnorum robora eneruare. & nescio an non minore damno hostiles, quàm pecuniariæ incursiones ferantur.

A fœneratio ære abstinendum.

Premebatur olim M. Antoninus Philosophus, è magnis Imperatoribus vnus, ærarij angustijs; fœneratitiâ pecuniâ non tam occurri posse malis, quàm augeri hæc videbat. nouis vectigalibus exasperare populum nolebat: remedium è domo sua sumpsit. *Cùm in bello Marcomannico omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, vt extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, in foro Diui Traiani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditque aurea pocula, & crystallina, & myrrhina vasa, & vestem vxoriam, sericam & auratam, gemmásque etiam quas multas in repositorio sanctiore Adriani repererat. Et per duos quidem menses hæc venditio celebrata est. tantúmq; auri redactum, vt reliquias belli Marcomannici*

nici

nici ex sententia prosequeretur. postea dedit potestatem emptoribus, vt, si quis vellet empta reddere, atque aurum recipere, sciret licere. Dignissimum Imperio Romano, eadem Cassio narrante, habemus in Nerua: *Pecuniæ inops factus, vestes primùm & vasa aurea, pretiosam præterea supellectilem, siue illa propria, siue publica & regia foret, auctioni subiecit*, vt militum necessitati occurreret. Non absimile vidimus ætate nostrâ, cùm nunquam satis laudati Magni Belgarum Principes ALBERTVS, de quo meritò dubites, bello Dux, an pace Princeps maior, & ISABELLA, in qua præter corpus nihil muliebre reperias, ornatum omnem suum, in pignus fœneratitiæ pecuniæ, quò militari subuenirent inopiæ, lubentes obtulerunt. Certauit hîc Principum in suos amor, populi in Principes veneratio. quàm enim illi volentes vltroque domesticas opes omnes Antuerpiam transmiserant, tam faciles mercatores & pecuniam numerarunt, & gemmas pignora non admiserunt, cùm nullum certius sibi pignus Principum suorum voluntate esse dicerent.

Nec deesse ærario pecunia in magnis Regibus potest, si frugalitas adsit, si prudens elargitio; si in solas res regno necessarias pecunia erogetur, si non profundatur in oculorum oblectamenta, in superuacuum splendorem, in prodiga munera; si non negligantur vectigalia, non annui prouentus; si non fuerit indulgentior in administros, & ærario præfectos. Docent nos Impp. Romani, docent alij. Semper Claudio, Caligulæ, Vitellio, Neroni defuit. nunquam Augusto, quod daret, defuit. cuius, in orbis imperio, diligentiam quis non miretur? Habuisse illum librum, in quem Imperij opes omnes manu suâ referret, regnorum, prouinciarum, vrbium magnarum, vectigalia omnia, terrâ marique speranda, prouentumque Imperij annuum omnem; sumptum denique necessariò profundendum in familiam, exercitus, classes, ne quid supra Imperij vires aggrederetur, nec supra censum erogaret, tradunt Historici. Semper etiam Tiberio, quod dare posset,

Regi frugali deesse pecunia non potest.

posset, fuit. Idem imperium, regna, prouinciæ, vectigalia eadem, nec onera Tiberio inferiora, nec numerosior prioribus exercitus fuerat. & cùm nihil successores in prioribus reperissent, Tiberius moriens septem supra sexaginta auri milliones reliquisse narratur. Elegans omnino parsimoniæ locus apud Plinium in Traiano est: *Nam mihi quidem cogitanti, eundem te collationes remisisse, donatiuum reddidisse, congiarium obtulisse, delationes abegisse, vectigalia temperasse; interrogandus videris, satisne computaueris imperij reditus? an tantas vires habeat frugalitas Principis, vt tot impendijs, tot erogationibus sola sufficiat? nam quid est caussæ, cur alijs quidem, cùm omnia raperent, & rapta retinerent, vt, si nihil rapuissent, defuerint omnia; tibi, cùm tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia supersint? Numquam Principibus defuerunt, qui fronte graui, & tristi supercilio vtilitatibus fisci contumaciter adessent. & erant Principes ipsi suâ sponte auidi & rapaces, & qui magistris non egerent. plura tamen semper à nobis contra nos didicerunt. Sed ad tuas aures, cùm ceteris omnibus, tum vel maximè auaris adulatoribus obstructus est aditus. Silent ergo, & quiescunt, & postquam non est cui suadeatur, qui suadent non sunt.* Prudenti parsimoniæ Traiani, hæc omnia verè magna tribuit.

Nec opus in hac re magno molimine, aut ingenio. Vna, non indigna Regibus parsimonia omnibus sufficiet. Nec difficile est Regi scire, quot è militari ærario milites alere possit, quot naues, triremes; quantisq; in domesticas res opus sit. At nos dona profundimus, & tanquam diuitiarum hostes diuitias effundimus, & in immerentes proijcimus; militariumq; stipendiorum magnitudine ærarium perdimus. Verùm merita, præmia deposcunt. fateor. promeritus miles est? auge dignitate, cui maius stipendium adnexum. non auge stipendio, quem in eodem cum reliquis militari gradu destituis. discatque Romano more miles in digniore gradu auctius stipendium sperare: sed non crescant stipendia amicorum precibus, gratiâ, alienâ commendatione: ne ille, qui san-

Nunquam augenda militi stipendia.

ſanguinem ſæpè fudit, vnico ſtipendio contentus cogatur viuere; ille, qui nunquam dedit, nullum hauſit ſanguinem, ignauiæ ſuæ præmia ferat. Deprimit hæc res frangitq; fortium virorum animos, cùm è ſola nobilitate, aut nudis commendationibus creſcere ſtipendia ſentiunt. nec ſanguinem gaudentes fundunt, quem non vident remunerandum: ſed virtute deſertâ, amicos parant, quorum ſtudijs maiora ſperare audeant. Ingentem hæc res ignauiam animis ingenerat, cùm ignauiſſimum ferè conſcendere ad maiora videant, fortiſſimum iacere. Deſtituitur nimirùm amicis, quorum manibus efferatur, ſolâ virtute diues, ſtipendijs pauper. Dura omninò res, & in regnorum perniciem nata, cùm ſolâ amicorum gratiâ ad militaria promouentur munia, qui nullum antè ferrum in hoſtem ſtrinxerunt. Quis animus veteranis eſſe poteſt, ſub his è ſchola & matris ſinu ductoribus? Quouſque tam fatuis inhæremus? & quis non rideat leonibus lepores imperare, tauris damas? Veteranos proinde, ferro & ſanguini aſſuetos, præeſſe volo. imperare, horum; obſequi, tironum eſt, ſi ſaluam Rempubl. volumus, ſi regna. O ſi hîc non bis peccatum! meum Belgium! loquar? quot tirones vidimus ductores! & quoties ſub his nobiliſſima ſudauit prouincia! Sed nobilitas his magna. ô quoties incurrimus in hos ſcopulos! ergo quia nobiles, peritiſſimi ductores, fortiſſimi milites? & quia nobiles, prudentiſſimi Senatores, eloquentiſſimi oratores? fors & peritiſſimi pictores, textores? aut ingenita nobilitati prudentia, robur, conſtantia, vigilantia, fides, eruditio, eloquentia, rerum experientia? ab vtero nimirum & vbere? Quamdiu tam fatuis ludimur viri? nec nobilitas ſola Duces dedit, ſed hîc matris lacrymæ, ibi preces. non vxor, ſoror, filia? taceo. Accedit non inferior error alter. ô medicam, Deus, manum! nam ab hac vna opem ſpero. Inualuit dein cõſuetudo augendi ſtipẽdia militi; etiã non militi Et creuit adeò, liceat verum fateri, prodiga hæc munificentia, vt plus propè menſibus ſingulis

Ad militaria munia promouendi qui fortibus factis promeriti, nec alij.

è regio ærario in stipendiorum hæc incrementa, in liberales donationes, in alimenta, & extra militiam menstrua aut annua ignauiæ fomenta, inque ministrorum superuacuum exercitum, quàm in pugnantem militem profundatur. ita fit, vt, quod quinquaginta militum millibus ærarium sufficeret, non sufficiat millibus vigintiquinque: cùm maior pecuniæ pars ad iam memorata deuoluatur. Remedium in manu est. Eget Rex, bello seu inferēdo, seu propulsando, quinquaginta militum millibus. videat, quantum hîc pecuniæ opus ad consueta militum stipendia, numeratiq; hanc viritim militi curet mensibus singulis. augere vult stipendia è quacunque caussa, augere numerum vult otiosorum ferè ministrorum; menstruos annuosue prouentus, fauori, nobilitati, magnorum precibus vult concedere? nihil è destinatis militi stipēdijs decerpat: sed nouo ærario donationes has expleat. prima militis cura sit. Si quid fors pecuniæ è designato antè militum numero superesit, in voluntariam regiam munificentiam, è quacunque caussa natam, impēdatur. nec antè in hanc, quàm expleta stata militaria stipēdia. Hoc si impetrauero, vicimus. nec bella iam vlla; nec metuendi Reges. vnus Hispaniæ Rex omnibus satis est. ærario tantùm inuigilādum regio; nec quidquam ex hoc nisi à prudenti manu. repetor: vicimus. negligimus, & consuetâ insistimus viâ? nequidquā triumphos exspectamus: sed nunquā moritura è bellis bella, & præteritis damna maiora, non sint in regni interitum.

Modus magnos exercitus alendi sine grauis regij ærarij incommodo.

Verùm graues bellorum sumptus sunt: neque multorum annorum bellis vnius opes regni pares videntur. Fateor ærario opus esse magno. Verùm non videtur mihi res molíminis magni, rationem reperire, quā sine magno regnorum incommodo, militi ne quid desit prouideatur. Si nimirum, è sententia viri magni, à quo hæc veniunt, ante bella regnum in vrbes aut regiones Rex partiatur, singulisq; cohortibus aut legionibus alendis certas prouincias assignet, menstruaque illis militi stipendia numerāda imperet, tanquam legionibus

nibus suis, quibus etiam prouinciarum nomina imponat. Exemplo mihi Rex Catholicus. Bella nunc illi in Belgio. atque vtinã in vno Belgio, & cum vniuersa non sint Europa! In hoc bello ad hostilem insolentiam aliorum potentiâ fultam reprimendam, & ad loca præsidijs firmanda, cogitemus opus esse septuaginta peditum millibus, equitum millibus quatuordecim. Magnus numerus, fateor. quæ opes sufficiãt? vix annui milliones auri sex expleant militarem hanc famem. quòd si tamen partiaris onera, opinione omnium leuiora erunt. Et quid hæc onera ad Hispaniæ potentiam orbi notissimam? è qua vna quanta educi manus possit, è viri magni accuratissima subductione discimus. è qua anno 1615. scribebat armari educique posse

E Veteri Castella & Legionensi agro peditum sex & viginti millia, equitum millia duodecim.

E Castella Noua peditum triginta millia, equitum millia duodecim.

Ex Aragonensi regno & Catalaunia peditum triginta sex millia, equitum millia quatuordecim.

E Valentia & Murcia peditum sedecim millia, equitum millia octo.

E Granatensi regno peditum quatuordecim millia, equitum millia sex.

E Bætica seu Andalusia, & agro Giennensi, Cordubensi, Estremadura, peditum quinquaginta & vnum millia, equitum millia viginti.

E Portugallia seu Lusitania peditum viginti millia, equitum millia decem.

E Gallicia peditum octo millia, equitum millia duo.

E Biscaia latissimè sumpta, quà complectitur quidquid inter Galliam & Galliciam terrarum iacet, peditum duodecim millia, equitum millia duo & nongentos.

E Nauarra peditum octo millia, equitum millia tria.

Quæ omnia peditum statuunt ducenta viginti & vnum

 millia,

millia; equites nongentos supra octuaginta nouem millia. Ingens numerus, sed qui à magno viro & Hispanicarum rerum peritissimo profectus fidem mereatur. Quòd si singula regna & prouinciæ quartam eorum, quos armare possunt, partem, in annos duos aut summùm tres, ære suo, Regi suo mittant in belli subsidium, exurgent peditum quinquaginta quinque millia, ducenti & quinquaginta; equitum viginti duo millia, quadringenti & septuaginta quinque. Auctior equitum numerus est? auge peditum, minue equitum; & pro quinquaginta quinque peditum millibus, substitue quinque & septuaginta millia; pro equitum millibus viginti & duobus, concede millia non amplius decem.

Opes regiæ, & omnium totâ Hispania Prælatorum ac Magnatũ.

Iam si regias intuearis opes, ingentes omnino sunt: cùm supra sex & viginti auri milliones annuè regio inferantur ærario. & possent plures, si res, Augusti more, ad certos calculos redigamus. Nisi quis arbitretur, tam sedulam seriamque exactionem non cadere in magnos Reges. errat. non pœnituit, nec puduit Romanum Imperatorem, nec quidquam magnitudini illius ex accuratissima, ac quasi priuati hominis cura, decessit; accessit plurimum.

Quòd si Archiepiscoporum & Episcoporum regni illius opes recenseas, magnas omnino reperies. annis enim singulis Archiepiscopatus quinquaginta quatuor supra septingenta millia aureorum pendunt: Episcopatus verò, minimùm septuaginta octo supra octingenta aureorum millia. Nec tango hic Archiepiscopatus & Episcopatus Indiæ vtriusque, quorum opes in tanta gemmarum, auri, aromatum luxuria, quis certò enumeret? Sed neque Sardiniæ, Siciliæ, Neapolitani regni, Mediolanensis prouinciæ, aliarumque partium Regi parentium.

Adde his militarium Ordinum annuos prouentus. Inuenies in S. Iacobi Ordine, qui nonaginta nouem administrationes seu Encomiendas continet, supra octingentos & octuaginta nouem, trecenta & octo aureorum millia.

In

In Ordine Calatraua, qui quinquaginta & vnam Encomiendas continet, centum & trigintaquinque aureorum millia.

In Ordine Alcantara, qui triginta octo Encomiendas complectitur, ducenta quadraginta octo millia, supra centum & quatuordecim aureorum millia.

In Ordine S. Ioannis, qui in Hispania centum & triginta quatuor Encomiendas continet, ducenta quinquaginta, supra centum & triginta quatuor aureorum millia.

In Ordine de Montesa, qui tredecim Encomiendas complectitur, tria & viginti aureorum millia.

Quorum omnium summa nongentorum & quinquaginta millium, trecentorum & octuaginta septem aureorum est. Omnium verò omnino commemoratorum Ecclesiasticorum summa excrescit in milliones auri duos, & quingenta & octuaginta duo millia, & aureos trecentos & octuaginta septem.

Taceo Abbates, Prælatos opibus claros, variarumq; Ecclesiarum Canonicos, aliosque Ecclesiasticis prouentibus insignes: qui si in vnum conferantur, non cedant Archiepiscopis, Episcopis, militaribus Ordinibus sacris: adeoq; superabunt non parum.

Veniamus ad sæcularium Principum opes. Reperio Hispaniæ viros Principes quos *Grandes* vocant, è prouentibus suis, annis singulis percipere; Duces nongenta & nonaginta aureorum millia, supra millionẽ auri vnum: Marchiones trecenta & quadraginta octo aureorum millia: Comites ducenta & sexaginta sex aureorum millia. Quæ si iungas, reperies supra milliones annuos duos, sexcenta & quatuor aureorum millia. Adde his annuos census Magnorum Hispanię in Italia, nongenta & septuaginta aureorum millia; & reperies, supra auri milliones tres, quingenta & septuaginta quatuor aureorum millia. Quibus addi possunt annui prouentus, Ducum, Marchionum, Comitum Hispaniæ, extra numerũ

Ma-

Magnorum, milliones auri tres, & centum & quinquaginta & vnum aureorum millia. Quæ omnia excrescunt in septingenta & viginti quinque aureorum millia, supra sex auri milliones. Quibus si addas Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinumq; militarium opes; exurgent milliones auri nouem, & trecenta & septem aureorum millia, & octingenti & septem aurei. His verò si iunxeris reliquorum Ecclesiasticorum prouentus illustriores, aliorumque infra Comitum dignitatem constitutorum opes, fidem superabunt regni vnius opes.

Ex his opibus si singuli vltroneâ voluntate Regi suo anni vnius prouentum offerant, quàm nobili augmento regium opulentabunt ærarium? Et quis petenti Regi, fidei & regni bono, subsidiarium anni vnius prouentum negabit? maximè si aliquid honoris regiâ munificentiâ singulis accedat: honor nimirum pro pecunia erit; maximè apud Hispanos.

Iam si, Augusti exemplo, quicunque Hispaniâ totâ, per cuiuscunque generis opes aliquid possunt, in annos duos trésue, pro facultatum nimirum ratione, militem vnum alterumúe, aut plures sumptibus suis alant; quanti exurgent exercitus, Deo, Regi, regno! & quantula res est paucorum annorum stipendium, militis vnius, aut plurium, aut medij etiam, si plures non permittant annui prouentus?

Perget aliquis, & grauia hæc esse dicet. at ego nihil hîc video admodum graue, aut metuendum. sed &, si quid iudico, deduco rem ad facilem executionem, & magnam non magno negotio militarem manum. In vniuersa Hispania, quæ ambitu suo tot regna & prouincias complectitur, opesque quas recensui tantas, quantas nullum orbe toto regnum, siue in regium ærarium, siue in Ecclesiæ proceres, siue in sæculo magnos confert, oppidorum minimùm pagorumque millia triginta reperies. Sanè ex Alfonso Sapiente, de solo agro Bætico, refert Mariana historiarum lib. III. cap. VII. *Tanto prouentu, vt centum millia, quà villas, quà trapeta, in ijs oliue-*

tis,

tis, quibus Assaraffio nomen est, Mauris rerum potiuntibus, numerarent. Ingens numerus, sed Alfonsi tamen Regis Sapientis historiæ auctoritate probabilis. Hæc anno 1248. cùm prouinciam illam Hispaniarum fœcundissimam Ferdinandus III. Sanctus, Mauris eripuit. Et verò Plinius lib. 11. cap. 1. oppida in Bætica numerat CLXXV. vt nemo miretur si vniuersæ Hispaniæ triginta nunc locorum millia attribuam, è quibus educi miles possit. Educ proinde è singulis stipendia in pedites duos, equitem vnum; habebis peditum ex his regnis, millia sexaginta, equitum millia triginta. quòd si plures hîc equites, deme de equitatu, auge peditatum: aut sanè medium tantùm equitem è singulis locis educito. Non quòd è minimis locis tantum stipendiorum velim colligi, quantum è magnis, sed habitâ populi & potentiæ in singulis locis ratione. ita ex vrbe vna viginti, quinquaginta, centum etiam, aut plurium sperari stipendia poterunt: è tenui pago, stipendium vnum, aut medium etiam militis vnius. Quæ omnia quo commodiùs, minoreq; locorum sensu fiant, posset regiâ concessione permitti, modicum aliquod vectigalis alicuius publici, in singulis locis augmentum. è quo stipendia hæc, nullo propè populorum, vrbium, pagorumque sensu colligi possent.

Dicet alius, nulla à Lusitania, Aragonia, Catalaunia subsidiaria stipendia prudenter sperari. neque enim in illis Regem pro imperio omnia posse, cùm veterem etiamnum aliquam libertatem spirent, & ad imperata non rarò obnitantur. nolo imperia: gratuita volo dona, & in annos paucos. Regiæ preces quid non possunt, maximè si præsentiâ nonnunquam suâ, populos illos, quibus vidisse Regem pro beneficio est, recreet? nec è Castella tantùm, sed è media Lusitania, Aragonia, Catalaunia, in obsequium suûm euocet, honoribus augeat, singularique regiâ beneuolentiâ complectatur; & faciles ad rogata reperiet. Quid? quòd inter beneficia numerent, benefacere posse Regi, cuius munificam benignamque manum experti sunt: regiumq; adeò esse putent,

Responde-tur obie-ctioni de Lusitania, Aragonia, Catalau-nia, circa militarem indictionē.

tent, benefacere Regi posse; maximè Hispani, in quorum ferè pectoribus, singuli spirant natantque Reges. nec gens vlla facilior ad rogata, si supplicem quamdam venerationem admoueris, vt cui honor pro anima sit. Honorem proinde hunc à regia manu & ore si senserint, ac quasi supplicem Regem, in omnem prosilient rogati munificentiam. nec opes tantùm, sed & vitam lubentes vltroq; profundent pro Rege, à quo honorari, ac quasi coli se viderint. cultus enim illis pro opibus & vita est. Nec vlla natio faciliùs, aut ponit iras, aut vindictæ studium, aut hostile ferrum, si venerabundum senserit hostem, si submissum, si supplicem. tantum potest innata gloriæ cupiditas. Omnia retulisse se putat, cùm honorem retulit. quem qui dare didicit, maiorem ab illa referet, laudemque etiam ac fidam dexteram. præuenisse verò apud illam honore, pro quacunque offensa est, & positi odij, & assumptæ amicitiæ signo. ita paruo apud illam res magnæ parantur. Cedere qui potuit, vicit. venerari qui prior didicit, etiam supplices patietur; dexteram qui concesserit, referet. Laudas? honoras? cum fœnore laudes reponet Hispanus semper, reponetque cum fœnore honorem. Fortiùs ergo laudari qui volet, laudet ac veneretur prior. nullusque adeò finis laudi ac honori erit, si vel modicâ laude ac honore prior viam straueris. tam modicis tam magna veniunt.

Addam illud, ab ore togati, & militis Hispani, si è prouincijs suis singuli, ad Ecclesiasticas dignitates, è gente sua, non aliena, promoueri senserint; si dein non è priuato prouinciarum affectu, sed pro cuiusque robore, meritis & fortibus ausis, ad digniora militaria munia euocari viderint; ad Cathedras etiam, & Regum suorum consilia, & togata decora, è quacunque gente, solâ virtutis ac eruditionis prærogatiuâ, promoueri experti fuerint; facultatibus se suosque exuent omnibus, adeoque & vitâ, vt tam benefici in omnes Regis, & solius virtutis æstimatoris desiderijs faciant satis. Experire quisquis imperas. mentior, si non maiora calamo

hoc

hoc meo profuderint, & multorum etiam annorum militaria ſtipendia, non læte minùs quàm munificè erogauerint. O, ſi placeant hæc vota tuorum tibi, Rex Magne! Fide, mi Rex, tuis, ſi imperare tutò voles: & qui multis imperas, fide multis. Prima pacatè gubernandi regula, fiducia eſt: ſumma, amor eſt. Diffidentia in contemptum, inde abit in odia & arma; & palàm improbi eſſe audent, qui priuatim non audebant, cũ putent ſe filiorũ legibus non teneri, qui pro talibus non habentur: & ſpecioſum ad arma prætexunt nomen, libertatem. Nam cùm prima regnorum omnium vni genti committi vident, excludi reliquos; illam filiorum, ſe ſeruorum propè loco haberi; ſeruorum ingenia mutuantur. quare taciti primùm obmurmurant; exindè apertè, ac tandem palàm, hoſtem induunt, quẽ priuatim tegebant; cùm ſerui haberi nolint, qui filij eſſe debebant. Quid? quòd vna diffidentia aliam trahat. ſuis Rex diffidit? experietur diffidentes ſuos. non credit ſe illis? paria expectet. negligit? negligent. contemnit? contemptu ſe vindicabunt, minas minis repercutient, & antè decurrent ad arma, quàm ſenſerint; iuſtam armorum cauſſam Regis ſui neglectum arbitrantes. & ſunt hæc arma ferè æterna: quæ non niſi alterius partis internecione, aut turpi pace ponuntur. Fuge hos ſcopulos, quiſquis purpurata hæc maria nauigas. Fiducia, & beneuolentia, & in tuos amor, & ignorata diſcrimina gentis, pacatum imperium dabunt. cùm Rex omnibus pater, omnes Regi ſuo filij ſteterint, neque vllus niſi ex virtute delectus; nil eſt quòd arma Rex metuat, aut ſuorum ferrum.

Ingrediamur Belgiũ, & ex ea parte quæ Regi paret, è ſententia virorum bello & pace magnorũ, militem colligamus. quàm non magno molimine, partitis per prouincias, vt antè dixi, oneribus, pro ſingularum potentia, viginti & plura etiam millia educas! Vide quid educãt è prouincijs ſuis aduerſarij, quantumque annuè auri militi terrâ marique alendo, colligant. nam præter vndecim minimùm argenti millio- *Quis miles educi è Belgio poſſit.*

 nes,

nes,quos in terrestrem equitatum peditatumque è suis referunt, ingentibus omnino,non priuatorum tantùm,sed prouinciarum suarum sumptibus, classes sustentant, è maritimis nimirum vectigalibus.quibus,fateor,longè nos vincũt: cùm neque prouinciarum multitudine, neque potentiâ quidquam illis debeamus. imò vincamus numero, potentiâ,vrbium magnitudine,frequentiâ, solique non vnâ parte fœcunditate.cùm ipsi oppida non numerent supra quatuor & octuaginta,pagos non supra mille sexcentos: nos oppida minimũ triginta supra centum,pagos supra quinque millia.

Quòd si militaris stipendij per prouincias partitio, ardua alicui, cùm perfacilis sit,videatur, reduco, vt antè dixi,in facilem Hispano more praxim. Inuenies in ea Belgij parte, quę Regi etiamnum paret,oppida minimùm centum & triginta;loca verò mœnibus suis viduata,è quibus plurima certare cum vrbibus possint, ac quà potentiâ, quà cultu & elegantiâ; ac populi frequentiâ etiam vincere, millia,vt quàm parcissimè dicam, quinque.. educ è singulis stipendium pro peditibus quattuor, equite verò medio; educes peditum millia viginti, quingentos & viginti; equitum verò millia duo, quingentos & sexaginta quinque. Habitâ tamen semper potentiæ ratione.hinc enim,pro prudenti partitione, è ciuitatibus seu oppidis, è pagis etiam potentioribus, educes plures; è tenuioribus pauciores. vnde fiet vt ex vno loco educas decem, aut plures, ex altero vnum tantùm. Quæ subductio perfacilis erit prouincijs singulis, quibus locorum omnium suorum opes notissimæ sunt. Quæ omnia, vt vir quidam Belgarum non postremus affirmabat,è modico vectigalium in singulis locis augmento, nullà populi molestiâ, perexiguo sensu colligas. Neque adeò hæc noua,vt non nobile vestigium apud Romanos,& quidem sub Augusto Imperatorum maximo, referente Paterculo, reperias. *Contra Marcomannos habitus delectus, reuocati vndique omnes veterani. viri feminæque ex censu coactæ dare militem.* Quantus Regi exurgat

urgat exercitus, si Augustum sequamur! Non dico hoc imperandum, pro imperio regiæ preces erunt. Et per commodos & amicos rerum talium suggestores, ac auctoritate in singulis oppidis locisque pollentes, non magno negotio peragi fors hæc res posset. Multum in hac re Episcopi, Pastores, Concionatores, primique Senatorum, & qui è nobilitate populo grati, poterunt. Spes deinde ponendi belli, hostem superandi; damna auertendi, commodorum etiam & quæstus, plurimùm iuuabit. nec quidquam ad spontanea in populo subsidia præbenda potentius.

Addam aliud viri inter togatos nòn vltimi. Nobilitatem concede ijs omnibus, qui stipendijs suis annis quinque militauerint. Nobiles verò, qui eundem annorum numerum de suo expleuerint, dignitatibus auge, Baronum nimirum titulo; Barones, Comitum; Comites, Marchionum; Marchiones, Principum, aut Ducum. nec deerunt, quos gloriæ hæc prurigo ad vltronea impellet arma. Sed ita, vt quos his modis honoraueris, in proximum ab honore decennium, annis singulis parati esse debeant, mensibus quattuor, vbi regio euocati edicto fuerint, suis militare stipendijs, aut alium de Principis assensu substituere. Diutiùs similitandum, è regio ærario, reliquorum more, menstruo stipendio donentur. Quod quo lubentiùs faciant, aliquibus dona immunitatibus, quæ plus honoris quàm emolumenti adferant. vt in delictis solo gladio puniendos; nunquam bonis simul & vitâ spoliandos; domos, quas inhabitant, siue vrbicas, siue suburbanas, ab omni militari præsidio eximendas. His, similibusue si donaueris, non deerit Regi suo miles. *Modus militem parandi qui suis stipendijs militet.*

Perpetuam deinde (vt è nobilitate non postremus suggerebat) militiam Rex instituat, vt sub perpetuis ductoribus stipendia miles faciat, qui in omnem euocationem paratus sit. nec stipendia tamen vlla, nisi quibus in armis est mensibus accipiat; annis verò singulis, sub suis singuli ductoribus lustrum faciant. His etiam honoris aliquid largien- *Perpetua militia excitanda.*

dum, quo lubentiores & paratiores habeas. Insigniri possent titulo Custodiæ regiæ, ita vt tertio quoque mense distributi per turmas, regiæ custodiæ incumberent, quo etiam tempore custodum corporis stipendijs gauderent. Nec perpetui alij designandi: sed mutuò hi succedanei, perpetuorum corporis custodum vices obirent. Habes aliquid non omni-
3. Reg. 4. no absimile in Salomone, de quo illud Scripturæ: *Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currulium, & duodecim millia equestrium. nutriebantque eos supradicti Regis Præfecti* Quorum exemplo singulæ prouinciæ nostræ ordinarios milites suos leui stipendio alere possent. Augustus sanè ordinarios milites statuit. seruatum à successoribus, vt paratos ad subita bella haberent, & in celeri malo pro celeri remedio forent. factum idem à Philippo Macedone, qui mediocri stipendio, diuersis locis militem alebat. Vires enim suas nisi coniuncti, non vident: cùm agmen fecerint, terribiles fiunt. Disiunctim etiam exercendi, curandumque in primis, ne otio diffluant. frustrà enim ab ignauis magna speres.

Respondetur obiectioni, è diffidentia nata. Verùm fors hîc quisquam dicat (vt nunquam deesse ingenia solent, ad euertendum quàm ad struendum faciliora) non carere hanc rem periculo. In exemplum esto. si è Belgis exercitum conscripseris, qui Belgica mereat stipendia, vindicare hoc milite se Belgas in veterem libertatem posse. Quàm ingeniosa in alieno æmulatio est! nullo illi sæculo rationes defuere: non deerunt nostro. quanquam rationis huius admirari satis fatuitatem non possim. Sed nimirùm magna imperia fortuitis sæpè magis, quàm prudentibus ausis creuere: &, vt virorum non vltimus dicebat, mole magis suâ, quàm sapientiâ stetêre. vt arbitreris noluisse Deum vni regno prudentiam, & potentiam largiri. Verùm ad rationem. Quod timeri periculum, vt prudenter vir bello clarus, è Belgico milite potest? exercitus illius Ducem Rex dabit, legionum Duces Rex dabit, peditum, equitum. Regiæ ergo munificentiæ obstricti stabunt: nec ad militares hono-

res

res vllos, nisi regiâ manu, via patebit. colent ergo illum, à quo beneficia sperabunt. Imperium nullum prouincijs in militem hunc erit: legionibus tantùm suis, singulæ in menses singulos, pecuniâ capitatim per aliquem è suis designandum numerabunt. nec extra pecuniariam hanc enumerationem ius vllum prouincijs erit.

Sed noua hæc. Imò vetera sunt, & Romanorum hunc morem in maritimis classibus Cicero in Verrinis tradit. & Bataui secuti, singulis prouincijs suis certas legiones designant stipendiarias, quibus menstruatim stipendium è vectigalibus alijsque adnumerant. Nec error hîc ludit vllus. per certos designatosque è prouincijs homines, pecunia hæc militi menstruè numeratur. quòd si qua prouinciarum à quacunque caussa oneri huic succumbat, potentior alia in oneris partem venit. Quid veremur imitari prudenter excogitata? an pudor imitari prudentiam in hoste? aut cadere malumus imprudentiâ nostrâ, quàm hostili prudentiâ stare? Quanquam, si hostem nolumus, imitari non pudeat Romanos. nulla vnquam gens hos magistros spreuit.

Sed magna hæc foret è Belgis manus. Vellem, aiebat ille, maiorem, quo certiùs hæc bella ponamus, & optatâ fruamur pace. ô nimis diu speratâ! Et tamen miles magnus. Video quid velis. diffidentia aliqua obuoluitur cordi. obsideri hac vis: fateri non vis. ergo nolles tot arma prouincialia. malles extera? O, quamdiu fatuis his, in regnorum & religionis interitum, innatabimus timoribus! Quot iam annis solo propè Belgico ferro & manu steterunt hæc religioni & Deo bella! Quantum Hispanum militem videmus? millia fòrs tria aut quatuor. & quæ hæc manus, si armis stare fides debeat? quantum videmus Italum? nihilo Hispano milite superiorem. quantum Germanorum? vix superiores etiam numero. Iam quid miles hic omnis externus præter honores plurimùm & opes venatur? vni Deo quis hos credat militare? Belgico militi pro fide, pro patria, pro coniugibus, pro

pro liberis, pro fortunis,& ſuorum incolumitate concertatio eſt. Et ſanè ni fides nos teneret in Deum, in Regem, in Principes, quæ vis teneret? ludus ſint arma extera omnia. ſola, vti vir omnino magnus dicebat, nos fides tenuit, ſola tenebit. Infrendeant hoſtes. nulla alia arma, quàm amoris in Deum, in Regem, in Principes, Belgas flectent. Stetit hoc Belgis ſemper, ſtabitque, indomita antè ceruice mori, quàm quarumdam gentium exemplo, ſeruitutē tanquam è iucunditatis poculo bibere. Adde orbis vniuerſi arma, excutient. Fors opprimes. vt diu teneas, erras. nec Cęſaris arma, nec Auguſti potuerunt. Sed nec totum Belgium ſubegere. decerpſerunt è pulcro validoque corpore hinc inde partes: ſed partes defruſtarunt tantùm. Fallitur qui aliud ſperat. quantum hîc ſubegeris, tantum alibi erumpet, non ſi Regum omnium in vnum conſpirent arma. Vincuntur regna alia, & domita iacuerunt armis. ſolum Belgium nulla totum domuerunt: nulla domabunt, ſi vniuerſum ſimul ſteterit. Nihil detractū eo reliquis regnis. Concedo Italiæ prudentiam, Hiſpaniæ robur, Galliæ ſuos ignes, Germaniæ conſtantiam; nemo Belgis audaciam, induſtriam, vires adimet. Expertus hoc olim Cæſar eſt, & Galli ſæpè, & quotquot arma mouerunt, quotquot intulerunt. Et neſcio an non ſoli Belgæ, ſoli ſemper amori ceſſerint, ſoli Principum ſuorum beneuolentiæ, comitati, humanitati: armis vniuerſim nunquam. Orbis antè theſauros euertes; & omnium vbique regnorum, orbiſque adeò ipſius arma & potentiam franges, quàm aut vniuerſum Belgium ſubigas, aut diu terroribus teneas. Incipe amare, fidere, benefacere; vinces. Nec vllam gentem magis fidam experiere, & quæ ſanguinem ſuum gaudeat pro Principe fundere, & inter beneficia numeret fudiſſe. Non dico arma ponenda, non capienda. nec mea hîc, ſed aliena narro. inter arma tamen, ſi capienda, beneuolentiā non omnem exue; vt in medio ferro eluceat aliquid benignitatis, in victorijs moderatio, in captiuis modeſtia, in victis māſuetudo; & vinces.

ces. Nulli faciliùs ferunt imperium, si amari se senserint; nulli faciliùs excutiunt, si negligi se viderint; nulli faciliùs pacantur, si Principes patres expetti fuerint; nulli pertinaciùs exasperantur, si seruorum more habeantur. Peccarunt? sæui vt pater, experieris filios, si te senserint patrem. Patrum ergo more puni, vt flagra patris referant manum, non iudicis, non domini. O crede quisquis imperas Belgis. Quos si habueris tuos, nil est quòd, è sententia viri omnino magni, metuas orbis arma. Certè, si liceat vera loqui, nulla orbe toto prouincia serendis bellis aptior, nulla ferendis. nulla tot fortissimorum militum exercitus educit, nulla tam validas instruit classes. nulla post hostile ferrum, & depopulatos agros, vrbesque vno incendio deletas, faciliùs exsurgit, vt arbitreris, Phœnicis more, cineribus suis innasci. & cultiora ferè semper surgunt, quàm militaris licentia, aut sæuitia absumat, vt credas naturæ quodam beneficio, perire, vt augustiùs resurgant.

CAPVT XLIII.

Nouè inuenta & proposita, serio examini subiiciat.

FREQVENS Regibus est, audire ante illam diem inausa, inaudita. nec mirum hoc cuiquam videri debet. placendi studio, commodo suo & Reipubl. magna ingenia ad magna exacuuntur, maximè si munificum Principem nacta fuerint. Quid non speratus honor, & diuitiæ possunt? tot artium variarum inuenta, tot terrâ, mari, montibus, vallibus, nemoribus, pascuis nouè excogitata, tot vectigalibus opibusque augendis, firmando regno, extendendo, propugnando, reperta iam sunt; & noua tamen semper succrescunt, protruduntur noua. Quid in tam diuite varietate faciet Princeps? nec fidem statim adhibebit, memor fraudum; nec reijciet, pœnitudinis memor. Fido proinde prudentum examini proposi- *Inuentoribus rerum nouarum faueat Princeps.*

ta exponet; etiam illa, quæ primâ fronte damna videntur minari, aut regni vires ſuperare. nil obeſſe audiſſe poteſt; repuliſſe, poteſt. Et vt leuis animi eſt, fidem omnibus adhibere; ita moroſi ingenij eſt, omnia repellere. Damnatus ab omnibus Portugalliæ Rex, quòd Chriſtophorum Columbum magna ſpondentem repulerit: laudatus Hiſpaniæ Rex, qui audiuit, examini ſubiecit, feliciſſimo ſucceſſu. Imitetur Princeps. ac primò videat quid promittant nouarum rerum inuentores: ardua ſint, an factu facilia: periculum creari regno poſſit, an ſecùs: ſumptus magni faciendi, an paruo res peragenda: numeranda aliqua pecunia inuentori in anteceſſum, aut quæ erogationi illius ſubſit, an contentus præmio, re peractâ, ſit. Si periculi nullus metus, ſi perexigui ſumptus, ſi nil ad autorem acceſſurum, ni re ex voto peractâ, quid vereri Princeps poteſt? Nec terrere interim illum rei difficultas debet. Nullo tamen modo in res dubias profundat regni opes, aut robora; intentata tamen non relinquat profutura. Videat quàm fortunatè Salomon in Ophir claſſem miſerit aurô deuehendo; quàm feliciter in Orientem Luſitaniæ Reges, in Occidentem Hiſpaniæ, non magnis ſumptibus, gloriâ & emolumento maximo nauigauerint. quanto deinde Angliæ bono, lanificium omne è Belgio migrauerit, quantoque huius malo. Idem de varijs artibus dicere poſſem, quæ fæcundiùs in alieno, quàm in quo natæ ſunt, agro ſuccreuerunt. tantum profuit, non repuliſſe inuentores. Sed & artes non paucas, à vicinis remotiſque regnis mutuati Belgæ proſperrimo euentu. quanquam ab his reliqua regna plures Ita fæcundum ſemper, ac inuentione diues Belgium fuit. qui primus ſubſtructâ pice cælare docuit, Belga fuit. oleo primus Belga pinxit. typographica ars à Belga nata eſt. intexere primus lino agros, nemora, arces, vrbes, montes, rupes, valles, maria, acies, conuiuia, & quidquid vbique eſt, Belga docuit. acu quiduis, propè ſupra fidẽ, pingendi ars à mulieribus Belgis in alia regna, vicina remotaq; migrauit. portento

Belgarum in artibus colendis & inueniendis induſtria.

ſimile

ſimile credas, ſi quinquennes virgines in docto hoc opere ludentes, inter amicas ætatis illius confabulationes, videas, vt, dum adeſſe per ætatem prudentia non poſſit, huic vni ineſſe credas. Tranſierunt denique hæc, pluraque alia ad alios: quædam etiam, licet perpauca, ad has prouincias ab alijs deflu xerunt. Prudens proinde Princeps, quidquid profuturum regno ſuo, auidus audiet, ſeriò diſcutiet, neque temerè admittet, nec negliget: aliquid etiam leui pecuniarum & ærarij damno, audere non verebitur. Non magna rei paruæ iactura eſt, quam ſpes maxima comitatur. & ſapiens eſcam proijcit, licèt non rarò optatâ piſcatione fruſtretur: ſcit vincere non poſſe, qui perdere neſciat, magnæque prudentiæ eſſe, pecuniam in locò negligere. hoc eſt terræ ſemina mandare, & perdere, vt centuplo perdita recipias fœnore.

CAPVT XLIV.

Quis modus Principi tenendus in querelis populi de Magiſtratibus & Nobilitate?

POPVLI de Magiſtratibus querelas, nec vniuerſim reijciat, nec admittat, fidemque nec totam adhibeat, nec abroget: ſed neque opprimi populum, nec contemni Senatum permittat. & cùm populi querimonias non negliget, tum Senatus auctoritatem tuebitur. Seriò proinde matureq; populares delationes examinabit, amicè audiet, beneuolè excipiet: reſponſa tamen trahet, & moram rebus inijciet, quæ ſola ſæpè mederi malis ſolet. Quòd ſi quid dignum emendatione repererit, priuatâ id potiùs monitione faciet, vt antè emendatam populus rem videat, quàm emendationem imperatam ſciat; quò & ſua Senatui ſtet veneratio & auctoritas, & malis remedium adhibeatur: remque ferè eo modo pertractet, vt Senatus ipſius iudicio emendatio adhibita videatur, ac nec tam imperata, quàm vltrò ſuſcepta credatur.

Non permittet populum obrui à Nobilitate.

Non ſunt negligendæ populi querimoniæ.

Cauendum ne Senatū dedecore afficiat.

Caueat verò ab eo omni, quod dedecus aliquod Senatui inurat in posteritatem iturum. Quòd si res excusationem nullam patiatur, nec regi Senatus error possit, remedia adhibeat: sed ita, vt, dum errores Senatus corrigit, populi disquirat, qui sagaci & industrio Principi nunquam deesse poterunt; & vtrisque simul medelam admoueat, ne gloriari impune populus de Senatus emendatione possit, cum suos etiam errores corrigi à Principe senserit. Quòd si quis è purpuratis populum grauiùs offenderit, prudenti omninò remedio opus erit, ne, si indulgentior Princeps fuerit, & delictum neglexerit, iram in se populi prouocet. cùm enim se contemni credet, periculum è contemptu & desperatione creare Principi poterit. nescit affectibus moderari populus, ad extrema decurrit, odij aut amoris. hinc in manibus iuxtà ac in ore ferrum. sanguinem fundere aut haurire, illi solenne est modestiæ ignaro. Vitabit hos scopulos Princeps prudens, nec illidet regni sui nauem ad hæc popularia breuia, non nisi sanguine mollienda. Dimittet proinde à se purpuratum illum, & remotioribus distinebit legationibus, quò & indignationem leniat, & metuendos regni motus auertat, & saluti purpurati sui consulat; & extra insanum popularem metum, fræni rationisque impatientem, fatuasque minas, antè sanguine ebrias, quàm illum biberint, opera illius fidâ fortique, regni sui bono, discrimine nullo, feliciter vtatur. sola plurimum mora leniet hoc malum. Quo enim calidior in vindictam populus, si contrà steteris; hoc remissior, si aliquid indulseris. dies furorem mitigat, & quæ frangi coniuncta non possunt, pereunt si dissolueris. dissoluit tempus. neque enim summi æstus diu stare consueuerunt. & quidquid in præcipitio constitit, moram non patitur: aut enim pondere suo corruit, aut celeritate summa tenet. Cedat ergo primis feruoribus, tanquam primæ fornacis flammæ, Princeps. emorietur hæc, vbi materiam subtraxerit, & pro ignibus frigora experietur. Diu in eodem statu furor nullus stetit, non ma-

magis quàm iaculatus ignis, quem ambiens mollissimus aër temperat primò, exindè extinguit.

Nec minor difficultas, cùm populus, Nobilitatis insolentiâ, potentiâ, auaritiâ, libidine, ferro oppressus, ad arma conuolat, aut ad ferias & metuendas minas. Quid aget? toto se corpore opponet? quæ vis resistat popularibus torrentibus, tanquam è summis montium cæco impetu, nullo occurrentium delectu, irruentibus? Nobilitatem destituet, & robore se suo exuet? Anceps disceptatio. facilius tamen Nobilitas pacari solet, quæ ferè indignationes ratione temperat, soloque regio conspectu indignationes irásque ponit. In populo plus longè furoris quàm rationis, nec purpuram intuetur, nec sceptra, nec Regum in se promerita, nec maiestatem reueretur. Nescit discrimina furor, non magis quàm venti nauium, quàm nubibus iaculata fulmina, prima quæque euertunt; clara illa, viliaque, iuxtà habent. satis illis euertisse. Cedet ergo primis populi furoribus Rex prudens: & aliquid etiam largietur. Factum à Senatu Romano, cùm in Sacrum montem plebs armata secessisset, cùm Virginio & Canuleio ducibus, in Auentino & Ianiculo, arma ostentaret; cùm nunc libertatem, nunc pudicitiam, natalium demum dignitatem, honorum decora & insignia vindicauit. Faciet idem Rex, nec Postumij exitum, nec Appij Claudij fortunam, non Coriolani, non Camilli expectabit. Verùm cui se Rex parti tradet, si arma vtrimque steterint, nobilia, plebeia? illa ratione & præsentiâ suâ molliet: hæc simulatione, promissis, morâ, quarumdam etiam rerum concessione, ac quadam fiduciæ ostentatione. In vniuersum verò sapientis Principis, & regni commodis ac tranquillitati studentis, cura erit, vt Ecclesiæ Proceres deuinctos sibi habeat: neque enim vllâ re potentiùs, quàm religione homines rapiuntur. addet Nobilitatē, & plebem. illos Ecclesiasticis immunitatibus, hanc honorum prærogatiuâ, plebem commodorum, moderatâ vectigalium institutione, humanitate etiam ac comitate,

Quid agendum Principi, populo contra Nobilitatem commoto.

Cedendum primis populi furoribus.

Ecclesiæ Proceres sibi deuinctos habeat

Prima in Principe cura Cleri, & plebis. quæ tamen non eat in neglectum. Quòd si parare sibi omnes non possit, maximè dissentientibus inter se animis, Clerum sibi paret, & plebem. sequetur Nobilitas. neq; enim illi sat magna sine Clero auctoritas, aut sine plebe vires. Enitendum proinde semper, vt obstrictũ sibi habeat Rex Clerum, & plebem. sequetur Nobilitas. quam, si sine priorum offensione, iungere sibi potest, beatus: sin minùs, non vereatur. neque enim nudę Nobilitati sat virium in armatam plebem. quæ ferè suopte ingenio acriùs fertur in Nobilitatem: cuius siue contemptum, siue fastum, siue supra reliquos decora, cùm non ferat, in odia exsurgit, indè in arma. magis etiam in Principis sui tuitionem, cùm benignum facilemque experta fuerit, & fiduciâ in suos plenum, aut Nobilitatis potentiâ oppressum, aut terroribus minisque illius cedentem.

CAPVT XLV.

Quid faciendum Principi, populo commoto & turbato?

DE commota multitudine quid dicam? diuites exemplis sumus. Olim in Sacrum montẽ plebs Romana secessit. variæ hîc sententiæ Patrum. vicit Menenius Agrippa, aptâ in concordiam fabulâ, artuum & ventris. Iterata secessio sub Appio Claudio Decẽuiro, Virginio auctore, qui pudicæ filiæ interemptor, quàm corruptæ pater esse maluit. Exarsit alter tumultus in Ianiculo, duce Canuleio plebis Tribuno, & impetratum vt plebeij Patricijs iungerentur. Quartus denique, quo honorum & magistratuum consortium plebs impetrauit. *In quibus omnibus populus, nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora & insignia*, Floro teste, *vindicauit*. Ita concedendum aliquid Senatus putauit, ne vniuersam Remp. euerteret. Aliquid etiam non raro Princeps populo concedet. nam quis prudens, effractis aggeribus, torrenti corpus obijciat? flumen, adeoque mare, populus

lus est. nec maior huic sæpè, quàm illi ratio. cæco proinde fertur impetu, & obuia quæque, nullo sanguinis, probitatis, sanctimoniæ, maiestatis discrimine, subuertit. & quid sperare à fluctibus potes, littoribus semel euersis? sæuire didicerunt, parére nesciunt. in bonos iuxtà malosq; feruntur. Efferatior etiam populus est, & fulminis instar validissima quæque demetit, nullo generis, eruditionis, amicitiæ, virtutis delectu; vt meritò fatuum infelicemque dixero, qui primis illius incursibus latus opponit. vt inclamem cum Lyrico:

—— Ah miser
Quanta laboras in charybdi!
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimeræ.

Etiam Principi hæc audeo. audeo & illud, in dispari licèt caussa:

Non vides quanto moueas periclo,
Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ?
Dura pòst paullò fugies inaudax
Prælia victor.

Nam quid aliud irata plebs, quàm efferati catuli leænæ? vt nemo prudens, dum feruet indignatio, sceptra illi obijciat. Vbi enim semel excussa reuerentia est, non Principi, non patri parcet, non Diuorum aris ac templis. quare componendi primùm hi fluctus, & leni mollienda colla manu. neque enim semper pectinem iuba leonina patitur. Dissimulandum ergo Principi: aliquid etiam largiendum. sedato tumultu, vbi deferbuit indignatio, & frigus calori successit, & fatuos ipsi suos ignes damnare incipiunt, monendi, quorum præcipua noxa fuit. supplicia tamen vitabit, nisi fors in paucis, & carptim, & in illis, quos populi ipsius voces damnant. quanquam prudentis Principis erit, æternâ non rarò obliuione cuncta sepelire, in auctores etiam nihil curiosiùs disquirere, aut tanquam ignotos transire, vt ignorationi impunitatem tribuant. Audiamus in Cæsare Suetonium: *Si quæ cogitarentur*

In populo turbato dissimulatione opus.

gra-

grauiùs aduersum se aut dicerentur, inhibere maluit quàm vindicare. prudenter. Et in Agricola Tacitus: *Nec pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus erat.* Benè alius: *In offensis populi nemo prudens statim immittet manum securi. mora danda. vltrò pœnitudo accedet.* Peccauit in hac re Cæcinna, qui, Tacito teste, *proximam quamque culpam, antequam pœniteret, vltum ibat.*

Impetum ergo furentis populi morâ & arte magis, quàm robore, Princeps franget. clementia hîc, mansuetudo, benignitas, comitas, dissimulatio primatum teneant;

Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat vrbes.

non ira, quæ prouincias viduat & regna, & acuit odia, exasperat animos, & ad extrema consilia cogit, & vicina circumspectare regna aut libertatem docet. Populorum tamen in his ingenia norit. sunt qui secures admittunt; sunt qui vincula & exilia, nec vltrà. sunt qui verborum seueritate & minis ducuntur, nec supra minas patiuntur imperium; sunt qui beneuolentiâ duci volunt, & eâ ferè solâ: qui viros magnos extrema etiam promeritos, securi subijci crudele arbitrantur. In omnibus tamen curãdum, vt plus timeant, quàm patiuntur. natura metus infinita est, dolor terminum habet. dolemus enim quantum patimur, timemus quantum pati possumus. quanquam nec diuturnus metus esse debeat: vertitur enim in furorem, si prolixior sit.

Ad populorum suorum ingenia accommodabit se Princeps.

In quacunque demum punitione nunquam vniuersam vim in vindicandis sceleribus exhauriat. sed ita benignitate seueritatem temperet, vt maiores singulis ac vniuersis terrores, quàm in præsenti pœnæ proponantur. Magna tamen ratio habenda, propinqua an remota regna sint, quibus imperat Princeps. ac in remotis longè mitiùs imperata exequenda, nec ferè quidquam imperandum quod vniuersim populo displiceat, siue vectigalia imponenda, siue gerenda bella, siue alia momenti maioris pertractanda. Volentibus namque, maximè in latè diffuso imperio, imperare tutissimum

Seueritas benignitate temperanda.

mum est: ne, si quid imperare reluctantibus velis, quo remotiores à capite sunt, hoc securiùs faciliusque imperium excutiant.

CAPVT XLVI.

Quid faciendum Principi cum familiaribus, quos Priuatos vocant.

NON sum tam rigidus, qui affectum omnem adimere Principi velim; aut imprudens, qui sperem posse. Sunt quædam in vnoquoque propè nostrûm animorum propensiones, quas non nisi cum natura exuas. moderari tamen has in Principe maximè velim, ne, dum laxat habenas, in nocitura regno ruat. familiariùs ac fidentiùs etiam cum vno agere, nemo sapiens damnabit: domesticos etiam habere, quorum consuetudine, & obsequiorum promptitudine delecteris, nec nouum, nec mirũ. quis enim obsequiosos negligat, aut non amet? non beneficijs cùm possit, cumulet? aut quis probet eodem omnes loco haberi, prudentes, fatuos, virtutum vitiorumque sectatores? Et non Regum est, maiore in eos affectu duci, quos aut eruditio, aut innata pietas probitasque, aut vetus nobilitas virtutibus exornata, aut bellica virtus magnos dedit? sua nimirum virtuti vt laus & prçmia, ita & amor est. Sanè vel leuandi mœroris & molestiarum, vel ferendi solatij, vel benè consulendi caussâ, amicos vouemus: quo magis Regibus, qui latiùs his incommodis patent. Et, vt exemplis res illustretur, non Daniel apud Darium magnus? audiamus Scripturam: *Daniel superabat omnes Principes & Satrapas.* additur ratio: *quia spiritus Domini amplior erat in eo.* Non Ioseph Ægyptiorum primus? audiamus Regem: *Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra.* De Naaman Syrorum exercitus ductore: *Erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus:*

Principem priuato affectui indulgere fas est.

Dan. 6.

Gen. 41.

4. Reg. 5.

Iiii

ratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ; erat autem vir
3.Reg.4. *fortis*. Et alibi: *Zabud filius Nathan sacerdos, amicus Regis*. Magnum, amicum dici magni Salomonis. & non Chusai amicus Dauidis? Quid? quòd Christo Petrus, Iacobus, Ioannes arctiori reliquis familiaritate coniuncti fuerint. Et quis tam duro ingenio, tam barbarè Stoico, qui omnes aut pari velit beneuolẽtiâ haberi, aut odio pari? aut quis nesciat potentiores in vno amoris aut odij caussas, quàm in alio esse? Vt verum illud Paterculi semper fuerit, *eminentes viros semper magnis adiutoribus ad gubernandum fortunam suam vsos esse*. Vt duo Scipiones duobus Lælijs, Augustus Agrippâ, alij alijs. *Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent.*

Cautè tamen in eo prouidendum. Cautè tamen in hac re à Principibus procedendum, monitu Artaxerxis Regis: *Multi bonitate Principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solùm subiectos*
Esther 16. *Regibus nituntur supprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. Et in tantum vesaniæ proruperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere, dum aures Principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callidâ fraude decipiunt. quæ res & veteribus probatur historijs, & ex his quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorumdam suggestionibus Regum studia deprauentur.* Nimis magna documenta in omnem posteritatem ætas nostra dedit, quid horum potentia posset, quid noxius fauor, quid priuata studia. nec potuerunt veriore Priuatorum horum mores, quàm regio Artaxerxis calamo describi. Quo magis inuigilandum Regibus, ne cæco impetu in delectum ferantur, ne nudo affectui nocituras habenas laxent, & in vnum, amorem ac munificentiam profundant totam. Nec mihi hîc allegent Christum in Ioanne, Petro, Iacobo, cùm quos Christus amicos deligit, diuite virtutum quodam ornatu

natu amore suo dignos faciat. & quo crescit hic amor magis, eo crescunt & virtutes. pari nimirũ gradu amor, & virtus. In Regum necessitudine alia omninò ratio: ferè enim quos probos delegerunt, familiaritate deteriores faciunt; & quo crescit familiaritas hæc magis, eo quiduis audendi libido crescit. alligata enim ferè improbitas nimiæ Regum necessitudini est. quæ animos cùm suggerat, ad quæuis audenda impellit: quasi nihil dignum familiaritate suâ faciãt, nisi quantum possint improbis factis doceant. Nam in virtute posse, non magnum; in scelere posse, magnum illis videtur. è virtute enim posse, rationi tribuunt; in scelere, soli potentiæ ex Regum necessitudine natæ.

Deliget ergo Rex plures, quos virtus regiâ dignissimos amicitia suadet, & communis populi opinio dignos eâ prærogatiuâ arbitratur, quo magis à se, & à delectis inuidiam propellat. Prudentis est, populi opinionibus, dum sine Regum incommodo fieri potest, aliquid largiri. crescit enim ex his amor & obseruantia in Reges, & parendi in arduis promptitudo. sed neque facilè vnus omnes fallet; vt plerumque communi hominum opinioni respondeant mores. *Plures deligendi.*

Delectum verò hunc nollem ex infima plebe fieri. Peccatum in hac re à Ludouico & Philippo Galliæ Regibus: & hac ætate nostrâ à non vno. Ferè enim fastus nouitati adiunctus, & insolens ex insolito imperandi studium. *Non deliguntur ex infima plebe.*

Sed neque primos è nobilitate, quorum ampla gloria, augusta familia, multæ clientelæ, latè diffusus sanguis est, multorumque obstrictio, magnæ opes, animusque ad audenda magnus, & belli gloria magna; ne pœnitenda Regibus audeant, &, cùm possint, regna cogitent. *Nec è prima nobilitate.*

Nec facilè ad priuatas hasce necessitudines legant, quibus se multis obstrictos nominibus sentiunt; ne, non gratiæ & fauori, sed meritis cõcessum videatur; ne delectũ hunc, non pro munere, sed pro præmio habeant; & semel admissos excludere, sine ingratitudinis aliqua nota, nequeãt. Gratuitus *Nec quibus obstricti sunt.*

 hic

hic Regum fauor esse debet, quem excutere, tanquam vestem, cum volent, possint.

Senes deligendi.

Deligant autem, quos grandior ætas, rerumque experientia docuit; quibus regni negotia, robora, opes, & hostilis potentia cognita, qui consilio & auctoritate valent; quibusque in arduis animus & industria, in secundis moderatio, ad persuadendum elocutio, & incorruptum ante omnia pectus. Nam, vt bene Ambrosius: *Ex auaritia septem nequitiæ procreantur, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, contra misericordiam obduratio.* Quid? quòd *auri cupiditas materia sit perfidiæ* quâ qui tenentur, venalia regni munia habent, exinde Regem regnumque habituri. Damnandus Vitellius, qui, Suetonio teste, *magnam Imperij partem, non nisi consilio & arbitrio vilissimi cuiusque histrionum & aurigarum administrauit, & maximè Asiatici liberti.* Et sortitus exitum est, talibus amicis dignum.

Non sunt tradenda talibus regni gubernacula.

Cauendum dein Regibus, ne in intimam familiaritatem ascitis regni tradãt gubernacula, neué ab eorum consilijs operaúe dependere se ostendant. superiorem patitur, quisquis ab alterius imperio consilioúe dependet. Et non obsequi, seruorum; imperare, dominorum est? dominum verò patitur, quisquis ad alterius nutum facta componit sua.

Reipubl: munia non sunt per illorum manus distribuenda.

Cauendum etiam, ne per illorum manus Reip. munia ad alios eant, ne obstrictos hos teneant. Et sanè obseruatio omnis à Regibus ad hos munerum distributores vertitur. quæ res innumeris periculis ostia pandit: neq; enim res vlla vincendis animis, donis potentior est. audeant tantùm munifici hi donatores, non deerunt qui sequantur. Regiâ ergo manu & voluntate regni munia eroganda, quò obstrictas sibi suorum mentes Rex teneat, nec alterius hi quàm Regis sui munificentiã agnoscant, ne alterius imperia sequantur.

Non omnia concedenda Privatis.

Sed neque omnia concedenda petentibus. quin adeò neganda sæpè plurima, vel hoc solo nomine, ne omnia posse, regiamque mentem captiuam tenere videantur, & quò sua

Regi

Regi potestas constet. Meminerint verò in primis Reges, fortiter seuereq; negandum, quidquid publicis commodis aduersatur. tutius enim est vnum offendere, quàm omnes. quòd si, quod petitur cum ratione pugnet, memores sint verborum Christi: *Nescitis quid petatis.* quod dictum à Christo in sibi familiariores. *Matth. 20*

Fortiter occurrendũ iniqua petentibus.

Illud etiam, PHILIPPI II. Catholici exemplo, obseruari velim, vt nemo Priuatorum illorum ad iniqua poscenda descendere audeat. Perfacilè hoc fiet, si iniqua petentibus fortiter occurratur, nec impunitam grauibus verbis audaciam hanc Reges transeant. desinent petere, si iniusta petentibus pœna adiaceat.

Amicis horum nihil concedendum, si reliquis destituantur.

Sed neque quidquam concedendum Priuatorum horum amori aut sanguini, si reliquis destituantur. præferendi enim, quos virtus prætulit. nam si illorum amicitiæ, aut sanguini aliquid dandum, prima quæque regnorum munia, imperitissimis plurimùm largienda erunt. Quòd si pares virtute sint qui ambiunt; nollem cuiquam nocere Priuati amorem: plus tamen communi bono consulendum arbitror. Neque enim consultum regno, Priuatorum crescere potentiam, non opes, non clientum turbam, non amicorum vires. ne, si prima quæque regni munia in illorum agnatos amicosque veniant, pericula à potentia regno creentur. Illud etiam tyrannidis cuiusdam speciem habet, cùm omnes aditus ita per Priuatorum horum amicos obsessi tenentur, vt nulla, nisi per hos, conueniendi Reges facultas concessa sit.

Caueant Reges à Priuatorũ priuatis.

Nemo etiam Regum permittat, Priuatos hosce alios sibi adsciscere, ac quasi subdelegare, per quorum auaras manus beneficia ad reliquos defluant. Fere enim hos regiorum munerum nundinatores reperias, bis cupidos, sibi, & domino, à quo delecti. ita non vnâ venditione contenti viuunt, duplicanda pretia sunt, vt duorum cupiditates expleant. Illud verò perniciosissimum regno, quòd apud hos è largitione dignitas pendeat; vt dignior ille sit, cuius augustiora munera

 sunt.

sunt. à virtute apud hos nulla dignatio est, à munerum profusione est, vt ille dignissimus sit, à cuius manu ampliora veniunt.

Qui inter hos opibus & honoribus augēdi. Neque ideò auctor sim Regibus, vt, si quos delegerint virtute magnos, & quibus sua probitas, morũ integritas, & certa stat fides, opibus & honoribus non augeant. neque enim irremuneratam velim virtutem, si sine Regum regnique pernicie præmiari potest. Sed & tales contra inuidentium molitiones fortiter tueantur. Et non semper Regum amicitiæ æmulationibus & odio subiacuerunt, cùm ipsam virtutem indiuiduo nexu inuidia comitetur? Factum ab omni sæculo. ita Daniel inuidentium odijs, leonibus objicitur, & æmulas in Babylonis fornacibus flammas calcare coguntur fratres.

Illud hîc cauendum, ne, dum supra reliquos attolluntur, purpuræ cogitationes ab opibus & honoribus mutuentur. Factum in Imperio Romano non semel: nimis enim orbi noti Ruffinus Arcadij, Stilico Honorij, Seianus Tiberij. Quare intra mediocritatis terminos suos contineat Rex, ne audeant pœnitenda.

Non permittat se inscio Rex munera suis dari. Sed neque permittat aliorum eos opibus crescere. quare nulla velim munera, ignaris Regibus, ad eos peruenire. In quo genere si quid peccatum, non careat transgressor pœnâ. plena enim hîc omnia fraudibus, & vtraque ferè manu, ab aduersarũ etiam partium auctoribus, dona capiuntur: operamque non rarò dum mentiuntur, simulationibus officiosisq; mendacijs fortunantur. Est in hoc genere illud Suetonij in Claudio: *Libertorum præcipuè suspexit Posidem, nec minùs Felicem, & Harpocram, ac super hos Polybium: ante omnes Narcissum, & Pallantem. quos decreto quoque Senatus, non præmijs modò ingentibus, sed & quæstorijs prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est. tantum præterea acquirere & rapere, vt, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, Abundaturum, si à duobus libertis in consortium reciperetur. Compendio cuiusque horum,*

rum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est; & quidem insciens plerumque & ignarus. O non eueniant hæc ætate nostrâ! auerte propudia hæc à Christianis Principibus Deus. Illud etiam de Heliogabalo amicissimis Lampridius: *Herodes, Gordius, Murissimus, qui omnia eius vendebant, vel vanitate, vel fumis.* & de Zotico: *Omnia Heliogabali dicta & facta vendebat fumis, quàm maximè diuitias enormes sperans, cùm alijs minaretur, alijs polliceretur, omnes falleret; egrediensq; ab illo, singulos adiret, dicens, De te hoc locutus sum, de te hoc audiui, de te hoc futurum est. vt sunt homines eiusmodi, qui si admissi fuerint ad nimiam familiaritatem Principum, famam non solùm malorum, sed & bonorum Principum vendunt.* O nulla videant regna, nulla sentiant Zoticos! nulli Reges hos ferant fumivendulos! nulli sint Heliogabali, qui præter regium nomen & peccandi licentiam nihil possideant regium! nulli Arcadij sentiant Ruffinos, nulli Honorij Stilicones, nulli Seueri Plautianos; nulli Domitiani Parthenios, Stephanos, Maximos; nulli Claudij libertos; nulli Caracallæ Macrinos, Martios, Agrippas, Martiales; nulli Commodi Perennes, Cleandros, Iulianos, Regillos, similesque plures! imitentur magis Alexandrum Seuerum magnum Imperatorem, in cuius vita Lampridius: *Vetronium Turinum, quem cùm familiarem habuisset, quique omnia fingendo sic vendiderat, vt Alexandri infamaret imperium, ac quasi ad nutum suum omnia Imperator faceret, sic deprehendit, vt quemdam immitteret, qui à se quiddam publicè peteret, ab illo autem occultè quasi præsidium postularet, vt pro eo Alexandro secretò suggereret. quod cùm factum esset, & Turinus suffragium promisisset, dixissetque se quædam Imperatori dixisse, cùm nihil dixisset, sed in eo pendere vt adhuc impetraret, euentum vendens: cumque iterum iussisset Alexander interpellari, & Turinus quasi aliud agens nutibus annuisset, neque tamen interim quidquam dixisset, impetratum autem esset quod petebatur, Turinúsque ab eo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepisset: accusari illum Alexander iussit, probatisque per testes omnibus, in foro transitorio*

torio ad stipitem illum ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente: Fumo punitur, qui fumum vendidit. Ac ne in vna tantùm caussa videretur fuisse crudelior, quæsiuit diligentissimè antequam illum damnaret; & inuenit Turinũ sæpè & in caussis ab vtraque parte accepisse, cùm euentus venderet, & ab omnibus qui aut præposituras aut prouincias acceperant. O multòs, imò omnes, Christianos Principes videamus Alexandros, aut magno huic in dignitatum venditores simillimos! qui cùm pauperes diuites ingressi regias fuerint; diuites, pauperes relinquunt. Quin & Aureliano Imperatori similes voueo. de quo Vopiscus: *Amicos honestè ditauit & modicè, vt paupertatis miserias effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent.*

Abstineant Reges à nimia suorum familiaritate. Optem verò, si quis votis meis locus, nec familiares nimiùm Reges in hos à se delectos, cùm ferè familiaritatem contemptus sequatur; nec seueros nimiùm, ne odia enascantur, & ex his ferrum. Nolo indulgentes, ac quasi inter pares vitam ducere. non patiuntur diademata socium. Sed neque tanquam ex pari colludentem velim Regem, cùm nulla res magis contemptui subiaceat, quàm è lusu paritas. Meminerit proinde etiam in illo regiam auctoritatem tueri: meminerit se Regem esse. Sed neque secura satis inferioribus de Rege victoria est. vltrò succumbet quisquis sapit. Vinci tutum, intutũ vicisse est: vt præmia sperare regia debeat, quisquis victorẽ Regem passus est; non debeat, qui vicit. Erubescunt sceptra vinci. è rubore indignatio, odia, ferrum prosiliunt. Caue quisquis tutam sub Regibus vitam voles. ne victorem agnoscere cogantur, ne superiorem. confessio hæc secures acuit, distendit funes, venena temperat, exilia meditatur. Fuge victorias, victoris sanguine funestandas, quicunque felicem sub Regibus exitum speras.

Momenti res maioris per se Rex tractet. Illud etiam optandum, vt res momenti grauioris per se tractent, neque iudicijs illas Priuatorum relinquant; tum ne in perpetua rerum suarum ignoratione Reges versentur, tum ne

ne illi è magnitudine audaciam ſumant, & non contenti ſuâ ſorte, maiora paullatim viribus & fortunâ ſuâ audeāt. Quod ne eueniat, danda omninò opera Regibus, vt in maioribus & magis arduis ad ſe recurrant. audiant Moyſem: *Quòd ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.* Deut. 1.

Non ſim etiam auctor Regibus, vt iuri dicundo Priuatos hoſce præficiāt. perit enim aliorum in dicendo libertas; cùm neque opponere ſe illorum voluntati audeant, & ſemper aſſentiri vetet æquitas. hinc in perpetua lucta verſantur: vera enim dicere reformidant, falſa non debent. quòd ſi illorum potentiæ ceſſerint, iam non quid æquitas poſtulet, ſed quid illi potiſſimùm velint conſiderant, & iuſtitiam omnem voluntate illorum, non voluntatem iuſtitiâ metiuntur. *Non præſint iuri dicundo Regum Priuati.*

Magnus omnino in omni hac re ALBERTVS noſter: & qui exemplo in omnem poſteritatē Regibus eſſe poſſet. Neminem eò prouexit, vt vereri illius potentiam, aut popularem gratiam deberet, aut poſſet. Nemini vlla gubernacula tradidit metuenda, & cum ſanguine aut armis repetenda. Nullius ſe conſilijs gubernandum tradidit, Dux ipſe ſibi & conſiliarius. Nunquam per ſuorum manus munia aut dignitates largiri ſolitus: & poſcentibus quædam, negabat non raró: vt obſequi diſcerent, non imperare, & ab ore & voluntate ipſius dubij ſemper penderent. Nimiam ſuorum familiaritatem auerſatus: ſolitus etiam inter ludicra maieſtatē tueri. quòd ſi quis vel in liberius verbū vnum erupiſſet, vultu terrebat, & ad modeſtiam ducebat. In rebus momenti maioris audiebat alios, ipſe decidebat. Rerum verò omnium omnino ſuarum tantam cognitionem habuit, vt perexiguæ familiæ dominum arbitrateris, qui tot populis imperaret, tot exercitibus, tam latè ſpatſis, tam dubijs rebus, tam arduis. Habent quod imitentur Reges. nec diſcere pudeat. gloria eſt, ab ALBERTO didiciſſe; decus, ſecutum fuiſſe; felicitas, potuiſſe. vt aſſequantur, ne ſperent. ſat magnam gloriam retulit, qui imitari potuit.

Kkkk IN-

INCEPERAM hos libros à Regum omnium Maximo PHILIPPO IV. finio in Principum omnium Maximo ALBERTO. Maximo nomini illius inscripseram in tutelam: Maximo nomini huius signo in imitationem. Meditabar virum Politico Christianum: inueni Principem. Nil opus nunc libris. vita & mors ALBERTI, nobilissimi Politici-Christiani, liber est: è quo quidquid vbique Principum, quidquid vbique virorum est, verum Politico-Christianum legant. ad cuius vitam si composuerint suam, numeros expleuerint omnes veri Politici-Christiani. Frustra proinde nunc libri, & nequidquam calami. vnus ALBERTVS, omni libro & calamo maior est. Ergo remoueo calamum multa parantē, & finio in voto. & multos ALBERTOS orbi voueo; imò ALBERTVM orbi vnum. non eget pluribus. vnus illi imperando satis est; maximè si valetudo, quæ ferè inimica magnis, animo responderet. Nihil indulgeo amori. adulari nec scio, nec didici: & caussam non habeo in mortuo Principe. cuius virtutes omnes si vel per crinem tetigero, lassetur antè calamus, quàm finem videat. Hoc dicam: quidquid propè laudatum in viris magnis à Plutarcho, Xenophonte, Suetonio, Tacito, Seneca, Liuio, Curtio, Cicerone, in ALBERTO fuisse; quidquid damnatum in singulis, ALBERTO defuisse. Et sanè cùm nemo magnorū fuerit, qui non aliquid habuerit ignoscendum; nihil reperiri in ALBERTO quod veniam mereatur, pro miraculo est. Vita illius omnis, regula est, ad quam omnes vitam dirigant suam, cælibes, matrimonio iuncti, Religiosi, purpurati, priuati, Principes. ne pudeat imitari, licèt assequi meritò desperent. laus magna erit, è magno campo aliquid decerpsisse. Si Pietatem intuearis, nescio quid addi è monastica disciplina possit. Si Vitæ integritatem, nec Paullos, nec Antonios desiderabis. Si Prudentiam, vincor magnitudine, quam certiùs silentio quàm calamo exprimam. Sanè tam imperare orbi poterat, quàm Belgio. & nescio an parem omnia

nia retrò sæcula tulerint. Hoc magnum. neminem fuisse, qui in illo imprudens factum aut verbum notaret. Si animi robur & Constantiam, rideas Samsones, Hercules, Epictetos, Senecas, Thraseas, Catones, Fabios. Si Patientiam, naturæ quoddam portentum fuit. Video vas illud electionis, Gentium Apostolum: & cupit *dissolui & esse cum Christo*, seu vitæ Philip.1. tædio, seu supernorum amore, seu vtriusq; desiderio. Video magnum Eliam petentem animæ suæ, vt moriatur, & inclamantem post minas Iezabelis, *Tolle animam meam*. Video ma- 3.Reg.19. gnum Iobum maledicentem diei: *Pereat dies in qua natus sum,* Iob 3. *& nox in qua dictum est, Conceptus est homo. dies ille vertatur in tenebras, & non illustretur lumine*. Video ALBERTVM, summis toto corpusculo sæuientibus doloribus, valetudine adeò extritâ, vt sola cutis viduata carnibus ossa tegeret. & verbum nullum audio, non dico querulum, sed quo testetur dolorem. Cùm mirarētur familiares, respondere solitum ferunt: Quò mihi lamenta, nil lenitura dolorem? quò lacrymæ, non absterſuræ cruciatum? quò suspiria altè ducta, non erutura malum? quò manuum collisiones, non medicaturæ morbo? quò planctus & querulæ voces nil mitigaturæ pœnas? imò quò mihi, si dixero me dolere? mitigabit dolorem indicatus dolor? frustra proinde illa admouebo, quæ leuamen malo nullum adferent. Hæc ille, & parciùs etiam quàm dixi, ac non nisi rogatus. nec à verbis tantùm abstinuit, sed etiam à signis: vt nemo in fronte illius aut oculis dolorem legeret. Videbant omnes retorta propè in se membra, ac ferè globum vnum corpus omne. nec signo interim dolorem indicabat. ac ne in ipsa quidem morte: in qua nec contraxisse vultum, nec frontem rugasse, nec ora vertisse quisquam deprehendit. O quæ ætas parem? nullum excipio. & fidem hæc apud posteritatem inuenient? ita in ipsa morte disponebat de morte, quæque in ipsa, quæ post ipsam, tam securè, tam pacatè, vt de aliena crederes agere: præsentior ipse sibi & fidentior, quàm quotquot circumstabant. cumque omnes

natarent lacrymis, solus ipse siccis oculis mortem suam vidit, & securus non exspectauit, sed venienti occurrit. Omnes ad vota decurrere vitæ longioris. solus ipse, vel si voto vno protendere illam posset, nollet, ne aduersari diuinæ voluntati videretur voluisse. Venerat decretorium illud magni Dei momentum, & egressus corpore est, vt viuus solebat è cubili: itaq; exuit animam, vt corpus pallio: ita emisit, vt in hortum ambulaturam, & non multò pòst redituram. Quid est de morte triumphum agere, si hoc non est? exprimere mors inter plusquam Taurica & Phalarica hæc tormenta, animã potuit, doloris vocem non potuit. extrudere mœroris aliquod signum voluit; non potuit. Satis illi fuisset ad triumphi materiam, si confessus ALBERTVS fuisset, dolores se sentire. nec hoc potuit. Victa ergo recessit, &, ni ad extrema duxisset, vnde reuocare non poterat gradum, non expressisset victricem animam, cùm erubesceret se in vno Principe victam, quæ vicisset omnes. ergo fugit. & fugâ suâ campum Principi, & triumphi materiam concessit. fateri vel inuita coacta, se in vno ALBERTO, cùm omnia tela irrito conatu, validioreque quàm emissa erant repercussu, deprompsisset; nullum non dicam vulneris, sed nec liuoris signum impressisse, nec vultum mutasse. Vtinam tantùm diuturnior recreator orbis & Belgarum suorum, quàm maturior beatarum comes mentium! Finio, si tantùm hîc subiecero, quæ post mortem Principum omnium Optimi, Maximi, funeri inscripsi:

A L B E R T O.

Archiduci, Duci, Comiti, Marchioni, Domino, Optimo, Maximo Principi, patriæ Parenti, mœstum parentat Belgium; non fugitiuo marmori, non æri, sed æternaturæ animæ, magnos includens cineres æternùm victuros. Ita solet pios parentum cineres pia progenies condere. vt exinde geminâ quisque felix viuat animâ, Principis & suâ.

ALBERTO AVSTRIACO

ELISABETA Austriaca XII. optimo coniugi mœstissima con-

coniux; duodecim Imperatorum Austriacorum sanguini, duodecim ipsa Imperatorum Regumque genus; moriturum monumentum hoc, non morituris cineribus posuit. animum animo inclusit, cælo vtrumque recondendum. Bene Lector precare. &, cùm ALBERTO non possimus, æternùm ELISABETA fruamur.

ALBERTO AVSTRIACO VII.

Singulis virtutibus Austriacam gentem illustrarunt ALBERTI singuli. I. Triumphator. II. Sapiens. III. Patriæ Parens. IV. Patiens. V. Honorificus. VI. Mitis audiit. VII. ALBERTVS noster vnus omnium vt virtutes complexus, ita nomina meruit omnium Abi magnorum æmula inuidia. nihil gratiæ & amori; virtuti hîc datum: & huic soli.

PVLCRVM EST CLARESCERE VTROQVE.

Seu arma raperent, seu pax vocaret; seu secunda extollerent, seu aduersa premerent; seu vires starent, seu morbi opprimerent; seu Regum fauor, seu minæ insurgerêt, in vtrumque paratus Magnus ALBERTVS noster. vt nescias, aduersis an secundis clarior, pace an bello melior. Hoc certum: nobiliore parte sui ereptum terris, cælo donatum. ita piè vouemus, piè credimus. State lacrymæ. Magnæ ELISABETÆ menti Magnus insepultus iacet ALBERTVS. ex hac imperare Belgio perget.

ALBERTO IVSTO.

Par in omnes. quò æquitas duceret, cæcâ mente & manu, affectuum ignarus sequebatur; nullâ personarum, honorum, opum prærogatiuâ.

ALBERTO PACIFICO.

Nunquam in bella iturus, nisi cogeretur. quæ tamen ipsa paci præstrueret. Vt meritò inscribi monumento possit, PRINCEPS PACIS.

ALBERTO PRVDENTI.

Nullum illius factum temerarium. omne prudens, maturum, serium, & diu cogitatum.

ALBERTO VICTORI.

Post enauigatum orbem, Lusitaniâ & Oceano piratæ pulsi; Caletum, Ardrea, Hulstum, Ostenda capta; Siluâ-Ducis hostes pulsi.

ALBERTO PIO.

Supra Reges & Principes pius. Religiosis componendus. O multos Albertos Belgium sentiat! habebit Pios.

ALBERTO MAGNANIMO.

Nec potentissimorum Regum minis, nec armis cessit. Prouocare vnus fortunam poterat, & vincere.

ALBERTO FORTI.

Non aduersis fractus, non elatior prosperis. semper idem, ore, oculis, fronte, seu bella surgerent, seu pax sederet.

ALBERTO TEMPERANTI.

Sine luxu mensa. Per omnem vitam alieni thori nescius. Quo rarior in Principe virtus, hoc meruit, vt dici posset Albertvs Castvs.

ALBERTO NOBILI.

Austriacorum duodecim Imperatorum sanguis. Non fuisse, modestiæ; potuisse omnium suffragiis Imperatorẽ esse, omnium votis debuisse, virtutis fuit.

ALBERTO LIBERALI.

Centena in annos singulos millia in templa & pauperes erogata munificentiam testantur. Hac vnâ omnium pectoribus æternùm viuet.

ALBERTO SAPIENTI.

Consilia omnibus ipse dare, Principibus, Regibus, Imperatoribus: à nullo accipere.

ALBERTO CLEMENTI.

Omnes admittere solitus, repellere neminem. In indulgentiam, quàm in seueritatem pronior. Nullum factum illius crudele: benigna plurima.

VIA-

VIATOR

Siste gradum.tibi hîc præluditur.quid non moritura moriturus cogitas? Serenissimus præit ALBERTVS, sequemur magni huius corporis vmbræ minores. Viuere potes. mori debes. quid incertis animum fatigas? tutiora prudens delige. Quæ sceptra perennarunt? hoc ipsum quod legis,vitæ pars magna est.æternùm vis viuere? vixit,cui omnis hora vltima,omnis prima. Fuit hæc Austriaco ALBERTO nostro. quo factum, vt vitæ huius momentum postremum, felicis illi æternitatis esset primum. Æmulare Principis virtutem, quisquis æmularis exitum. æmulus gloriæ, æmulus laborum.

VIATOR

Mœrorem pone. mentitur hæc pulla mortem. ALBERTVS viuit.moriturus,ni mortuus esset.nunc ipsâ morte viuit: imperatque æternùm illi,cuius æternâ lege semel imperium subijt.Felix morte suâ,seipsum funerans rediuiuus Belgicus Phœnix noster, nō nisi post cineres victurus. Siste lacrymas. pro morituro cadere solent. non moritur, qui cælo conditur ALBERTVS noster. Imitare mores. iisdem pennis ferri in cælum potes,& æternùm ibi Principe tuo frui, æternùm Patre.hoc felicior, quo plus iam tibi in cælo auxilij, à veteri Principe,nouo Patrono.

FINIS.

SERIES CAPITVM

LIBRI SECVNDI.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM

HOC LIBRO COMPREHENSARVM.

omni

 Hila-

Nabu-

Prin-

FINIS.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

CVM Institutionem Politico-Christianam R.P. Caroli Scribani quatuor Societatis nostræ Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; pro potestate mihi facta ab Admodum R.P.N. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali, concedo Martino Nutio Typographo Antuerpiensi facultatem typis eam mandandi. In cuius rei fidem hasce meâ manu subscriptas, sigilloq; officij mei munitas dedi Bruxellis 20. Maij, anno 1623.

ANTONIVS SVCQVET.

APPROBATIO CENSORIS.

L*ibri hi duo, quibus titulus,* Institutio Politico-Christiana, *composita à R. P. Carolo Scribani Societatis* IESV *Presbytero, quia omnium hominum regimen ac moderamen concernunt, quo tam iuxta Christiani hominis, quàm officij sui debitum quisque viuat, ad seruiendum Deo in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ suæ, iure merito, tanquam vitæ Politico-Christianæ exemplar, lucem adspicient. Datum Bruxellæ* 11. *Maij, anno* 1623.

Henricus Smeyers S.Theolog.Licent.Scholasticus Bruxellensis, librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit ac cauit, ne quis citra Martini Nutij Typographi Antuerpiensis voluntatem, librum, cui nomen *Institutio Politico-Christiana, auctore R.P. Carolo Scribani Societ.* IESV *sacerdote*, intra sexennium in Belgio imprimat, aut alibi locorum impressum in Belgium inferat, venalemúe exponat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ anno 1623. die 28. Nouembris.

Signat *Steenhuyse.*